



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**


Tomus Primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

VEN. VIRI  
THOMÆ MALLÉOLI  
A KEMPIS,  
CANONICI  
REGVLARIS  
ORDINIS D. AVGVSTINÆ  
Tomus Primus.

A







3

PROLOGVS  
IN SERMONES  
AD NOVITIOS  
REGVLARES.

Dilectis in Christo fratribus, Innocentio, Simpliciano,  
ac cæteris Crucifixi discipulis, sacrae Religionis dis-  
ciplinam diligentibus: Frater peregrinus, in valle la-  
chrymarum degens, orationum vestrarum iuuami-  
na humiliter petens:

Pax Christi in cordibus vestris abundet, & patientia  
multiplex vobis & mihi in cruce Christi cõdonetur.

**S**ERMONES, quos per modum dulcis collationis, pro Nouitijs  
nostris, diuersis quidem temporibus, in unum collegi, vobis  
in charitate communicare piuum censi, iustumque existimaui.  
Quamuis igitur incultus sit sermo, & materia non ardua: tamen  
simplicibus placere cupiens, quod Dominus inspirauit & dedit,  
libenter pijs & deuotis offero ad legendum. Quod si forte indis-  
cretus sermo quempiam offenderit, peto, ut venia concedatur  
exiguo, atque in melius reformetur, quod absurdum foris sonare  
videtur. Et quia exempla saepe plus mouent audientes quam so-  
la verba, idcirco more B. Gregorij instructus, in plerisque locis  
post finem sermonis, pro maiori assertionem exempla quadam (sicut  
memoriae occurrerant) breuiter annotaui. Gratanter Fratres ac-  
cipite, quae vobis sicut dilectis amicis offero. Oretis, ut sint omnia  
ad honorem Dei & multorum profectum.

Sciendum est quod iste liber continet triginta sermo-  
nes, & habet tres partes.

*Pars prima continet IX. sermones, ad designandam IX. ordines  
Angelorum.*

*Secunda pars autem continet X. sermones, ad designandum Decalo-  
gum legis, secundum numerum X. preceptorum.*

*Tertia pars verò continet XI. sermones, ad designandum statum Re-  
ligiosorum, in renunciatione seculi, & baiulatione crucis, secundum  
consilium nostri Saluatoris dicentis: Qui vult venire post me, abne-  
get semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*



## SERMONES PARTIS PRIMÆ.

<b>D</b> E concordia Fratrum, & melodia diuina laudis.	Sermo 1.
De laude bona congregationis.	2
De verbis & consilijs seniorum humiliter audiendis.	3
De bonis colloquijs inuicem habendis.	4
De patientia conseruanda inter desides & peruersos.	5
De uigilijs nocturnis, contra impugnationem soporis.	6
De custodia oris, & diligentia operis, cum obedientia superioris.	7
De uana gloria cauenda: & quid soli Deo laus est exhibenda.	8
De periculo multorum malorum, ex multiloquio uerborum.	9

## SERMONES PARTIS SECUNDÆ.

<b>D</b> E multis tribulationibus iustorum, pro regno cælorum.	Sermo 1.
De quotidiano martyrio & bello in statu Religionis.	2
De sapientia Confessorum, & continentia Religiosorum.	3
De cauta custodia cordis, & gratia interna deuotionis.	4
De constantia & perseuerantia in statu Religionis.	5
De cauta custodia iuuenum contra multas tentationes.	6
De stricto Dei iudicio, ubi accusabunt nos omnes creatura.	7
De uana gloria uitanda, & humili obedientia sectanda.	8
De spiritali militia contra uitia.	9
De varijs bellis & periculis huius uite.	10

## SERMONES PARTIS TERTIÆ.

<b>D</b> E Cruce quotidie tollenda, in Religione assumpta.	Sermo 1.
De ueneratione & commemoratione beatae Mariae Virginis.	2
De laude dulcissimi nominis IESV, & dulcissima matris eius Mariae.	3
De deuoto seruitio beatae Virginis, & recordatione nominis eius.	4
De dolore & consolatione beatae Mariae Virginis.	5
De excellentia meritorum, & priuilegijs B. Mariae Virginis.	6
De tribus speciosis uestibus beatissimae Agnetis uirginis.	7
De aurea corona in capite sanctissimae Agnetis uirginis.	8
De dedicatione Ecclesiae. De quinque luminaribus templi.	9
De ornamentis & moribus ministrorum in templo Dei.	10
De quatuor conditionibus, ad adificationem & decorem domus Dei pertinentibus.	11


PRIMA



PRIMA PARS  
SERMONVM  
AD NOVITIOS.

SERMO PRIMVS.

*De concordia Fratrum, & melodia diuina laudis.*

I.  CCE quàm bonum & quàm iucundum, habitare *Pfal. 132.*  
*fratres in vnum.* Dauid sanctus, & verè Propheta

magnus coram Domino, repletus Spiritu sancto, multos edidit Psalmos; quosdam pro auxiliij postulatione, in tribulatione; quosdam pro gratiarum actione, de hostium liberatione: sed raro vel nusquam tam bonam & iucundam edidit symphoniam,

sicut in hoc breui canticò graduum declarauit, dicens: *Eccè quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* *ibidem.*

Omnes enim bonum naturaliter appetunt, & iucunditatem; malum verò & tristitiam refugiunt, tanquam hominis infelicitatem. Igitur de fraterna charitate & vnanimitate loqui gestiens, tacitis aliis bonis presentibus, specialiter deuotioni fratrum congaudebat, sumptoque psalterio iucundo cum cithara, in domo Domini præcinebat, dicens: *Eccè quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* *ibidem.*

Verè fratres, nulla maior exstat iucunditas in monasterio religiosorum, & congregatione fratrum ac sororum, quàm vnanimitas animorum, & concordia morum, cum obseruantia regulæ & statutorum, secundum decreta prælatorum, & monita seniorum. Sed hanc sanctam ac Deo placitam fratrum concordiam diabolus omnium bonorum inimicus, oppugnare & infringere non desistit: variis modis die ac nocte insidias parans, ad decipiendum animas desides & vagas: Et nunc quidè apertè, per locutiones vanas conturbat; nunc occultè per suggestiones turpes tentat & inquietat; quatenus nouum Christi militem à sancto proposito reuocet, aut antiquum discipulum in desidiâ trahat, aut debilem in murmurationem trudet, aut passionatum in pertinacia stringat. Sed contra hos dolos & terrores Satanae, certat ac triumphat vnanimis conuentus fratrum multorum; qui nocturnis vigiliis incubant, diurnis laboribus insudant, sacris lectionibus intendunt; deuotis precibus & psalmorum melodiis

Diabolū  
viri pij  
quomodo  
exerceant  
& fugent.



## 6 SERMONES AD NOVITIOS.

insistendo, Deo iubilant; & quasi cælestibus tubis pariter infonando, diabolum persequuntur. Vehementer enim eum affligunt, cum ieiunant; verberant, cum disciplinam recipiunt; calcant, cum veniam petunt; premunt, cum se humiliant; terrent, cum Iesum inuocant; torquent, cum Mariam nominant; fugant, cum cruce se signant; vrunt, cum crucifixum adorant; vincunt, cum obediunt; arctant, cum in solitudine manent; ligant, cum strictè silentium seruant.

2. Verè, hæc est sancta congregatio fratrum, quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob: spernentium mundum, diligentium Christum, abnegantium se & omnia propter Deum, certantium cõtra diabolum & exercitum eius, donec recedat, nec tam cito in castra Dei redire præsumat. Perpendite ergo charissimi, quàm bonum & iucundum est, habitare fratres in vnum: qui in vna domo congregati, vnius regulæ professione colligati, sub vno prælato bene ordinati, pariter surgunt ad vigilias, pariter conueniunt ad horas Canonicas, pariter incipiunt cantare & legere, pariter nituntur diuinum officium honorificè consummare. O quam gratum & commendabile collegium, ad laudandum Deum præcipuè dedicatum: vbi sunt tot tubæ resonantes, quot voces in choro alacriter cõtantes. Sed hæc audientes, quid dicunt demones, religiosos persequentes? *Fugiamus* (inquiunt) *Israelem*, hanc sanctam & deuotam congregationem, *Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Isti enim sunt veri Israelitæ, qui de Ægypto & secularis vitæ tenebris egressi, propter Christum parentes & amicos reliquerunt: & nunc habitu sanctæ religionis induti, Deo perpetuò se vouerunt, & contra nos militare fortiter cœperunt, ad confusionem vtique nostram, & suam gloriam augmentandam. Constanter ergo (fratres) state armati precibus, contra aduersarios salutis vestræ: nullius impetum formidâtes, sed in Domino confidentes, gratias agite de beneficiis vobis collatis, præ multis in seculo errantibus. Non pigeat omni nocte surgere, ad vigilias nocturnales: sed facto signo, abijcite torporem ab oculis, euagationem à cordibus, dissolutionem à moribus.

3. Eia charissimi, attendite præsentiam Christi, angelorū custodiam, reuerentiam Sacramenti, & reliquias Sanctorum: in quorum conspectu statis & psallitis, licèt oculis corporalibus eos nò videatis. Cauete diligenter à vanis phantasiis & immundis spiritibus, ne inueniant locum intrandi & latendi in vobis. Citò auertite faciem vestram à mercatu diaboli: signate corda vestra signo sanctæ crucis: recurrите ad passionem Christi: erubescite alia cogitare, quàm verba Dei, quæ legitis & cantatis. Incipite modò cælibem vitam ducere cum angelis: pacem & concordiam tenete

cum

Exod. 14.



cum omnibus : nulli scandali occasionem detis , verbis vel actibus offensiuus. In Christi charitate supportate imperfectiones infirmorum , non tamen consentiatis vitiis aut querelis eorum. Orate frequenter pro tribulatis & tentatis : timete ne vobis similia cōtingant , aut peiora incurratis. Omnibus autem exemplum veræ humilitatis , mansuetudinis , patientiæ , taciturnitatis , & obedientiæ exhibete ; vt perennem à Deo mercedem , cum sanctis eius & electis , in cælo recipiatis. Si enim minimum gaudium cognosceretis , ad omnia , quæ Deo placent , conuolaretis : & ad eorum , vbi diuina & cælestia die ac nocte tractantur , festinaretis. Cum ergo tædium cordis sentitis ex onere laboris , recolite æterna præmia promissa vobis in cælis. Vnde beatus Paulus , qui plus omnibus laborauit , pigros excitando , debiles confortando , inter labores ad mentem cælestia reuocabat , dicens : *Non sunt condigna passiones huius temporis , ad futuram gloriam , que reuelabitur in nobis.* Nunquam poterit Dei seruus vinci certamine , nec grauari temporali labore , qui æterna bona vel mala semper gerit in mente. Qui ergo desiderat habere cor purum & quietum , excludat à se omne terrenum commodum & humanum solatium. Citò namque perditur celeste desiderium in silentio acquisitum , nisi fuerit cum omni diligentia ab extraneis rumoribus custoditum.

4. Cœnobium monachorum est sicut salsum mare , quod corpora mortua non potest in se retinere , sed statim ad littus putrida projicit : sana verò & viuida nutrit , atque ad incrementum producens , nitida intuentibus reddit. Scitote ergo , quòd homo carnalis , sub vili panno latens , diu se fingere non potest : sed aut in se per teporem deficit , & à feruore arefcit : aut citò recedit , aut recedere cogitat ; aut cum murmure manens , fœtorem de se peruersæ actionis ostendit. Et , quia leuis est corde & dissolutus ore , alios sæpe deridet : quia superbus & iracundus , contentiones inter pacificos mouet , & simplices accusat. Et quoniam radicem humilitatis non habet , & spinas carnalitatatis euellere negligit : idcirco dulces flores castitatis , cum fructibus obedientiæ & charitatis , gignere non valet. In congregatione deuotorum , probantur corda multorum tanquam aurum in fornace ardenti : vtrum desideria eorum ex Deo sint , an ex carne cōcepta. Qui enim proprium commodum quarunt , & communes labores & obseruantias ordinis , negligenter prætereunt , hi parum in spiritu proficiunt : sed ad exteriora declinâtes , sæpe ad pristina vitia labuntur. Quomodo poterit aliquis diu in disciplina & deuotione perseuerare ; qui contra tentationes & passiones viriliter non pugnat ? Quapropter , dum parua latent vitia , tempestiuè adhibenda sunt

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Cœnobium  
mari simili.  
le.

Prov. 1.  
Sap. 3.



8 SERMONES AD NOVITIOS.

Luce 8.

Matth. 15.

Matth. 7.

remedia: ne vrticæ crescentes, bona femina præmant. Dicit namque Saluator, de quibusdam fictis & tepidis fratribus, in quibus non est feruor spiritualis, sed tantum exterior apparet habitus humilis, cum affectu honoris; *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus celestis, eradicabitur.* Et verè, qui non aedificat domum suam supra firmam petram, id est, vitam suam super Christum & veram humilitatem: *stanto vento elationis, cadet à statu deuotionis ad exteriores occupationes, & in varias tentationes diaboli.* A quibus malis nos benignè custodiat Iesus Christus filius Dei: qui verbo & exemplo suo docuit nos humiliter conuersari: & pacem cum fratribus, sine fictione & dissolutione, semper retinere. Amē.

SERMO II.

De laude bonæ congregationis.

Prov. 13.

Psal. 60.

**I.** **F** Rater, qui adiunatur à fratre, quasi ciuias firma. Dilecti fratres, notate verba ista, à Salomone sapièter & proficuè dicta: & tenete perseveràter loca vestra, in societate bona. Sustinete inuicem, cum omni humilitate & mansuetudine portando onera vestra, propter multa pericula euadenda, & maxima præmia animæ vestræ à Deo promerenda. Congregatio quippe bonorum est *quasi turris fortitudinis à facie inimici.* Ibi namque homo securius viuit, vbi à pluribus iuuatur: & si interdum ab aliquo tribulatur, ab alio rursus cõsolatur. Qui bonæ voluntatis est, & Deum quærit: inter Deum quærentes amplius proficiet, & firmius stabit. Ibi homo magis in virtute probatur & exercetur. Ibi, frequenter de negligentia arguitur. Ibi, ad perfectiora verbo & exemplo trahitur. Ibi, suam imperfectionem considerare & lugere compellitur. Ibi, alterius feruore excitatur, alterius humilitate docetur: istius obedientia mouetur, illius patientia ædificatur. Ibi, verecundatur esse vilior; ibi, confunditur inueniri tardior. Ibi inuenit, quos timet: ibi habet, quos diligit: & sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio, eius fit admonitio. Ibi alienum periculum, proprium efficitur speculum. Ibi vnus, alterius est custodia; & alius alium probat in patientia. Ibi homo portat, & portatur; ibi multa audit, & videt, vnde doceatur. Ibi regulæ & sacra institutio, in bono conseruant; ibi confessio & disciplina, excessus emendant. Ibi boni commendantur, vt meliores fiant: ibi negligentes arguuntur, vt referuescant. Ibi homo non permittitur torpescere, nec secundum suum libitum agere. Ibi cogitur spiritui feruire, & carnis desideriis resistere. Ibi diuersa sunt officia, & multa exhibentur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habet, & ad opus suum quisque ex obedientia vadit.

2. Ibi



2. Ibi nulli otiosi conceditur, sed unicuique mensura operis iniungitur. Ibi infirmus à fortiore sustentatur: ibi sanus infirmum visitans, Christo seruire lætatur. Ibi vno deficiente, alius locum eius supplet, ibi sana membra, pro debilibus sollicitatur. Ibi actiuus, pro vacante laborat: ibi Deo vacans, pro laborante exorat. Ibi vno legente, multi edificantur. Ibi singuli hebdomadas suas explentes, se inuicem liberant, ne fatigentur. Ibi homo habet multos pro se orantes, & in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxilios inuenit, quot socios habet, qui sibi in necessitatibus assistunt. Ibi feliciter obdormit in Domino. Ibi multorum intercessionibus citius liberatur de purgatorio. Ibi post mortem hæredes Dei seruos, sui vtique interdum memores relinquit, quorum pia studia, sua erit in cælo lætitia. Ibi labor fauus, & bona conuersatio, obliuionem non accipiet, sed multis posteris ad exemplum proficiet. Ibi sequentes pro prædecessoribus suis orare tenentur, & Dominum pro benefactorum beneficiis laudare. Ibi quicquid boni agitur, ad omnium ibidem quietem participationem provenire creditur. Ibi, qui adhuc viuunt, pro defunctis fratribus solliciti sunt, vt à pœnis soluantur: & qui iam cum Christo regnant, pro peregrinantibus supplicat, vt in bono perseverent: & qui adhuc supersunt, ad fratres suos venire desiderant. Ibi singulare bonum fit commune, ibi temporale transit in æternum. Ibi temporaliter conuenientes, æternaliter erunt congaudentes.

2. Mach. 12.

3. Magnum igitur & iucundum bonum, habitatio multorum deuotorum in vnum. Qui in sancta cõgregatione vsque in finem perseverauerit, etiam si imperfectus fuerit, propter multorum orationes & merita perfectorum, ad beatum finem Deo propitio perueniet. Qui autem bonam congregationem deserit, quasi extra portum stabilitatis & salutis diuertens, marinis procellis se exponit. Qui enim de medio congregationis se separat, incertum est, vbi adhuc perseverabit. Finis citò declarabit, vtrum ex Deo an ex passione recessit. Manas ergo in medio sanctæ congregationis, & manebit tecum Dominus. Ipse enim ait: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Et ad discipulos inquit: *Vos estis, qui permansistis mecum in temptationibus meis.* Si bonus es, mane, & ædifica alios. Si peccator es, & infirmus, mane, vt ædificeris ab aliis. Quocumque autem perrexeris, scito, quoniam diabolus tibi aduersabitur, & sequetur te tua passio, etiam si solus fueris & inclusus. Sæpe namque ex verbis leuibus, & habitu curioso exterius, cognoscitur status mentis, quid vanitatis geritur intus.

Luca 22.

Ibidem.



*Exemplum duorum fratrum.*

Venerunt aliquando duo fratres ad domum cuiusdam nobilis viri & terreni principis, pro aliqua causa monasticæ utilitatis. Intuens ergo eos diligenter princeps honestus, consideravit habitum & mores utrorumque extrinsecus. Illis autem recedentibus, dixit vir sagax domicellæ suæ in secreto, nulli tamen palam derogando: Videbatur mihi, quod vnus istorum, aut nouiter illic venit, aut citò inde recedere velit. Ad quem domina admirās ait: Vnde hoc scitis? Respondit: Ex dissimili veste & gestu, in verbis & moribus, coniecturo differentiam conuersationis. Post breue igitur tempus, res latens apparuit foris.

Vestis, gestus, & sermo arguunt hominem.

*Aliud Exemplum notabile.*

Quidam deuotus grauius à diabolo tentatus, exiuit de congregatione fratrum, ad captanda solatia mundi in ludicris vanis. relicto igitur humili cœtu clericorum, sociauit se frequenter contuberniis laicorum. Quadam verò die exiens portam ciuitatis, cœpit cum sodalibus suis pro pecuniis ludere, diuque ludens, perdidit pecuniæ taxam: & quod peius est bonæ conscientie famam. Finito tandem pyramidis ludulo, coactus est soluere debita sine dilationis termino. Recusat itaque trufatoribus trufam reddere, repugnat fortiter, nititur effugere, sponte nihil soluere contendit. Commoti ergo lutores, & conglobati pariter aduersus debitorem perfidum, tanquam canes rabidi contra lupum clamant, trahunt, verberant manibus, maledicunt verbis; Redde trufator, quod debes. Sed, cum non acquiesceret exactoribus suis, irati nimis reddiderunt ei multa dura verbera, pro denariis paucis. Demum resumpto spiritu, à quibusdam in oppidum est reductus. Mandauit ergo deuotis fratribus patriotis suis obsecrans precibus multis, vt cum visitarent grauatam languoribus, recitans coram eis historiam suæ miseræ passionis. Versa enim erat cithara mundanæ ludificationis in luctum acerrimæ afflictionis. Quibus auditis, visitant ægrotum beneuoli fratres, compatiendo animæ afflictæ. Increpant tamen seriosè erroneum pro admissio scelere, dicentes; digna eum recepisse verbera, iuxta illa euangelica Domini verba: *Exi cūd in vias & sepes, & compelle intrare.* Si enim, inquiunt, in congregatione mansisses, tot plagas non recepisses. Tunc multum ingemiscens, fatebatur stultè se egisse, & peccasse. Idcirco (inquit) si conualuero, fauente Domino, me emendare propono. Multi autem ex fratribus hæc infortunia audientes, timore correpti sunt; & constantiores effecti, in melius profecerunt, iuxta illud Salomonis: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Bonum est ergo in domo cum fratribus

Exitus ex cœnobio quàm plenus periculis.

Lucæ 14.

Prou. 19.



tribus manere, & à societate seculari abstinere; & sine consilio Prælati nil attentare: nec exitum per licentiam extorquere, fraude vel prece. Nam sæpe pœnitet in fine, quod malè acquiritur propria voluntate. Qui vult proficere, & in congregatione perseverare: debet apertus esse Prælato suo in confessione, fidelis in opere, verax in sermone. Debet inter fratres esse verecundus, humilis, tacitus, quietus, pius, morigeratus, patiens, gratus, & obsequiosus. Ista faciunt Deo charum, hominibus amabilem, & nulli onerosum.

*Aliud Exemplum de quodam clerico sæpe evagante.*

Clericus quidam in congregatione fratrum studiÿ causa habitabat, qui pro recreatione querenda, sæpe ad amicos diuertit, sæpe etiam loca & domos religiosorum visitavit. Dixerunt ergo ei fratres, & constudentes socij eius, timentes ipsi periculum ex frequenti discursu imminere: Si vis in bono statu perseverare, noli extra domum tam sæpe vagari: caue amicos visitare, & familiaritates feminarum. Cum ergo sæpius & feriosè à multis admonitus esset, & pravam consuetudinem non refecaret: tandem tentatione crescente, sanctam societatem reliquit, & ad amicos rediens vxore accepta totus secularis & vagus effectus est.

## SERMO III.

*De verbis & consilijs seniorum humiliter audiendis.*

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Dilecti fratres audite libenter salutaria monita seniorum vestrorum: & nolite esse prudentes apud vosmetipsos, ne incidatis in laqueum diaboli, & scandalum animæ vestræ acquiratis. Nolite altiora quærere, nec curiosè aliorum facta perferutari, sed quid velit Deus, & quid promisistis servare, omni tempore cogitatis. Dixit quidam deuotus religiosus: Qui de omnibus alienis tacet, de omnibus pacem habet. O pretiosum verbum, vtile, semper animo retinendum! Quanto enim quis latius foris extenditur, tanto intus minoratur. Nemo ergo alios inspiciendo, se negligat, sed ante omnia curam sui gerens, de reliquis taceat, quæ ad eius commissionem non spectant. Idcirco, quilibet internus esse cupiens, cum Psalmista dicat: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* Quicumque voluerit in spiritu proficere, det se sapius ad orationem, & silentij secretum: caueat multas quæstiones & fabulationes longas texere, sed potius cum sancto David deuotè oret: *Dominè ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.* Si quæritis, quæ sit voluntas Dei,

Deut. 32.

Isaïa 5.

Psal. 118.

Psal. 142.

Dei,



12 SERMONES AD NOVITIOS.

1. Thes. 4.

Dei, respondet beatus Paulus planè & lucidè omnibus nobis : *Hac est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Quæ est sanctificatio ista, nisi abstinere à malo, & exercere se quotidie in bono? Si ignoratis, quid Deo magis placeat, & quid vtilius agere debeatis : ite incunctanter, & interrogate diligenter à Prælato vestro, aut à senioribus magis expertis : ne contingat vos in proprio sensu abundare, & errare. Quæ est causa, quòd tam multi à prima devotione tepescunt, & tam parum in veris virtutibus proficiunt? Quia, proh dolor! à sancto proposito paupertatis & simplicitatis, quòd à senioribus acceperunt & didicerunt, paulatim recedunt : & potius proprias inclinationes sequuntur, & nouas conuenientias fingunt : simplicia & humilia abhorrent, familiaritates hominum quærunt, scientiam suam ostendere appetunt, & super seniores etiam doctos se arbitrantur. Et vtinam nouitiorum humilia exercitia iterum apprehenderent, & paruum admonitionem gratanter acciperent.*

Prou. 1.

2. Fratres, nemo erubescat à senioribus erudiri: nemo spernat à minoribus ædificationis verbum audire: quia hoc est humilitatis commendabile signum, hoc spiritualis profectus est valde bonum prælagium, iuxta illud Salomonis prouerbium : *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* Qui vult sapiens esse, & doctus reputari, antequam audiat & discat, diu stultus inter sapientes remanebit. Prouerbium veridicum est : *Qui non vult audire magistrum, vt bonus discipulus : hic cum dyscolis verberabitur, vt asinus rudis.* Cõsiderate iam consequenter, ex scripturis vtriusque Testamenti, sanctos Patres & doctores, Prophetas & Apostolicos viros, scientia & virtutibus præclaros: quàm solliciti fuerunt, tam in vita quàm in morte, instruere filios & subditos suos : *Quàm multa secreta Dei prædixerunt eis, de futuris & cælestibus bonis, sub diuersis figuris & parabolis: quatenus omnes adiutores suos beneuolos redderent ad obseruantiam legis, & cupidos facerent ad omnia diuina promissa, tam præsentia quàm futura percipienda.* Moyses enim doctor & legislator præcipuus, sic ait : *Audi Israël præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea, viuas. Non addetis ad verbum, quòd loquor vobis, neque auferetis ex eo : & docebis ea filios tuos ac nepotes tuos.* Et rursum in alio loco : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos : scribesq; ea in limine & in ostijs domus tuæ.* Ecce quàm sancta mandata, ac religiosa exercitia diuinæ doctri-

Moyse.  
Deut. 6.

Ibidem.



doctrinæ, propofita funt nobis per Moyfem, etiam cunctis fidelibus dignè imitanda.

3. Post Moyfem fanctum furrexit Iofue in loco eius, fidelis minister, electus ex millibus. cui dixit Dominus: *Sicut fui cum Moyfe, ita ero & tecum. Confortare, & esto robustus valde; & custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyfes feruus meus: nec declines ab ea ad dexteram, vel ad finiftrâ.* Et quia Moyfes pofuit super eum manum fuam, meruit benedictionem diuinam; & repletus est fpiritu fapientiæ, quæ maximè neceffaria est, pro bono regimine in ciuitate & multitudine: & obedierunt ei filij Ifraël ficut Moyfi, iuxta præceptum Domini. Hæc audiens quilibet frater nouitius vel profeffus, debet trahere vtile exemplum ad feipfum, obediendo humiliter Præfato fuo, aut feniore fratri propter Deum: vt mereatur habere benedictionem cælestem, propter humilitatem fuam & obedientiam promptam. Nam humilis obedientia fpeciale meretur à Deo gratiam, & defenditur à multis diaboli laqueis, & excufabitur in iudicio de malis fibi obiectis & offenfis. Idcirco rogo vos iuniores, audite humiliter feniores, qui habent longam experientiam in multis: qui diu portauerunt in ordine pondus dici & ætus, fæpè corpore fatigati, fæpè mente afflicti. Quos Deus fortiter probauit in camino paupertatis, tanquam aurum in fornace ignis: & post longâ inedia & anguftiâ cordis, confolatus est eos fæpius gaudio Spiritus fancti, & dulcedine Sacramenti; ficut olim in deferto filios Ifraël paut manna cæleſti. Legitur in primo libro Regum, quod Samuel charus Deo & hominibus, cum adhuc eſſet puerulus, à fancta matre fuâ Anna Deo oblatus eſt, & Heli facerdoti ad erudiendum, commendatus: quatenus eius in magiſterio, à pueritia aſſueſceret Deo in tabernaculo altaris humiliter ſeruire: & ſecundum legem Dei, bonis moribus ad altiora & ſacratiora capienda paulatim proficeret. Quod & factum eſt, Deo feliciter annuente. Qui in omnibus agendis & conſulendis, facerdoti fuo tanquam vicario Dei, ſtudit incunſtanter obedire; vt nec ad dormiendum quidem, ſine eius licentia, ire præſumeret. Nam trina vice à Domino in nocte vocatus, ſtatim de lectulo ſurrexit. Et quia diuinam reuelationem adhuc ignorabat, ad notam ſibi facerdotis præſentiam promptulus eucurrit, & vocem quâ audiuit, iudicio Prælati ſui expoſuit: plus credens induſtriæ ſenioris ac conſilio facerdotis, quam ſuæ innocentia: qui de facili poterat in ſecretis Dei decipi, aut inani-ter eleuari. O qualis erit hic puer in futuro, qui tam obſequioſus & obediens fuit ſeniori in vitâ primordio? Certè creſcete ætate, concreuit & altioris reuelationis gratia: vt poſt mortem facerdotis ſui, iudex fieret totius populi, & ex iuſſione Domini reges vnge-

Iofue.  
Iofue 1.

1. Reg. 1.  
Samuel  
obediētiz  
typus.

ret, &



1. Reg. 3.

ret, & virtute orationis potentiam inimicorum debellaret. *Cognouerunt enim omnes à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini.* Qui sepius conuocans populum, & Dei beneficia quamplurima memorans, redarguit eos de stulta idolorum cultura: & de magna ingratitude eorum, post tanta beneficia data. Et quia Deum sepius offenderant, ideo grauissimè ab hostibus castigari meruerunt. Deinde, ad sacræ legis obseruantiam sollicitè reuocat omnes errantes, & ait: *Auferte deos alienos, & parate corda vestra Domino, & seruite illi soli, & liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum.*

2. Reg. 7.

David.

4. Dauid quoque rex potens & sanctus, à Samuele oleo sancto in principem populi vnctus, cum pluribus annis Israëliticum regnum strenuè gubernasset, ante mortem suam, vocauit ad se Salomonem filium, præcepitque ei, dicens: *Ego ingrediâr viam vniuersa terra, confortare & esto vir fortis: & observa ut custodias mandata Domini Dei tui: ut ambules in vijs eius, & custodias caeremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi.* Rursus in Psalmo, quodam Spiritu sancto afflatus, populum sibi commissum erudiens, & ad diuinum cultum exhortans, orat, & dicit: *Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Quanta mandauit patribus nostris, notâ facere ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera? Filij qui nascentur & exurgent, narrabunt filiis suis; vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Domini, & mandata eius exquisant.* Ecce, quàm deuota admonitio gloriosi regis, ad custodiam sacratissimæ legis.

3. Reg. 2.

Psal. 77.

Salomon.

5. Salomon quoque sapientissimus regum, paterna vestigia sequens, inter multas prouerbiorum sententias, iuuenes instruens sic ait: *Audite filij disciplinam patris, & attendite vt sciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne dereliquatis. Nam & ego filius sui patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea, & docebat me atque dicebat: suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & viues. Posside sapientiam; posside prudentiam: ne dimittas eam, & seruabit te.* Ecce quàm vtilem doctrinam tradit Sapiens iuuenibus, & præcipuè vobis nouitijs scholam Dei ingressis; quatenus Deo fauente, in virtutibus vsque in senectam proficiatis.

Prou. 4.

Matathias

1. Mach. 2.

6. Legitur etiam in libro primo Machabæorum de Matathia viro clarissimo, & æmulate legem constantissimo; quia zelo Dei inflâmatus, & diuino auxilio atque humano potenter accinctus, impios ac desertores paternæ legis de finibus suis expulit: & neglecta patrum priorum statuta, ad sanctam Deo placentem obseruantiam, decenter pro viribus reformauit. Qui nihil aliud, in cunctis



in cunctis bellicosis actibus suis præterdit, nisi ut honor Dei & cultus in sacris legibus firmissimè starent; & populus desolatus, Deo seruiendo, felici pace gauderet: atque summa exultatione, Deum omnipotentem cordibus sinceris coleret, ac vocibus iucundis iugiter collaudaret. Hic tandem, post multa inclyta bonorum operum gesta moriturus, & paterna charitate de futuris sollicitus: ne bonum pio conamine incæptum per desidiam deperiret, conuocatis ad se filiis & amicis, zelum Dei habentibus, confortauit corda eorum sermonibus optimis, cum multis sanctorum præcedentium exemplis; & ad perseverantiam boni status iam incepti singulos strenuè exhortans & deprecans, ait: *Nunc ergo, o filij, emulatores estote legis: & date animas vestras pro testamento patrum Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.*

7. Saluator quoque noster Dominus Iesus Christus, peracto Saluator.  
per passionem & crucem suam redemptionis nostræ mysterio, post beatam resurrectionem suam apparens frequenter discipulis suis, inter multa sacrata verba, quibus eos sapienter & expressè instruxit, hæc finaliter & salubriter intulit: *Euntes (ait) in mundum* Marc. 16.  
*uniuersum, prædicate Euangelium omni creatura: & docete omnes gentes seruire omnia, quæcunque mandauimus vobis.* O felix & meritoria obedientia, quæ nil aliud cogitat, quàm beneplacitum & voluntatem Patris cælestis desideranter implere! O quàm sancta anima, quæ nititur se resignare, & totam vitam suam moribus Christi conformare! Verè optimum exemplum bene viuendæ reliquit omnibus nobis Iesus Christus: Ipse magister omnium, ipse liber & regula religiosorum, ipse commentum monachorum, ipse textus & glossa decretorum. Ipse forma vitæ clericorum, doctrina laicorum, lucerna fidelium, lætitia iustorum, gloria Angelorum, finis & consummatio omnium desideriorum sanctorum.

8. Legitur etiam in Actibus Apostolorum, de beatissimo Paulo Paulus.  
Apostolo: quòd in initio conuersionis suæ, vox cælestis dixit ad eum: *Surge, & ingredere ciuitatem: & ibi tibi dicetur, quid te* Act. 9.  
*oporteat facere.* Qui statim surrexit, & voci Dei obediuit: factusque est sanctus & magnus prædicator in orbe terrarum, qui prius fuerat persecutor Ecclesiarum. Hic perfectæ abrenunciationis exemplum ostendit omnibus religiosis: præcipuè tamen obedientiæ formam reliquit nouiter conuersis, ut omni hora cum Paulo dicant: *Domine, quid me vis facere?* Et sicut tunc de subita conuersione eius stupebant omnes, qui eum nouerant: ita & nunc mirantur & gaudent de eius doctrina cuncti mundi sapientes, vbicunque Christus fuerit nominatus. Idcirco diuina charitate accensus, omnes ad amorem Christi hortabatur, dicens; *imitato-* Phil. 3.  
*res meos*



Act. 15.

Ibidem.

res mei estote charissimi, sicut & ego Christi. De quo in Actibus Apostolorum scribitur, quod cum Barnaba ad prædicandū gentibus verbum Dei missus fuit, & plures ad fidem Christi conuertit. Post aliquot autem dies dixit iterum ad Barnabam Paulus: *Resuertentes, visitemus fratres per uniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus uerbum Domini, quomodo se habeant: utrum proficiant an deficient in bonis inceptis. Et iterum: Paulus uerò, electo Sylā pro socio ad prædicandum idoneo, perambulabat Syriam & Ciliiciam confirmans Ecclesias, præcipiens seruare & custodire præcepta Apostolorum & seniorum.*

9. Ecce fratres, iam multa bona audistis: quā solliciti fuerunt sancti uiri temporibus suis, docere filios suos & subditos, ut ambularet in sacris Dei præceptis; quā sanctæ conuersationis exemplā etiam reliquerunt posteris suis, quæ ipsi prius à patribus & senioribus frequenter audierunt & didicerunt. Sic ergo & vos charissimi, tanquam nouellæ oliuarum plantati in domo Domini, stete in obedientia & disciplina claustrali: tenete traditiones seniorum, & statuta generalis Capituli, per definitores ordinatā diuinā inspiratione pro salute uestra. Gratanter accipite monita Prælatorum uestrorum, & patienter sustinete correptiones eorum: quia melius est, quod ipsi uos modò corrigant, quā diabolus grauius in futuro uos puniat & deludat. Si enim nunc propter Christum humiliter consiliis seniorum acquiescitis, & propriam sapientiā relinquitis: tunc magnam pacem habebitis, & per gratiam Christi, æternam beatitudinem recipietis: Amen.

## SERMO IV.

*De bonis colloquijs inuicem habendis.*

Matth. 18. 1. **V**bi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dicit Dominus: Attendite (dilecti fratres) præsentiam Christi in omni loco, ubicunque conuenitis, siue ad orandum, siue ad laborandum: ne aliud alium impediatur, aut uerbo uel signo leuitatis offendatur. Si ergo data licentia loqui interdum uobis licet, sit sermo de Deo & deuotis materiis ex scripturis sanctis: quæ uos ædificent in uirtutibus & consolentur in aduersis. Sic fecerunt olim sancti Patres in Ægypto, quando cōueniant pariter pro consiliis & remediis in tentationibus superandis. De seculi uerò rumoribus, & variis hominum statibus, loqui caueatis, nec aliquem secularem temere iudicetis, quoniam Deus iudicabit omnes iniqua agentes. Nulla igitur cura uobis sit de temporalibus rebus cogitare, nec inde fabulari: sed tantum de spiritali profectu in uirtutibus, & de remediis uitiorum uestrorum. Committatis omnia exteriora & negotia domus, Deo regen-



regenda, & Prælatis vestris disponenda, qui rationem reddent in iudicio de sibi commissis. Vos estote pacati & grati, de ministerio quotidiano vobis exhibito, contenti stipendiis vestris in victu & vestitu moderato: non curiosa, non superflua, non recentia, non molliora quæretes: sed sicut boni simplices filij Dei, sine querela & disceptatione inter fratres conuersantes, indignos vos omnibus his beneficiis ex humilitate reputetis. Ferueat mens vestra in cælestis regni desideriis: & in deuotis exercitiis, alius alium præire conetur; & præter Christum, & hunc crucifixum, nil scire nec cogitare libeat. Quatenus omnia secularia & carnalia, ex amore & condolore crucifixi, in nauseam vertantur; & poenitentiae labor breuis & facilis vobis appareat: & disciplina regularis vitæ in dulcedinem, & bonæ conscientiae iucunditatem, per singulos dies conuertatur. Tunc enim Christus, vobis orantibus & colloquentibus, inter vos commorabitur: docens vos terrena despiciere, & amare cælestia, & contra diabolicas tentationes fortiter certare, ac passionem carnis refrenare.

2. Quare enim venistis de seculo, nisi vt tota spes vestra esset in Deo, & cor sursum in caelo? Quia ergo elegistis renunciare seculo, & seruire Christo in monasterio, fugite homines seculares, relinquitte amicos carnales: quia possunt vos in deuotione vestra impedire, & ad nociua desideria fabulando trahere, nec aliquem fructum animæ vestræ conferre. Quanto rariùs & breuiùs loquimini hominibus, tanto securius est pro custodia cordis & oris. Est multum pro honore vestro & fama ordinis, si pro reuerentia hospitem, in præsentia eorum verecundi & taciturni appareatis: plus enim ædificabitis bonis moribus, quàm curialitate sermonis. Ex vno indisciplinato verbo arguunt vos leuitatis & imprudentiæ; & sub habitu religionis coniecturant vulpem latere, & ouem se fingi.

3. Pauci igitur sint sermones vestri, vtilis & circumspecti: quia verbum otiosum non erit impunitum apud Deum. Pro hoc cauendo, silentium est amandum & seruandum: & à sanctis Patribus, antiquis & modernis prælatis nostris, in religione salubriter institutum. In nullo denique statu & ordine stabit pax & disciplina, si non adsit censura silentij, quietis amica: quæ est deuotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga. In silentio discatis, qualiter & cui loqui debeatis. Ex vanis verbis fit animus vagus & lubricus; vix valens ad interiora sua redire, post longos gemitus & fletus. Ex diuinis verò colloquiis nascitur amor Dei, ædificatio proximi, odium mundi, desiderium regni cælestis, dolor de peccatis, seruator charitatis, refrenatio cupiditatis, & renouatio totius interioris hominis, in speculo sanctissimæ



*Psal. 144.*

vitæ nostri Salvatoris. Ipse enim adesse dignatur de se loquentibus, *prope est omnibus se invocantibus*. Excitat verbo sancto torpentes, confortat debiles, adiuuat fortiter dimicantes, coronat vincentes. Terret per supplicia, hortatur per exempla bona, consolatur per dona promissa, lætificat temporali gratia gratis data, beatificat æterna cæli gloria manifestata, attestante Psalmista:

*Psal. 16.*

*Satiabor* (inquit) *cum apparuerit gloria tua*. Tam pius & misericors est Iesus, tam dulcis & mitis est Christus: vt si quis ei locum in corde præparauerit, absque dubio lumen gratiæ suæ libenter illi ostendet, & cum eo cœnabit. Si solus est, & legit aut orat, Iesus vult esse secundus. Si duo simul legunt aut cantant, Iesus vult esse tertius. Nec vacua erit petitio istorum, in nomine Iesu congregatorum, qui bona fide humiliter & deuotè supplicant: si tamen in omni re, quam petunt & desiderant, eius beneplacitum quærunt, & suæ propriæ voluntati renuntiant, illud gratissimum Christi verbum dicentes: *Pater, non mea voluntas, sed tua semper fiat*. Amen.

*Luce 22.*

## SERMO V.

*De patientia conseruanda inter desides & peruersos.**Esaiâ 25.*

**I.** *Dilecte pusillanimes, confortamini, & nolite timere*. Dilecti fratres non turbemini, si interdum contingunt aliqua in religiosis defectuosa, quæ vobis displicent: aut si aliqui recedunt à congregatione bonorum: vel si tepidi conuersantur cum eis propter tentationes diaboli, quas quotidie in Dei seruitio patiuntur. Nam hæc tristitia humanæ fragilitatis tentamenta, etiam contigerunt ante tempora nostra: sicut de multis sanctis & religiosi viris legitur, qui iam in toto orbe à multis honorantur. Nos quidem fragiles sumus & ad malum procliuēs: ideo necessarium est, nostros prauos mores per statuta arctari: & quasi indomitos pullos ad stipitem sanctæ crucis, pro nomine Iesu ligari: ne secundum propria desideria viuendo, declinemus à via recta sanctorum, qui per angustam portam intrauerunt regnum cælorum. Oremus ergo pro inuicem, vt Deus adiuuet nos & confortet in omni tribulatione & tentatione nostra, & custodiat ab infestatione & deceptione inimici: qui vbique circuit, quærens quem deuoret; & quali arte aliquem de medio congregationis trahat ad seculum, & de seculo ad infernum. Ibi nulla est redemptio, sed sempiternus horror inhabitat: Ibi animæ quærunt mortem, & non inueniunt: Ibi cruciantur die ac nocte, in igne & sulphure: quia hic modicam agere poenitentiam

Velut indomiti  
pulli, necesse habemus  
aligari stipiti crucis.

*Matth. 7.*



tiam noluerunt, & tempus suum tam vanè & infructuosè expenderunt.

2. Fratres, non quæramus quietem & commodum carnis, sicut seculares, sed laborem & dolorem pro peccatis. Resistamus vitis sæpe ieiunando, orando, legendo, meditando. Certè non habebimus pacem & quietem super terram, vbiunque fuerimus, vel etiam quocunq; perrexerimus pro solatio habendo, vel pro tædio releuando, aut pro laboris onere diminuendo: nisi conuertamus nos ad Christum per orationem & contritionem peccatorum, cum firmo proposito agendi semper pœnitentiam: vt possimus per hunc leuem laborem & breuem dolorem, æterni ignis euadere pœnam. Pax nostra & quies bonæ vitæ est in multa patientia, secundùm vitam Christi & exempla Sanctorum: non in longa fuga, per loca arida; nec in nauicula, per flumina transmarina, Ionas Propheta fugere voluit à facie Domini, nauim ascendit, sed nihil ei profuit. Tradidit se sopori, quietem quæsiuit, sed non inuenit. Latère se credit, sed Deus absconditum prodidit, tempestatem mouit, & mare turbauit. Tunc dormientem nauæ excitant, increpant, & in aquam proiiciunt; qui mox à pisce deglutitus, quasi fugitiuus & inobediens, in ventre cæti pro culpa incarceratur. Clamauit ergo in arcto carcere clausus, orauitq; Dominum, vt liberaretur de tantis periculis maris & angustia piscis. Tandem verò omni humano auxilio destitutus, cognouit in afflictione sua, quia manus Dei effugere impossibile est: & diuinis obedire præceptis, tutissima animæ salus. Non ergo fugiamus labores & angustias pro salute nostra in religione subortas, de quibus antea nesciebamus: sed stemus firmiter, certemus viriliter, obediamus festinanter, oremus frequenter, laboremus diligenter, taceamus libenter. Sustineamus nos propter Christum patienter, sicut omnes Sancti fecerunt; qui grauiora perpessi, nunc gaudent in cælis, & dicunt: *Transiimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium sempiternum.* Inter multa pericula versamur: & qui tentant nos & vexant, non dormiunt nec quiescunt: sed quærunt nos decipere, & à bono incepto impedire.

Pax & quies non in fuga, sed in patientia.  
Iona 1.

Psal. 65.

3. Non tamen desperemus, nec orare & clamare ad Christum cessemus: etiamsi tepidi & aridi sæpius fuerimus, & præ angustia cordis ignoremus, quid agere debeamus: quia fortè probat nos Deus in paucis, si verè eum diligimus, non verbis tantùm, sed factis & plagis. Igitur surgentibus ventis duris, non retrocedamus: sed manus ad remos ponamus, arma spiritualia arripiamus, animum tristem erigamus, de nouo incipiamus: &



multo fortius quàm fecimus, contra carnem, contra mundum, & contra diabolum certare studeamus. Quanto enim durior pugna, tanto gloriosior corona: & quanto frequentior vexatio tribulantis, tanto laudabilior virtus patientis. Multum impedit pusillanimitas cordis, citò amittere confidentiam in aduersis, negligere sanctum propositum, reuoluere seculi statum, imaginari amicorum præsentiam, sociorum pensare iucunditatem: quæ omnia sunt vanitatis & fatuitatis, sicut finis repentinus, omnis delectationis & honoris ostendit.

4. Vita nostra, fratres, & religio pro Deo assumpta, in quotidiano certamine consistit; scilicet contra vitia certare, quæ omni loco & tempore, in choro, in dormitorio, in silentio, in labore nos persequuntur & tentant, utinam non vincant. Ideo non mirum, si interdum labimur, & vulneramur; si leuiter offendimus, & offendimur, in verbis, in factis propriis vel alienis. Homines sumus, non angeli; mortales sumus & fragiles peccatores, exules sumus & peregrini, non ciues cæli: instabiles & proni ad vitia, nondum perfecti in gratia, nec beati in gloria. Ista consideratio humiliare nos debet, non eleuare in superbiam mentis: sed per propriam fragilitatem, inducere ad spem diuinæ misericordiæ & pietatis, sine qua nihil boni incipere valemus nec perficere, Domino attestante, qui ait: *Quia sine me nihil potestis facere.* Propria namque fragilitas, nos maximè premit: sed diuina inspiratio ac cælestis visitatio, deficientes iterum erigit, & ad bene operandum confortat, atque ad sustinendum quæcunque improuisa super nos veniunt, benignè pro vtilitate salutis nostræ ordinat, & iusto occultoque iudicio omnia dispensat. Ipsi enim cura est de omnibus nobis, ab initio vitæ usque ad finem mortis. Qui enim fecit nos, non derelinquet nos, si cum non relinquamus: *sed faciet cum tentatione prouentum*, ut possimus resistere, & molestias eius sustinere. Dicamus ergo cum sancto in Psalmo, quando impugnamur ab inimico maligno: *Adiuua me Domine Deus, ne derelinquas me.* Et iterum, cum tota mentis fiducia, clamemus ad Christum in cælis: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euulset de laqueo pedes meos.*

Ioan. 15.

1. Cor. 19.

Psal. 26.

Psal. 26.

5. Pax vera & perfecta requies est in cælo, non in terra: quia hic omnia sunt in motu, & timore, & frequenti pressura. Igitur fortis patientia nobis summè necessaria est in hac fragili vita, quæ non est nisi quotidiana luctatio contra vitia. Siue enim homo fuerit in domo propria siue aliena, siue inter notos aut familiares amicos; citò sibi obuiabit, quod displicet, aut perturbat animæ quietem, nullibi tutam. Ponat ergo quilibet se ad patientiam, sicut melius potest; & patienter portet, quæcunque Deus permise-



permiserit, & sic ampliorem pacem habebit. Si ab aliquo læsus & vituperatus fuerit, vincat superbiam suam, & discat pati contumeliam, & inueniet apud Deum gratiam magnam, & gloriam æternam. Doleat se peccasse, & minus patienter contemptum sui tolerasse, & de omnibus offensis humiliter veniam petat, & Deus libenter omnia ipsi dimittet.

6. Dilecti fratres non desperetis, nec mala malis adijciatis: sed statim quando cōscientia vos accusat, ad confessionis remedium festinetis. Solus Deus est, in quem peccatum non cadit. Nam *in angelis suis reperit prauitatem*, & magna pars eorum de cælo cecidit per superbiam: quia de donis sibi collatis non dederunt Deo gloriam. Primus homo in paradiso tentatus est & deceptus, & propter inobedientiæ culpam, de loco voluptatis eiectus fuit in huius mundi miseriam. Quid ergo mirum, si frater aliquis fragilis, à diabolo & carne grauiter tentatus, vel à multis pro culpa sua increpatus, quandoque erret & peccet, aut impatiens fiat: quando homo bene conditus in paradiso cecidit, vbi tot commoda & nulla incommoda habuit? Multi boni & iusti viri fuerunt in veteri lege sapius tentati & vexati à malis hominibus: sed patienter malos sustinuerunt, vt meliores per aduersa fierent. Quandoque verò per voluntatem Dei malis restiterunt, & iustam vindictam impiis reddiderunt, ne boni oppressi in tribulatione nimia deficerent.

7. Quidam etiam, subita tentatione fracti, ceciderunt: alij longa ægrotudine quassati, humiliati sunt in iniquitatibus suis; & quos diuitiæ & honores extulerunt, dolores & confusiones ad fragilitatis suæ cognitionem reduxerunt. Multi quoq; post grauem lapsum, citò pœnitendo fortiores surrexerunt: & in sancta conuersatione vitam laudabiliter consummarunt. Temporibus Christi & Apostolorum eius, fuerunt boni malis permixti, in ciuitate, in itinere, in domo, in deserto. Aliqui Christo crediderunt, & opera eius laudauerunt: quidam ipsi contradixerunt, & de eo murmurauerunt. Quidam etiam mystica verba eius malè intelligentes, ipsum deriserunt, & quia vitia eorum iustè reprehendebat, vera & sancta miracula eius inuidiosè denigrauerunt. Etiam Christo prædicante & præsentem, contigit inter discipulos aliqua indignatio & disceptatio, quis eorum esset maior & primus, in prælatione & regimine nascentis Ecclesiæ: quam ex diuersis locis & populis, & præcipuè de pauperibus & simplicibus congregauit. Quos pius & humilis magister, verbo suo & exemplo, ad pacis concordiam per humilitatis viam benigna correptione reuocauit, dicens: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum calorum.* Et iterum: *Qui*

Mali nunquam non bonis admixti.

Matth. 18.  
Qui Matth. 20.  
vult



*vult primus esse, erit omnium vestrum servus.*

8. Ecce charissimi, per ista humilitatis & patientiæ exempla, quæ sunt omnium virtutum fundamenta, potest simplex & obediens frater, sine multis argumentis & astutis verbis, ad regnum cælorum secunda conscientia peruenire, & æternos euadere cruciatus inferni; patienter sustinendo quælibet contraria à peruersis iniuste sibi illata. Apparet itaque ex prædictis quòd in omnibus locis & temporibus sanctorum, fuerunt boni & mali, fideles & increduli, deuoti & dissoluti, beneuoli & peruersi, spirituales & carnales: & boni, per suam patientiam, profecerunt quotidie in melius; & mali, tanquam fumus, euauerunt in malitiis & desideriiis suis. Deus autem omnium rerum conditor & inspector seculorum, à principio vsque ad finem, sic nouit moderari causas singulorum; vt bonis omnia cooperentur in bonum, & malis omnia proueniant ad pœnam æternam. A quibus malis, nunc & in æuum, custodiat nos pius & misericors Dominus, iudex iustus & patiens redditor, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

*Rom. 8.*

### SERMO VI.

*De vigilijs nocturnis, contra impugnationem soporis.*

*Matth. 14.*

**S**imon dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum? *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Vox ista, dilecti fratres, vox est cælestis Regis, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui hortatur milites suos ad vigilandum in castris, contra tentationes diaboli, aduersarij generis humani. Quod ergo Dominus vigilanter ad beatum Petrum & ad reliquos discipulos loquitur, hoc etiam indubitanter omnibus nobis dicit. Igitur custode media nocte veniente & excitante, mox ad sonum cymbali euigilemus, & ad ingressum chori, deuotis precibus nos preparemus, ac cælesti Sponso ardentibus faculis occurramus. Studeamus charissimi viriliter abiicere pigritiam corporis & somnolentiam ab oculis nostris. Extollamus manus in cælum, ad laudandum creatorem nostrum, vocibus lætis & mentibus puris: ne fortè præualeat contra nos callidissimus hostis, & derideat quosdam oscitantes, quosdam parum cantantes, quosdam vocibus discrepantes. Pessimus aliquorum usus est, (& vtinam non multorum, quod dicere pudet) qui in dormitorio seu in lecto diu phantasiando vigilant; & in Ecclesia, & in choro, præ tædio deuotionis dormitant. Hi sibi & aliis frequenter nocent, nec Christo strenuè militant, neque pro benefactoribus & tribulatis fideliter orant.

*In vigilijs  
in lecto, & o-  
scitantes  
in choro.*



orant. Valde enim graviter Deum offendunt, pigre surgendo, tarde sepius veniendo, tepide psallendo, verba corrumpendo, crebrius oscitando, vage circumspiciendo, male aduertendo, negligenter inclinando, de longitudine psalmodum attadiando, & ad finem festinando. Gaudent ad sonum refectorij, horrent signum Capituli: properant ad fabulas, tarde intrant ad cellam, languent ad opera, feruent ad fercula bene parata. Omnia ista sunt signa parua deuotionis, magna ingratitude, & vehementis confusionis.

2. Heu, non est timor Dei ante oculos istorum, non amor Dei in corde, non laus eius in ore: sed fraus in voce, & tepor in actione. Vbi est Deus, vbi Angeli, vbi Sancti Dei omnes? Vbi Prælatus, vbi custos, vbi cator, vbi lector, vbi suscitator? Omnia euanescent ante oculos dormitantis. *Euigilate iusti, & nolite peccare*, ait Apostolus. *Vigilate & orate*, ait Dominus, *ne tentet vos Satanas*, præ inopia spiritus pigritantes. Ipse etenim circuit die ac nocte, *querens quem deuoret*; qualiter decipiat simplicem, deuotum distrahat, & quietum perturbet. Latatur valde, si aliquis non cantat aut male legit: si clausis oculis dormitat, si vagis oculis circumspicit, & seipsum negligit. Adest citò, vt versum ex ore torpētis rapiat, & in sacculum suum verborum fragmina iactet. O frater aselle, de genere dormitantium, & numero fatuarum virginum, quarum lampades in nocte extinctæ leguntur; si Deum non times, nec Angelos reuereris, nec fratres tuos scandalizare erubescis: quare diabolus tibi insidiantem non metuis, qui omnia verba neglecta & imperfecta in charta sua cautè describit? Sicut enim Angeli sancti deuotas Deo preces offerunt, & feruenter cantantes diligunt & commendant; sic Satanas cum suis æmulis insidiatur orantibus, vt distrahat & impediat concorditer psallentes, & habeat non pauca contra eos, de quibus eos accuset & torqueat. Sed quia tam immanem raptorem, tam astutum circuitorem, tam strictum exactorem, tam durum accusatorem, & seuerum tortorem non attendis nec formidas, nec futura mala & infernalicia tormenta rarò aut parum perpendis, ideo torpescis & dormitas, & tanquam mortuus in sepulchro iaces & taces. Non est labor tam grauis, nec dolor tam acerbus, quin leuior fiet, comparatione ignis infernalis. Heu, quid facies in mortis articulo, diabolo occurrente, cum vultu teterrimo & hiatu furioso? Vbi tunc amici fideles? Vbi epulæ splendidae, & omnes mundi honores? Vis hæc terribilia euadere, & daemones non timere? Surge, vigila, ora, canta, lege, labora. Ad iniurias tace, laciones sustine, despectiones dilige, honores sperne, peccantibus indulge.

1. Cor. 15.  
Matth. 26.  
1. Pet. 5.





3. Non recedant ab oculis tuis luctus damnatorum, ingens clamor demoniorum, gravissimus discessus à presentia Dei, & iucunda societate sanctorum. Times plerumque, videns incendium fornacis ardentis, expauescis fulgura & tonitrua, horrescis tempestates & frigora valida, & vix audes dormire & manere in cella. Ex quo audisti & legisti, multos extinctos subito casu & languore, cur non metuis similia tibi posse accidere? Scito, graviora post mortem cruciamina imminere. Pone in mente tua, quæ naturaliter horribilia videntur: scilicet, ollam succensam pice plenam, sulphure foetentem. Attende leones fremetes, canes mordentes, serpentes saevientes, bufones corro dentes, dracones glutientes; & vinces citius turpissima vitia, ad cor tuum maculandum per diabolum tibi immissa: fugabisque longius à te torporem mentis, somnolentiam corporis, & desiderium vanissimæ laudis. Dico tibi, quod longæ vigiliæ, longæ lectiones, horæ diurnæ, silentium, labor & ieiunium, breue faciunt purgatorium, & magnum inducunt gaudium, post trium vel quatuor horarum spatium. Mirum est, quod tam faciliter tædium sentis in choro cantando, legendo; & non attædiaris diutius fabulando, aut rumores seculi audiendo. Intellige istud esse diabolicum factum, qui nititur omni modo diuinum impedire seruitium, & retrahere te ab Ecclesia & à conventu psallentium, vt habeat socium in inferno perpetuò comburendum. Tunc clamabunt & ululabunt, præ nimio calore & dolore, qui modò Deum non laudant corde & ore, cum ingenti seruire. Si te delectat cum amico colloqui, pro qualicunque solatio capessendo, quanto magis festinare debes & anhelare ad diuina audienda; vt loquaris cum Deo, in hymnis & canticis, omnibus aliis curis & imaginationibus prætermisissis? Sed quia sepe plus mouent facta quam verba, adiicienda sunt in fine sermonis exempla aliqua, instructionis gratia. Imitare bona, quæ placent: caue mala, quæ offendunt.

*Exemplum.*

4. **F** Rater quidam infra matutinas parum coepit dormire, Quod attendens frater proximè illi assistens, silenter auribus eius, hoc verbum tantum ingressit, Infernus. Quo audito, ille subito perterritus & expergefactus, omnem torporem à se abiecit. Cogita ergo piger de Inferno, & non dormitabis in choro lassus præ tædio.

*Exemplum aliud.*

5. **A** Lius quoque frater parùm cantans, cum vocè eius astans non audiret, obiecit ei, quod tunc tēporis in matutinis cantabatur: *Simon dormis?* At ille cōmotus ex verbis istis, deprehendit se notatū in sopore; & expauit admonentem, præ stupore & pudore.

*Exem-**Marci 14.*



*Exemplum aliud.*

6. **F**uit quidam frater in ordine Regularium, Deo deuotus & bene literatus, artificialis cantor, & diuinæ laudationis amator studiosus. Hic quadam vice loquebatur cum alio fratre socialiter de dulcedine diuini cantus, & de solemnibus officio, quod fit in Ecclesia in præcipuis festis. Dixit ergo ei pro ædificatione, pusillanimitatem eius confortando, vt alacriter cantaret in choro. Frater, Deo laus, ego nunquam habui tedium in diuino officio, quantumcunque longum esset. Nam in festo palmarum, quamuis diuinum officium satis prolixum videtur, præ cæteris diebus: tamen non sum attædiatus de longitudine cantus: sed ita paratum me sensi ad cantandum, quod si aliquis iterum ab initio totum incipere voluisset, libenter cum eo incepissem & cantassem. Hoc audito, ædificatus est frater prædictus, & ad cantandum alacrior effectus. Bene huic seniori credendum fuit, quia semper cum primis ad chorum venit: rarò exiit, exiens pro necessitate, citò rediit, præsens fideliter pro posse iuuuit, & oculos in diuersa non defixit.

*Exemplum aliud.*

7. **A**lius eiusdem ordinis frater, zelo Dei accensus, contra somnolentiam fortiter certabat, & hanc sibi violentiam inferebat. Grauius namque somno in choro, capillos capitis sui manu traxit, barbam duriter fricuit, nasum stilo pupugit, oculos saliuæ detriuit, & sub mento acutum lignum quandoque posuit, vt somni torporem fugaret. Cumque motus carnis sentiret, flammam incendij infernalis cogitabat, & digitorum unguibus cutem corporis sui acriter sulcauit: & rubras cicatrices tam diu carni prurienti infixit, donec motus illicitus ex diabolo incitatus penitus cessaret.

## SERMO VII.

*De custodia oris & diligentia operis, cum obedientia superioris.*

1. **B**onus homo, de bono thesauro, profert bonum. Dilecti fratres, *Matth. 12.* semper aliquid boni de Deo & sacra Scriptura habeatis in cordibus vestris reconditum; atque in opere exteriori replicate dulcia verba Christi, quæ confortent vos in grauamine laboris vestri. Ruminetis sedulo deuotos psalmos & hymnos sub silentio oris vestri: ne diabolus inueniat vos intus vagos & otiosos, circa aliorum facta inutiliter occupatos; quia cor instabile, & a bonis cogitationibus vacuum, nidus est diaboli. Ponderate verba vestra, antequam loquamini: ne quid insipidum proferatis, quod audientem offendat, & dixisse poeniteat, quia discretionis



Prou. 17.

Matth. 12.

Luc. 2.

Prou. 21.

limitem non seruastis. Si non scitis sapienter loqui, studeatis tamen humiliter & verecundè tacere, iuxta illud Salomonis: *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur.* Tempus ad bene operandum datum est, non ad otia dum, neque ad fabulandum, neque ad iocandum. Nullum ergo tempus absque fructu boni operis transire permittatis; quòd si habetis licentiam loquendi, non aliquid inutile proferendi. Sicut enim de omni verbo ocioso redditori estis rationem coram Deo in iudicio; ita etiam de omni tempore & momento, malè & negligenter expenso. Secundum diuersa autem tempora vel festa, per diem & noctem assumenda sunt exercitia temporibus apta, & feruentius accendenda proposita bona. Attamen propter bonum obedientie, & fraternæ charitatis obsequium, omnia priuata sunt abneganda, nec aliquod deuotionale singulare factum, sanctæ obedientie & communi vtilitati præferendum. Sic Christus reliquit templum & doctores legis, & obediuit matri & Ioseph, sicut bonus filius subditus parentibus suis, ad exemplum omnibus religiosis. Qui in hoc bene se exercet, & quotidie certat, & seipsum vincere laborat, altissimè coronabitur, quia legitimè certauit. Omnia enim opera bona, ex simplici obedientia propter Deum facta, Deo sunt gratissima, & maxima remuneratione digna, in celo perpetuò coronanda. Abnegatio namque propriæ voluntatis, cum vera humilitate cordis, subdita Prælato & consilio sui superioris, omnia temporalia lucra & vtilitatis augmenta superat, & præfulget laude æterna. Sicut enim nil ditius bona voluntate, nec quietius spontanea subiectione, sic nihil deterius propria voluntate, cum inflatione superbiæ. Hinc de laude obedientie Salomon ait: *Vir obediens loquitur victorias.*

2. Magnum certamen est, seipsum vincere; gloriosus triumphus, ceruicem superbiæ flectere, proprium videre relinquere, propriam sapientiam deponere, & in nullo se velle ostentare. Omnis, qui propter Deum sponte obedit, opus fortissimi militis facit: quia còtra seipsum certat, & diuini timoris gladio propriæ voluntatis motus enecat. Ideoque cum martyribus coronam perennis gloriæ accipiet, quia viriliter certauit & vicit. Quicunque ergo superiori, aut etiam inferiori humiliter obedit, & sensum suum alterius sensui libenter subiicit, iste nil perdit, sed cedens alteri amplius lucratur. Omnis, qui se sic vincit & humiliat, caput superbi Luciferi conculcat, qui contraria humilitati suadet, ne homo alteri cedat, sed ad argumenta callida se vertat. Cur hoc? Ne tacendo foris vilescat, & quasi fatuus aut inscius appareat, quia se defendere nescit, aut superari permittit. Heu superbia, quàm cæca & fatua semper, quàm longè decuias à regno Dei,

&amp;c



& præcipitanter curris ad portas inferni? O quanta bona & laudabilia dicta sunt de te humilitas sancta, semper obedire parata! Tibi enim apertæ sunt ianuae cæli, ad videndam gloriosam faciem Iesu Christi. Non ergo graue alicui sit, nec indignum videatur propter Deum obedire homini, in licitis & honestis: quando Christus factus est obediens, vsque ad ignominiam crucis.

3. Reuera fratres, si quis obedierit, aut serurierit fratri propter Deum, hic exhibet Deo maximum in sua subiectione honorem; & habebit in fine Christum sui laboris præmium, ac sanctæ seruitutis remuneratorem ita dicentem: *Quod uni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Sine obedientia namque & fraterna charitate, aut parua aut nulla sunt opera nostra. Cum humili vero obedientia, placent Deo etiam vilia & parua obsequia, fratribus impensa. Verus & perfectus obediens, non tardat vocatus, non se excusat occupatus, aut fatigatus. Timet enim Dei incur-rere offensam, si non sequitur iubentis vocem, secundum suam possibilitatem. Siue ergo obediens orat vel laborat, siue legit aut scribit, siue tacet aut loquitur, siue vigilat aut quiescit, siue comedit aut ieiunat; omnia ipsi in bonum, ex merito sanctæ obedientiæ computantur. Nam in omnibus actibus suis, faciendis vel dimittendis, æquè bene meretur, si seipsum plenè intus resignat; si in his beneplacitum & honorem Dei, veraciter quærit & intendit. Et tanto amplius proficit, & Deo gratius placet: quanto citius & alacrius implet, quod voluntas superioris facere dicitur. Et si melius sciret, & clariùs sibi mandatum innotesceret, omni nutatione remota, promptissimum se ad obediendum Deo & vicario eius exhiberet. Idcirco verus obediens semper in gaudio est, & magnam fiduciam in Deo habet, cuius voluntatem perficere omni tempore cupit: (à quo præmium sine fine recipere, cum electis, non dubitat) corde & ore decantans: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et iterum: *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

Matth. 25.

Psal. 56.  
Psal. 118.

SERMO VIII.

*De vanagloria cauenda, & quòd soli Deo laus est exhibenda.*

¶ *S*ic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Dilecti fratres, quando aliquid boni facitis, nolite extolli, nolite vanè gloriari: sed humilietis cor vestrum coram Deo, ne propter vanam gloriam & propriam complacentiam perdatis cælestem gloriam, & mercedem æternam. Omnis actio bona Deo ascribenda est, non vestræ industriæ nec potentæ. Studeatis soli

Matth. 5.



soli Deo velle placere, & proximo bonum exemplum dare, in obseruantia regularis disciplinæ: ne diabolus inueniat, vnde vos grauitè accuset, & impropere, quia similes estis sepulchris foris dealbatis. Quid prodest vana laus hominum, quando intus arguit mala conscientia peccatorum? Superbus & ambitiosus, gloriæ temporalis, laborem sine fructu habet: & nisi citò poenituerit, & se profundè humiliauerit, maioris poenæ cumulum aggregabit.

1. Cor. 13.

Extra charitatem Dei & proximi, nulla profunt opera ab hominibus laudata: sed sunt sicut vasa vacua, oleum non habentia: &

Matth. 25.

sicut lucernæ in tenebris non lucentes. Profectò namque fatuæ sunt virgines, qui pro aliquo bono opere vel sermone quærunt hominum laudes. Prudentes verò sunt, qui in timore stant, & paruum bonum quod agunt, in vera humilitate custodiunt: totum etiam quod sciunt & intelligunt, & ad effectum producunt, aut facere in melius proponunt, hoc summo Deo omnium bonorum largitori veraciter attribuunt. Alioquin fures sunt & latrones: fures, quia gloriam & honorem Dei illicite vsurpant: latrones, quia vanè gloriando animam suam inficiunt, & superbiendo gratiam Dei perdunt.

2. Quis est iustus & prudens? Qui Deum præ oculis semper habet, semper bona cogitat, semper bona loquitur, semper bona operatur, dum viuunt & potest. Nolite, fratres, ideo superbire, quia multa scitis & legistis: aut quia diu in via Dei & in religione fuistis. Dolendum magis, quia tam parum in virtutibus profecistis: & utinam primitias nouellæ dulcedinis adhuc haberetis, & ita sentiretis. Verumtamen non debetis desperare, nec ab inceptis bonis desistere: sed cum omni humilitate diuinum auxilium flagitare, vt Deus dignetur nouum feruorem vobis inspirare. Nam quamdiu homo in statu præsentis versatur, instabilis est, & de bono ad malum labilis: & è conuerso, de malo ad bonum reparabilis. Vnde sapiens rex Salomon ait: *Non est homo iustus super terram, qui facit bonum, & non peccet.* Et beatus Ioannes, amantissimus Iesu discipulus, dicit in epistola sua, ne aliquis gloriatur inaniter de iustitia & puritate sua: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nemo ergo se excuset, quasi innocens sit, & à culpa purus: quia *in multis offendimus omnes*, ait beatus Iacobus Apostolus. Aut enim

Eccles. 7.

1. Ioan. 1.

Iacobi 3.

Quot modis quis peccet.

scilicet quis peccat, aut ignoranter, aut sponte, aut inuitè, aut ex infirmitate, aut peruersa voluntate, aut ex timore vel ex amore; aut ex desperatione vel præsumptione, aut ex animi leuitate, aut ex consuetudine, aut ex tepiditate, aut ex societate tractus, aut singularitate elatus, aut iracundia commotus, aut concupiscentia allectus.



3. Iſtis paſſionibus variisſque deſideriis, tanquam contrariis ventis, mouetur & turbatur ſæpe cor hominis: & propter has mundi procellas, rariſſimè venit homo ad portum quietis. Vix enim eſt dies aut nox, hora vel mora tam breuis & bona, quin in aliquo homo erret, aut tepeſcat, aut negligentias committat. Pro quibus omnibus ſine intermiſſione orare oportet; vt pius Deus miſericorditer ignoſcat omnibus malis noſtris, quæ vel facte, aut cogitatione deliquimus. Et quia nemo purus à ſorde, ideo cum *Job. 15.* humilitate & cordis contritione, ad confeſſionis remedium celeriter recurrendum eſt: & cum maiori cuſtodia de cætero ab omni occasione malarum cogitationum præcauendum. Oportet hominem in initio niti præcauere malum, ne ſerpens lubricus foramen paruum inueniat, & tandem totum caput cum cauda violenter inſigat. Cor hominis quieteſcere neſcit: ſed vel in bono aut in malo occupatur, ſicut experientia frequens docet. Et quantum bonum quis diligit & virtutes ſectatur; tantum malum odit & vitia execratur: quia contraria in vna domo morari non poſſunt. Nemo tamen requiem cordis inueniet, quicquid habet vel deſiderat, niſi Deum verum & ſummum bonum quærat, & habeat ad fruendum; & temporalibus moderatè vtatur, ad æternum Dei regnum promerendum.

4. Quærite ergo nunc fratres Chriſtum in humilitate, vt poſtea videatis eum in ſua maiestate. Quærite nunc gratiam eius per orationes cum lachrymis ſinceris: vt purificati à ſordibus cunctis, digni ſitis videre faciem eius in calis. Quærite nunc Chriſtum in lege & Prophetis, velatum ſub figuris: vt poſtea omnia ſecreta ſcripturarum perfectè ſine libris & magiſtris cognoſcatis, ſicut per Apoſtolum Paulum dicitur: *Videmus nunc per ſpectu- 1. Cor. 13.* lum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Sed ad habendum ſummum bonum cum electis Dei, quis aptus & dignus eſſe poterit? Nempe verus humilis, perfectè obediens, mitis & patiens, multum dolens de peccatis, fortiter reſiſtens vitiis, mundi gloriam ſpernens, ſeipſum nihil reputans: Ad exteriora rarus, ad interiora aſſiduus: Ad terrena frigidus, ad cæleſtia feruidus: Ad portandum alios benignus, ad caſtigandum ſe ſtrenuus: Ad indulgendum facilis, ad irascendum difficilis: Ad cuſtodiendum cor ſuum omni hora ſolicitus: Ad exeundum foras tardus, ad remanendum domi animo lætus. Beatus, qui hæc mente reuoluit, & ad intima ſua citiſſimè redit. Beatus, qui nil temporale, nil carnale, nil turbidum, nil tumidum, in ſecretarium cordis ſui ſinit intrare, nec patitur immorari. Beatus, qui multa bona ſcit, & facit quæ didicit: quia nunc magnam pacem habet, & in futuro beatiorè cum Chriſto gloriam iugiter obtinebit. Tunc enim euaneſcet omnis

vana



vana gloria & temporalis lætitia, cum apparuerit Christus, vera & cælestis gloria. *Quam nobis conferre dignetur cum omnibus sanctis suis, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amē.*

## SERMO IX.

*De periculo multorum malorum ex multiloquio.*

*1. Reg. 7.*

**I.** *N*olite multiplicare loqui sublimia gloriantes. Dilecti fratres, teneatis versiculum istum firmiter in mente vestra, & caveatis loqui de alta materia; ne diabolus vos tentet de vana gloria, & perdatis tempora vestra, pro deuotione & compunctione vobis data. Magis expediret multis, quod cogitarent de pœnis inferni, & igne purgatorij, quam de latitudine mundi & altitudine cæli. Nam cogitare & loqui de tremendo futuro iudicio & de suppliciis reproborum, sæpe timorem incutit, qui est valde utilis tepidis & dissolutis. Loqui autem de cælo empyreo, & nothem choris angelorum, non deseruit iuuenibus & immortificatis monachis; qui leuiter extolluntur, cum subtilia aliqua legunt vel audiunt: de quibus melius tacerent, & defectus suos inspicerent, & lugerent.

2. Fratres tunc verè sapienter agitis, si cognoscitis vitia vestra: & acriter de omnibus malis doletis, quæ fecistis. Heu, quanta bona omni hora, otiando & fabulando perditis; quæ laborando, tacendo, & orando, lucrari potestis! Proponatis ergo firmiter vos emendare, & feruenter prospicere, & in ordine constanter perseverare. Sapissimè oculos vestros cum humili prece leuate ad Dominum in cælis gemendo, & in secreto cordis vestri pro delictis orando. Tales Deus diligit, qui corda sua ad cælestia sapius leuant & orant. Libenter ignoscit culpis vestris præteritis, si veniam petitis, & gratiam quaritis & custoditis. Nunquam fatuè cogitetis magna & alta de vobis, ne cadatis antequam sciatis.

*Gratiæ per  
omnia  
Deo agen-  
da.*

3. Quando ergo aliqua bona cogitatis, vel dicitis, vel facitis, non hæc vobis vel in modico attribuere debetis: sed statim omnia ad Deum integrè referre cum gratiarum actione studeatis, à quo omnia bona descendunt, quæ in vobis cognoscitis, & in aliis videtis. Omnia Dei dona sunt, quæ corpus & animam ornant: Deus enim dedit esse, vivere, sentire, agere, discernere, & intelligere. Magna cæcitas cordis est, non considerare dona diuina, & quantum creatori tenemur regratiari. Tanta sunt beneficia Dei, vt numerari nequeant, nec sufficiant explicari. Grauius ergo peccant, & per ingratitude Deum offendunt; qui vanis implicati, deuotas Deo laudes, pro beneficiis eius, non persoluunt. Vnde Apostolus Paulus ait: *Gratias agite semper pro omnibus, in*

*Ephes. 5.*

*nomi-*



nomine Domini nostri Iesu Christi. Et David in psalterio & cithara canens, post multa beneficia collata, Deo gratias referens, dicit: *Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.* Et per Esaiam Prophetam ipse Dominus loquitur, dicens: *Gloriam meam alteri non dabo.* Quid ergo dicemus ad hæc, qui nihil aut parum boni facimus: & tamen gloriai & laudari cupimus? Foeda res omnino, reputari velle de virtutibus, quas non habemus. Relinquamus hanc vanitatem, sequamur sanctos Apostolos & Prophetas, qui verè sancti fuerunt: & tamen nihil sibi de sanctitate, sed totum Deo attribuerunt. Quando igitur gloriam Dei & honorem quærimus; & de omnibus bonis nobis collatis, gratias ei purè & integrè reddimus: tunc sursum cum Angelis in cælum ascendimus, qui in natiuitate Christi, *Gloria in excelsis Deo,* cantauerunt.

Psal. 58.

Esaias 42.

Luca 5.

4. Quando verò inanem gloriai de aliquo bono foris appetimus, aut nobisipsis intus placemus, & plus ponderamus opera nostra quàm debemus: tunc veraces non sumus, nec in veritate humiles, sed superbi & inanes, Deo despecti, angelis reprobati, & ab omnibus Sanctis alienati. Vnde ex vitio elationis infra nos cadimus, & paulatim inferno appropinquamus: quia dæmonibus & damnatis assimilamur, qui Deum non amant, nec laudant, nec gloriam Dei contèplari valent. Et quia honorem Deo debitum non exhibent, nec sponte cum Sanctis se humiliant, sed creatori suo peruersè & superbè resistunt, iusto Dei iudicio, pœnam infernalem quocunque secum ferunt, & in malitiis tabescunt. Ignibus vruntur, & non purgantur: acerrimè torquentur, & nunquam meliorantur. Ex quo in seipsis gloriam quæserunt, cælum perdiderunt; & ab æterna gloria Dei in opprobrium sempiternum ceciderunt. sic heu miseri superbi homines, in se gloriantes & alios despicientes, citius peribunt quàm putant, qui de se præsumentes dicunt aut cogitant: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Estote ergo fratres, humiles corde, casti, benigni, modesti, compatibles, circumspecti in verbis, diligentes in opere, feruentes in oratione, patientes in tribulatione: obediētes sine tardatione, simplices sine quæstione, verecundi sine fictione, taciturni sine suspitione, obsequiosi sine murmuratione.

Deut. 32.

5. Quando etiam Deus, ex sua magna pietate, aliqua bona alicui oranti vel studentī inspirat vel reuelat, non statim de hoc se extollat, nec aliis se præferat, aut sanctiorem æstimet: sed cogitare debet & credere, quia non propter suas virtutes & labores, nec propter sua merita & ingeniosa opera, hæc fecit ipsi Deus, sed propter immensam bonitatem suam, qua pluit super bonos & malos, effundens misericordiam suam super omnem creaturam. Sic enim loquitur

loquitur



Ezech. 20.  
26.

loquitur per Ezechielem Prophetam ad Iudæos, superbientes de bonis sibi datis: *Non propter vos, sed propter memetipsum hæc feci, domus Israel notum sit vobis.* Nemo ergo abutatur bonitate & miseratione diuina super se, sibi aliquid attribuendo per superbiam: ne in indignationem Dei mox incurrat propter ingratitude suam, & audiat duram contra se iudicis sententiam, terribiliter intonantem: *Auferte ab eo mram*, id est, deuotionis gratiam, qua indignus est propter vanam gloriam: *& date ei, qui decem mnas habet*, propter suam humilitatem & gratitudinem. Nam dignus est maiora recipere dona, qui pro minoribus studet semper Deo gratias agere, & indignum omnibus se fatetur. Dat sæpe benignissimus Dominus consolationem suam, non solum propter vnum hominem, vel duos se inuicem consolando: sed etiam propter aliorum ædificationem & multorum instructionem, ad amandum & laudandum tam pium, dulcem, ac largifluum Dominum in donis suis, qui tam bonus & beneficus est, dando gratiam suam humilibus, mansuetis & corde compunctis. Subtrahit verò citò dulcedinem suam ab elatis & ingratis, à vaniloquis, à curiosis, à dolosis & murmurosis.

Matth. 23.

6. Oportet enim cor mundum esse à vitiis, si intrare debet dulcedo sancti Spiritus, quæ pretiosior est cunctis opibus terrenis. Dabitur autem bonis æternis in cælis, qui respuit delectari in laudibus humanis. Quærat ergo potius consolari in deuotis precibus & lachrymis, quàm in altis quæstionibus & longis fabulis. Studete in libro conscientiæ, fugite umbras vanæ gloriæ, recondite oleum in vasis vestris cum prudentibus virginibus, abscondite thesaurum cordis in valle humilitatis. Si enim culmen veri honoris quæritis, ad illam cælestem patriam toto desiderio festinetis. Ad quam feliciter obtinendam, perducatur nos pariter Iesus Christus, Amen.



PARS SECVNDA  
SERMONVM  
AD NOVITIOS.

SERMO X.

*De multis tribulationibus iustorum, pro regno caelorum.*

**I.** *ULTAE tribulationes iustorum, & de omnibus Psalm. 33*  
*his liberabit eos Dominus.* Dilecti fratres, sancto-



rum vitam aspiciate, doctrinam sanctorum libe-  
ter audite & legite, exempla eorum imitari desi-  
derate, ac gloriosa eorum suffragia instanter pe-  
tite; vt in aduersis fortes sitis, & omnes labores diurnos ac no-  
cturnos pro Christo constanter ferre valeatis. Non dubitetis de  
futura Christi promissione, quam reddet diligentibus se opere  
completo, & agone viriliter consummato. Non fuistis in infer-  
no, nec in puteo Luciferi, ideo onerosa videntur statuta claustri.  
Non estis experti ignem purgatorij, ideo horretis sustinere ver-  
bum improprii, rigorem silentii, duritiam lectuli, grauitatem  
ieiunii, vilitatem cibi, laborem cantandi, & frequentiam oran-  
di. Si vultis omnia habere pro libitu vestro, quid inde meremi-  
ni coram Deo? Ista non concordant sanctis, qui passi sunt gra-  
uissimas penas temporibus multis. Consideretis igitur in par-  
uis laboribus & angustiis vestris, acerbissimas sanctorum mar-  
tyrum passiones: & quorum solemnia per annum celebratis, ho-  
rum agones sectamini per veras virtutes. Cumque tribulatione  
aliquam sentitis, scutum patientiae assumite; ne ante tempus fi-  
niti certaminis in religione deficiatis.

2. Non scandalizet vos, si mali florent in mundo, & boni ge-  
munt sub onere; si peruersi gaudent in honoribus, & boni priuan-  
tur rebus necessariis & amicis. Deus clemens & iustus, meliora  
& aeterna bona prouidit electis suis, in posterum reddenda: quos  
nunc diuersis modis percutit per malos & castigat, vt digniores  
fiant ad maiora praemia recipienda in caelestibus regnis. *Multa*  
itaque sunt *tribulationes iustorum*, propter regnum caelorum: sed  
& *multa flagella peccatorum*, quae sunt initia dolorum futurorum.  
Et quis poterit plene cogitare & perpendere abyssum iudiciorum  
Dei, super filios hominum? Etenim iustus Dominus, & iustitias  
dilexit.

*Ibidem.*  
*Psalm. 111*  
*Flagella*  
*peccatorum*  
*initia do-*  
*lorum.*  
*Psalm. 119.*

C

dilexit



dilexit: qui bonis & rectis corde omnia in bonum ordinat, & in salutem eorum conuertit: & malis, duris, ac peruersis, omnia in eorum perniciem & luctum retorquet.

*Psal. 50.*  
*Isal. 33.*

*Luc. 24.*  
*1. Pet. 2.*

Electos  
suos quare  
permittat  
Deus cade-  
re in tribu-  
lationes.

3. Sustinete ergo fratres, sicut boni & fideles serui Christi, patienti corde & animo beniuolenti, pauca grauamina; quæ vos interdum molestant, & probant, quàm fortes estis: quia non diu durabunt, nec confundent humiles, sed piè tolerata valde lætificabunt animas vestras, iuxta illud Psalmistæ: *Exultabunt ossa humiliata*: Et, *humiles spiritu saluabit*. Si essemus verè humiles, & onera peccatorum nostrorum strictè ponderare vellemus, nihil importabile sentiremus: vix vnum pro mille, nos recipere diceremus. Oportebat namque Christum pati, qui tamen peccatum non fecit: quanto magis nos miseri peccatores, qui quotidie offendimus multos, in multis: scilicet Deum, angelos, sanctos, & homines. Permittit autem Deus multas tribulationes cadere super electos suos, non ad eorum reprobationem, sed ad peccatorum purgationem, ad meritorum augmentum, ad maiorem cautelam: & ad eorum imbecillitatem, per patientiæ virtutem, roborandam. Ponat ergo vnusquisque se ad patientiam, si vult habere cordis tranquillitatem; si cupit coronam gloriæ recipere in celo, post certaminis sui laborem. Vita ista temporalis, plena est tribulis & spinis, in qua exercentur & probantur electi per aspera, vt eo ardentius desiderent honora aeterna.

*4. Reg. 2.*

4. Ecce nemini parcit Deus, sed dat vnicique onus propriū ad portandum, vt habeat causam ad multum promerendum. Alia namque adueniunt, & tentāt nos à dextris per blandimenta: alia à sinistris per vituperia: alia ab anteriori parte occurrunt, per austerum vultum: alia à posteriori pungunt, per detractionis morsum: alia à superioribus nos arctant ad laborandum, alia ab inferioribus ebulliunt ad deridendum, sicut pueri paruuli sanctum Heliseum. His sex ventis commouetur status vitæ presentis, & impugnatur omnis Christianus, siue religiosus siue secularis. Nec diues, nec pauper, nec sanus, nec æger, sine onere est. Quilibet habet satis ad portandum, & qui dorsum suum ad hoc præparat & incuruat, sapienter agit, & leuius portabit. Qui autem otiosi querit, & delectati fabulis, ac vagari per officinas & nemora capi, incidet in latrones, & canes mordentes: hoc est, in varias tentationes carnales, gratiam deuotionis extinguentes, & conscientiam multis vulneribus sauciantes.

5. Sic est religiosus in claustro professus, sicut nobilis miles ab hostibus in castro vndique obsessus. Non potest fugere, non potest otio torpescere, sed vigilare oportet. & in armis semper stare, contra inimicorū insidias & sagittas. Nisi enim pugil Christi cingulo



cingulo castitatis sit accinctus, & scuto patientia vndique præ-  
munitus; aut citò turbatur, aut deiicitur, aut vulneratur. State er-  
go in timore Dei, & preparate vos ad certandum contra passio-  
nes vestras, & hominum vexationes, & linguas iniquas: quia ha-  
betis semper aliquem aduersarium, nunc istum, nunc illum: prout  
Deus permiserit ad humiliandum vos, ne in bonis superbiatis, &  
per vanam gloriam rotum perdatis. Quòd si humiliter & pa-  
tienter aduersarios vestros sustinueritis, critis Deo accepti, &  
sanctis martyribus in patiendo cõformes, atque in regno cęlesti  
valde gloriosi & sublimes. Oportet omnino, quòd humilitas glo-  
riam præcedat, & patientia victoribus coronam cum multis icti-  
bus præparet. Nam sine patientia, & certamine, & labore, vana est  
spes præmij cęlestis. Induite ergo vos dilecti fratres (sicut beatus *Theff. 3.*  
Paulus ait) loricam fidei, non hæsitantes de adiutorio Dei: pro  
summo solatio diuina promissa inter angustias recolentes, ac ro-  
tam spem vestram in Deo & non in hominibus ponatis: quia ho-  
mines sæpe fallunt & falluntur in opinionibus & astutijs suis, me-  
ditantur inania, & stulta loquuntur: iudicia futura non prospici-  
unt, nec Deum (vt oportet) metuunt. Cauete præcipuè ab homi-  
nibus iracundis & dolosis, à sockjs vagis & iocosis, ne discatis fa-  
bulari & ridere cum leuibus, qui ambulat per amœna loca ad ho-  
spitia praua. Sed cum simplicibus & humilibus, cum mitibus &  
deuotis, sit conuersatio vestra, vt ab istis capiatís consolationem  
spiritus, & in virtutibus magis ac magis proficiatis.

6. Patientia & fortitudo est vobis maximè necessaria, qui in  
religione estis, & statis sub obedientia. Et ideo libenti animo &  
pleno corde obedire, & bonis consilijs maiorum acquiescere stu-  
deatis: licet interdum aspera & vilia videntur, quæ iubentur. Igi-  
tur sicut ab omni parte instant pugnae, impugnantés fragilitatē  
vestram: ita sunt præmia maxima in dextera Dei posita, pro  
multa patientia omnium tribulationū vobis restituenda. Anime-  
tis ergo vos ad omnia ferenda, & non abiciatis onera, ad prome-  
lenda gaudia sempiterna.

7. A Superioribus namque oportet vos frequenter sustinere  
correptiones, pro excessibus vestris, quia melius est hic, quàm in  
futuro purgari. Sed & eorum obedire præceptis propter Deum  
tutissimum est, si vultis cum electis felicissimè coronari. Subij-  
ciatis ergo vos spontaneè eorum ditioni, vt ducant vos tutiori via  
& breuiori spatio, inter tot hostes & pericula, ad portum salutis  
sine murmure, & sinistra aliqua suspicione.

8. Ab inferioribus oportet vos sustinere, eorū imperfectiones  
tam morum quàm corporum, quod est opus pietatis, & quando-  
que etiam irrisiones sufferre, quod est mansuetudinis insigne.



9. A dextris oportet vos cautè attēdere, ne per adulationes & vanas commendationes seducamini; ne sanctos & iustos vos aestimetis, aut super id quod dicitur cor eleuetis. Nocent sarpē vanæ laudes: fallunt dulcia verba animos leues: sicut auceps fistula dulciter canens, decipit & arripit aues. Ergo laudem vel honorem ab hominibus non quærat, sed fugiatis, ne apud Deum mercedem plenam pro fabulis stolidis perdatis. Multi in facie laudant, post tergum vitia narrant. Qui conscientiam suam inspiciat, humanas laudes non ponderat, nec affectat.

10. A sinistris verò, oportet etiam cautelam magnam habere; ut nō turbemini ab ijs, qui vituperant facta vestra, deridēdo, proclamando, & ad eius bona interpretādo. Ne impatientes sitis in corde, aut durè respondeatis in voce: quia fortè volūt vos opprobrijs probare, si verè humiles estis, & patientes in aduersis.

11. Ab anteriori parte oportet vos considerare, cum quibus loquimini, cū quibus statis & ambulatis: quales sint vicini vestri & confratres, in moribus, in verbis, & actibus suis: ne fortè seducamini & inquinemini malis exēplis, per dissolutiones & libertates iuuenibus valde nociuas. Nam sarpē post iocos leues, peruenitur ad tristes conscientie dolores, iuxta illud prouerbum Salomonis: *Extrema gaudij luctus occupat, & risus dolore miscbitur.* Non debetis omni verbo credere, nec vltius citò audita proferre. Non omnia ædificant, nec aliorū secreta scire expedit. Sarpē mendacia narrantur pro veris, quæ à caelestibus desiderijs retrahunt audientes. Abstinet ergo à nugis & iocis, quæ bona studia impediunt, intellectum obscurant, memoriam distrahunt: & pacem habentes, friuolis suspicionibus inquietant.

12. A posteriori parte oportet vos etiam oculum habere apertum, & de futuris periculis non exiguè præcogitare: scilicet, qualia possent vobis per eos, quos iam amicos tenetis, contraria aduenire. Præparetis igitur dorsum vestrum ad sustinendum omnem euentum malorum, ad abluendum peccata præterita, ad vitandum iucunda præsentia, & ad minuendum futura purgatorij tormenta. Nam hominum oblocutiones, detractioes, accusationes, & derisiones patienter acceptæ, medicina sunt optima pro salute animæ, à iustissimo Deo peccatoribus iustè inflicta. Non itaque nocebit dura correctio verborum, si beneuoli & innocentes estis: quia sermo durus, utilis est ad correctionem dissolutorū. Audistis iam ex supradictis, in quam multis periculosis bellis consistitis: & quāta bona potestis promereri, si viriliter repugnatis. Non ergo sitis remissi, nec præ multitudine hostium desperantes: sed cum religiosa sollicitudine, satagite semper in melius & feruentius exercitium proficere; ut per longanimitatem

Prok. 14.



rem & patientiam, in virtutibus & laboribus multis, perueniatis ad requiem perpetuam, ab omnibus malis securam (largiēte Domino nostro Iesu Christo, intercedentibus sanctis martyribus suis) diūque desideratam à vobis aeternae vitæ coronam. Amen.

## S E R M O X I.

*De quotidiano martyrio & bello, in statu religionis.*

**I. Q**UONIAM *propter te mortificamur tota die, estimati sumus* *Psalm. 43.*  
*sicut oves occisionis.* Dilecti Fratres, bene norate verba ista,

in auribus vestris iam lecta: quæ valde salubriter pro instructione vestra, diu ante nativitatem vestram, per Prophetam in Psalmo sunt prænunciata. Benedictus Deus, qui vocavit vos de presenti seculo nequam: in quo periclitantur multi in corpore & anima, sequentes carnis desideria & fugitivos honores. Videte ergo vocationem vestram ad congregationem istam, à Deo paratam: in qua promereri potestis breui tempore cum modico labore vitam aeternam. Ecce religionem intraſtis, sponte proprijs renunciaſtis; & quodammodo mundo mortui estis, aut quasi mortuos in sepulchris vos reputare debetis. Hoc etenim habitus vester foris ostendit: & fama de vobis transit, quòd de mundo non estis, sed filij Dei excelsi omnes. Dicunt enim frequenter homines seculares, de religioſis personis: Qui Deo seruit, totum mundum deludit; & valde sapienter facit. Cælum sibi comparat, & ab inferno non timebit. Mortificate ergo membra vestra super terram; ne diabolicus furor vos iterum afficiat, & ad aeterna supplicia per molliem carnis secū trahat. Magnus profectò labor est, certare quotidie contra passiones & vitia: sed præmia maxima vincentibus sunt promissa. Percogitetis verba, quæ cantantur tam sedulò de sanctis martyribus in ecclesia nostra, pro eorum laude & memoria, ad impetranda suffragia; quorum dulcedo tangere debet cordis nostri intima, & excitare tepiditatem nostram, ad toleranda pro Christo vel pauca contraria. Sic enim ad vespertas sapissimè suffragatur: Certamen magnum habuerūt Sancti Dei, transierunt per ignem & aquam, & salui facti sunt.

*Coloss. 2.*

2. O dilecti fratres, qui in religione sub obedientia statis; si fideliter impletis, quod vouistis, martyres estis, aut adhuc quotidie patiēdo fieri potestis. Nā toties novas coronas & margaritas pretiosas pro certamine vestro accipietis: quoties singula mēbra vestri corporis, quotidianis laboribus pro Christo exponitis. Et si proprias voluntates relinquitis, & sensualitati vestræ fortiter resistitis, magnam à Deo consolationē intus percipietis. Omnis religiosus in obedientia viuens, paratus suam voluntatem frangere, atque Prælato suo humiliter nitens obedire: iste veraciter in



Gen. 22.

spiritu martyr efficitur, quamvis materiali gladio in collo non feriat. Et quicumque perfectę mortificationi, tota die, id est per totum tempus vitę suę, se tradit, simplici ex corde obediendo, exemplum Abrahę imitatur: qui vnicum dilectum filium suum Isaac in holocaustum offerre, ligare, & occidere, non recusavit. Legimus etiam de sanctis martyribus, quod per diuersa tormentorum genera transferunt ad regna cęlorum: Qui non elegerunt pro sua voluntate, qualem pœnam aut mortem paterentur: sed totaliter diuinę ordinationi se commiserunt, corpus & animam creatori suo ad omnia sustinenda constanter obtulerunt. Quando igitur aliquis vestrum audit, præceptum sibi contrarium a Prælato imponi, & tamen paratus est obedire: si tunc etiam vim sibi ipsi inferre conatur, atque murmuratiõem insurgentem compescit & necat, tunc gratissimum Deo sacrificium in ara cordis immolat, & cum martyribus de hoste victor sui ipsius factus, strenuè triumphat. Multi namque martyres violenter tracti sunt ad carceres, & durissimis inibi vinculis ferreis stringebantur: quin etiam sine cibo & potu, sine lumine & aliquo humano solatio, dimittebantur iacere in fœtore & mortis horrore. Et tamen in fide Christi constantes permãserunt, & gratias Deo in doloribus suis agere studuerunt, quia pro nomine eius, contumelias & tormenta pati meruerunt. Horum exempla intuentes, nolite in aduersis deficere, & de nimia paupertate conqueri: nec propter rigorem disciplinę, de prælio ante finem victorię fugere. Illi dignè coronari merentur, qui legitimè certant & perseverant. Leuissimus est omnis labor pœnitentię nostrę, comparatione pœnarum & abstinentiarum sanctorum martyrum, & consideratione dolorum infernorum.

Heb. 12.

3. Audistis frequenter in passionibus martyrum, quod in diuersis membris suis fuerunt cruciati, & post graues dolores eisdem membris priuati: deinde ferocissimis bestijs ad deuorandum dati, aut etiam flammis ardentibus iniecti. Nondum fratres ista estis experti, nondum sic tentati, nec probati, nondum sic vexati, nec verberati, nondum sic derisi, nec contumelijs repleti, nondum de domibus vestris nudè & ignominiosè expulsi, & per plateas publicè tracti. Nondum vsque ad sanguinis effusionem tentationibus restitistis, nec manum, nec pedem amputari pro fide & castitate permisistis. Verum, si sæpè deficitis in minimis passionibus, pro Christo in religione subortis, quomodo maiora pati in persecutione possētis? Sunt namque multa, in quibus probare potestis fortitudinem vestram, quamvis sanguinem non fundatis, nec vsque ad mutilationem membrorum repugnatis. Sancti martyres membra sua pœnis exposuerunt grauissimis, vos in multis

ieiun-



ieiunijs & vigilijs, in silentio & laboribus, corpus vestrum, ne in-  
folescat, castigare debetis. Qui enim omne amarū pro dulci, om-  
ne vile pro pulchro, omne triste pro gaudio accipit & sustinet;  
hic veraciter calicem Domini cū martyribus bibit, & in futuris  
pœnis vri nō timebit, sed sanctorum choris sociari summè gau-  
debit. Vnum ex his eligatis, aut æternaliter comburi cum demo-  
nibus, pro modicis voluptatibus: aut pro breui abstinentia, peren-  
ni gloria perfrui cū Angelis sanctis. Et quia martyres mala per-  
petua attenderunt, ideo mala transitoria leuius pertulerunt; &  
potius per angustam viam, ad latitudinem cæli intrare optave-  
runt. Potest quilibet in ordine & in statu suo, religiosè & de-  
uotè viuendo, palmam martyrij obtinere; si contra vitia sua for-  
titer certat; si pro aduersantibus & detrahentibus orat; si ca-  
stitatem illibatam strenuè seruat; si obedientiam vsque ad mor-  
tem exemplo Christi custodit: si de omnibus terrenis & necessa-  
rijs huius vitæ semper minus, quàm plus habere desiderat,  
& beneplacitum Dei in omnibus quærit, & suum velle re-  
linquit.

4. Sancta quippe voluntaria paupertas, pro martyrio compu-  
tatur: & ideo sicut martyribus, ita & pauperibus, regnum cælo-  
rum à Domino promissum est, & donatur. Cùm ergo verboso &  
dissoluto silentium imponitur, ne extraneis vel fratri loquatur;  
tunc lingua ad fabulandum prona, quasi reste ligatur; & ne noceat  
alteri, silentio cohibetur. Et verè multis verbosis expedit pro  
pace conscientia verecundè tacere, quàm hinc inde historias de  
statu seculi retexere. Et cùm vago homini præcipitur in claustro  
manere, aut in cella quietè residere, tunc pedes eius pia violen-  
tia, quasi in cippo locantur; & sic ad viam salutis, cor instabile  
redire compellitur, iuxta illud Domini verbum: *Exiit in pla-*  
*teas & vicus ciuitatis, & compelle intrare.* Heu, quanti foris va-  
gando perierunt: quanti suæ curiositati seruiendo, nil sanctita-  
tis retulerunt? O quam multi per rectoris virgam reducti sunt  
ad conscientia & bonæ vitæ custodiam, & de necessitate fece-  
runt virtutem!

5. Cum curiosus oculos suos elaudit, ne seculi vanitates aspi-  
ciat, tunc mercedem cum sanctis recipiet, quorum oculi fuerunt  
à tyrānis excecati. Cùm piger aliquis laborare cogitur, tunc ma-  
nibus & pedibus ad locū martyrij trahitur. Et si obedierit ad om-  
nia sibi iniuncta, præmiabitur cum martyribus, quorum ma-  
nus vinculis fuere ligata, & pedes in equuleo suspensi. Cogitare  
ergo debet bonus obediēs frater, quia proprii corporis non habet  
potestatem, sed Prælati; cui propter Deū se resignauit liberè, vt  
eat & faciat, quod ille iusserit pro anima suæ salute. Sic .n. obti-

C 4 nebit

Martyr si-  
ne sangui-  
ne, quis  
esse possit.

Pauperum  
& martyriū  
idem præ-  
mium.  
Matth. 5.

Lucæ 14.



nebit cum martyribus patientiæ palmam, & æternæ vitæ coronam. Præstante Domino nostro Iesu Christo, regnante in secula seculorum. Amen.

## S E R M O XII.

*De sapientia Confessorum, & continentia Religiosorum.*

*Psalms. 36.*

**I.** **O** *S iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Dilecti fratres, ista solent cantari & legi de confessoribus & doctoribus, quos præcipua deuotione honorare debemus, atque suffragia eorum desideranter implorare, quatenus eorum virtutes strenuè imitâdo, mereamur finito præsentis vitæ stadio, ad eorum societatem peruenire. Igitur, si non possumus grauissima & diuersa tormentorum genera, cum sanctis martyribus sustinere: studeamus pro viribus nostris, cum confessoribus & eremitis, in sancta religione humiliter, patienter, & continenter viuere; quemadmodum & illi Deo placuerunt, multis longis vigilijs & ieiunijs carnem macerando.

*Note ad deprehendendum virum iustum ac bonum.*

2. Describit nâque Propheta in dicto Psalmi versiculo, qualis sit vita iusti viri, placentis Deo; & quàm beatus exitus eius, qui permanferit constans in proposito sancto. Solet autem vita iusti viri ac boni religiosi, ex quibusdâ signis notari, & maximè commendari: videlicet, vt habeat os custoditû à malo, linguam eruditam in bono, cor quietum à turbatione, deuotum in oratione, suspensum in contemplatione: vt faciat opus bonum cum recta intentione ad Deum, careatque sinistra suspitione ad proximum. Et qui ista habere desiderat, legem Dei in corde suo ponat, sacra verba frequenter cogitet, libenter audiat & legat, de mundanis verò fileat: tantum de his, quæ ad salutem animæ pertinent, curam ampliorem gerat, alienas sollicitudines abiciat, nullum tempus otio indulgeat: sed vel oret, aut studeat, aut laboret, quatenus boni operis talentum, sicut fidelis seruus, quotidie augere valeat. Discat, antequam doceat: & magis eligat tacere quàm loqui, si sapiens fieri desiderat. Pauca verba & vtilia habeat, cum modestia singula proferat: coram magnatibus apparere, caueat: cum timore Dei omnes actus suos & sermones disponat, tâquam ab ipso iudicandus, si in aliquo offendat. Tutius ergo est & melius, vt homo taceat, qui debite loqui nescit.

3. Si quis imperitus diuinam sapientiam habere concupiscit, delicias carnis spernat, sensus exteriores strictè custodiat, ne vanitates mundi hauriant: Ad interiora se conuertat, defectus suos inspiciat, consciëntiam per singulos dies examinet, commissa defleat, nil impunitum relinquat. Ad cælestia suspiret, futurum iudicium metuat, præsentem vitam carcerem reputet. A Christo  
elongari,



elongari, pœnale sentiat: sanctorum choris non interesse, maximum tædium ponderet. Nihil in hoc mûdo possidere cupiat, vt cor liberum semper habeat. Omne gaudium temporale, luctum æstimet: ac præ desiderio æternorum, omnē copiam rerum, egestatem computet. Hæc intima sentimenta vagabundus & fabulosus ignorat; & qui honores ambit, veram sapientiam nunquam inueniet. Beatus igitur ille religiosus, in cuius corde lex Dei requiescit; cuius os meditatur sapientiam sanctorum, non seculi vanitatem: cuius lingua erudita, rectum iudicium in omni causa tractat, ne quid frustra quasi in ventum producat. Cuius bona opera, ad Dei beneplacitum semper tendunt: Cuius gressus intus & foris, secundum eloquium diuinum diriguntur in bonum. Sapiētis ergo, & spiritualis viri studium est, discernere verum à falso, vitium à virtute, necessarium à superfluo, honestum à scandalo, clarum ab obscuro, expediens ab illicito, priuatum à publico, distortum à recto, iustum à peruerso, simplicem que ab astuto, innocentem à ficto & dolofo. Vnde Dominus per Hieremiam Prophetam ait, in laudem viri iusti: *Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris. Verax & iustus est Deus, & iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius.* Et ideo tales querit & diligit, qui ambulent coram eo in veritate. Horum gressus, non supplantantur ab aduersario diabolo, nec à mundi blandimentis, nec à proprijs concupiscentijs, neque ab aliorum laudibus aut vituperijs seducentur. Nam dextera Dei protegit gradientes in simplicitate cordis, sub alis suis, & omnia quæ dixerint & fecerint, ad maximum eis proficient meritum & præmium sempiternum: quo feliciter adepto, non erit quod cupient amplius. Beati enim omnes, qui digni erunt regno Dei interesse, & cum Christo epulari & gaudere: pro eo, quod in vita sua Christum amauerunt, & omnia terrena vilipenderunt.

Sapientia  
& spiri-  
tualis viri  
studium.

Hier. 15.  
Psal. 10.

4. Dilecti fratres imitamini humilē vitam Iesu Christi, sicut & sancti confessores fecerunt: inter quos fuerunt multi nobiles ac diuites viri, qui longo tempore in abstinentia carniū, in carentia frumenti, vini, & olei, & aliorum delectabilium ciborum, duxerunt vitam valde religiosam & duram; crucifigentes cum vitijs & concupiscentijs suis carnem fragilem, non propter laudem humanam, sed vt Deo satisfacerent pro peccatis per feruentem pœnitentiam. Hi contra tentationes diaboli & mundi honores, certantes vsque ad mortem, felici tandem fine cursum vitæ suæ compleuerunt. Quamuis igitur isti tyrannorum gladium, aut ignem vrentem, aut morsum bestiarum, seu alia sæuissima tormenta non pertulerunt in corpore: maximum tamen bellum & quotidianum martyrium perfecerunt in mente, vitam castam,

Virū Dei  
quotidie  
martyres  
sunt.

humi-



humilem, abiectam, internam, deuotam, benignam, patientem, sobriam, modestam, pauperem, & absconditam, præ cunctis mundi opibus amplexantes, ideoque, dignè coronas meruerunt habere perpetuas.

5. Si ergo queritis veram sapientiam, & cupitis habere pacificam vitam, Deo placentem & hominibus gratam; detis vos ad veram cordis humilitatem, sicut scriptum est: *Vbi humilitas, ibi sapientia.* Hanc sapientiam mundus odit, diabolus impugnat, caro abhorret, stultus deridet, superbus despicit, iracundus persequitur. Magis etenim placet Deo humilis & casta vita, quam alta scientia: & plus est optanda bona & pura conscientia, quam subtilis & verbosa eloquentia. Longè etiam melior est simplex obedientia, quam cauta excusatio. Vtilior silentij custodia, quam extorta loquendi licentia. Protegit enim Deus obedientes simpliciter, & callidos in stultum finem cadere saepe permittit: Non est parua prudentia, seipsum attendere, & sub omni creatura se humiliare; quia Deus propter hominem se humiliavit vsque ad extrema terræ, vt peccatores conuerteret, & pœnitentes ad alta cælorum per veram humilitatem traheret, & æternaliter beatificaret.

Philosophi admodum pauci, si qui tamen, seculum contempserunt.

Humilitatem & castitatem prædicant etiã superbi & incesti.

Monachus bonus confessor Domini est. *Mat. 25.*

6. Multi docti philosophi, & magni in oculis suis, viam salutaris prudẽtiæ neglexerunt aut nescierunt, & ab humilitate Christi recedentes, à veritate errauerunt, & difficulter ad contẽptum seculi venire potuerunt. Multi etiam magistri, scientiam Dei & notitiam virtutum ex longo studio haurientes, de humilitate, & castitate, de contemptu mundi & sancta religione & obedientia, optimè prædicant: qui tamen amore seculi detenti, vix à longè Christum sequuntur, & ( vt dicitur ) onus quod laudant, digito tangere vitant. Tam nobilis est virtus humilitas, vt eam frequenter superbi & seculares commendent. Et tam laudabilis est virtus castitatis, vt eam magnificè extollant etiam incontinentes, & ad confusionem sui, dignis laudibus honorent. Et hoc vtique ex Deo est, qui suos fidelissimos amatores, & humiles, ac castos cliẽtes glorificat in præsentĩ, vbi aduenæ sunt & peregrini, quos in futuræ beatitudinis mansione, ampliori gloria latificare prætendit, pro omni confusione quam pertulerunt. Quicumque ergo continenter viuit, & sensus suos sub disciplina regulari intus & foris custodit, iste iure confessor Domini vocabitur; quia super pauca bona, prudens & fidelis fuit. Nam quinque talenta sibi tradita, id est, quinque corporis sensus bene rexit innocenter viuendo, & alijs bonum exemplum exhibendo. Hæc enim duo, maxime in Religiosis & abdicatis personis, Deo placent: & coram hominibus lucent, bona vita & sancta doctrina: Talis autem seruus, post



post completos labores, in gaudium Domini sui letus introibit: quia fidelis inuentus est, in omni opere & sermone bono, ad laudem Dei & ædificationem proximi in secula seculorum. Amen.

S E R M O XIII.

*De cauta custodia cordis, & gratia interna deuotionis.*

I. **O**MNI custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. *Di-* *Prou. 4.*  
 lecti fratres, diligenter pensate admonitione prudētissimi  
 Regis Salomonis, & sollicitè vigilate circa custodia cordis vestri,  
 ne diabolus inueniat foramen intrandi. Ille non querit aliud nisi  
 vos decipere, & à Deo fraudulenter abstrahere. Quando cor ho-  
 minis à summo bono abstrahitur, tunc in infimis querit delecta-  
 ri, & varijs desiderijs hinc inde mouetur. Et qui tempestiuè non  
 resistit, captiuatur & superatur. Nihil laboriosius, quàm cor cu-  
 stodire ab euagatione & vitiosis imaginibus, ex sensibilibus re-  
 bus acquisitis. *Prauum & inscrutabile est cor hominis, & ad malum Hier. 17.*  
*procliuum ab adolescentia sua.* Et quis cognoscet illud, & omnes  
 motus eius per singulos dies enumerabit? Vtique solus Deus, qui  
 vniuersa conspicit, antequam fiant; de quo dicitur in Psalmo:  
*Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vana sunt.* Cor nun- *Psal. 93.*  
 quam quiescit, quin in aliquo sit occupatum, siue bonum fuerit  
 siue malum. In bono cor confortatur, in malo perturbatur. Si quis  
 cor suum gestit custodire, & ab euagatione restringere, bonam  
 meditationem studeat assumere; & de verbis sacrae scripturae,  
 fauum mellis colligat, vnde animam suam pascat. Leuia ver-  
 ba dimittat, curiosa non querat; in prosperis non se eleuet, in  
 aduersis patientiam seruet, & omnia super se ventura, Deo libe-  
 rè committat.

2. Hoc quoque præcipuè penset, qualiter vnionem cum Deo  
 habere possit, qui in pacifico corde locum ad habitadum querit.  
 Idcirco totis viribus ab infimis curis se elonget: & cor asuetum  
 vagari, per orationes ignitas & crebra suspiria sursum leuet, &  
 dicat: *Oculi mei semper ad Dominum.* Quoties autem à sum- *Psal. 123.*  
 mo bono ex fragilitate aut aliqua necessitate impeditur, rur-  
 sus incipiat, & citò per orationem resurgat; gemens & dolens  
 poeniteat, quòd ad momentum creatorem pro creatura negle-  
 xit, cui pro posse, totis affectibus intendere, & iugiter adherere  
 deberet. Ex sacra namque lectione trahitur bona meditatio de *Sacra le-*  
 Deo: ex bona meditatione, procedit deuota affectio, & prompta *ctio quos*  
 eleuatio mètis in Deum. Exinde surgit feruens & interna oratio *fructus gi-*  
 penetrans caelos; omnem creaturam relinquens, & soli Deo ad- *gnat.*  
 harere cupiens: in quo omnia bona sunt, quæ concupisci possunt. *Deus solus*  
 Solus enim Deus est, qui totum animæ desiderium implet, quietat, *animam*  
*implet.*

&



& beatificat: ad quem suspirare & cōuolare debet omnis religiosus, secretum amans, occasiones fabulandi vitans. Qui enim loca spatiandi foris quærit, & cor suum custodire negligit, hanc visionis gratiam aut non sapit, aut parum gustans citò perdit. Et heu! vix cum magno labore & dolore, deuotionis dulcedinem recuperabit, quia minùs sollicitè eã custodiuit. Restat ergo, omnibus friuolis omisissis, ad Christum sedulò confugere, & cum eo amicitiam specialiter iungere, & cuncta ab eius amore retrahentia abiicere & refutare. Quæcunque bonam conscientiam non possunt facere, nec charitatis Christi feruorem dare vel augere, omnino vitanda sunt & respuenda ab omni claustrali viro & monacho religioso: cuius cor debet esse in celo, non vagari in seculo.

3. O frater monache, qui sanctitatis speciem geris habitu & nomine, claude ostium oris tui, & secretum cordis non omnibus reueles. Aperi cameram cordis tui Iesu Christo, cōsolatori amatissimo, ac tutori vitæ tuæ fidelissimo: vt benedictus Iesus, ante omnia & præ omnibus in celo & in terra tibi dilectus, diu desideratus & expectatus, ad te venire dignetur, & mansionem facere. Obsecra obnixè, vt sapius te visitet & illuminet, doceat ignorantiam tuam, cōfortet pusillanimitatem, erigat spem, repellat diffidentiam, confirmet fidem, infundat amorem, augeatque feruorem. O quàm bene est custoditus & armatus, contra diaboli insidias, & malas cogitationes, ac turpes imaginationes: qui imaginem crucifixi habet in corde fixam, omnia interiora sua penetrantem; & ad omne bonum cogitandum & agendum, semper & vbique instigantem. Tunc rectè poterit mira cum dulcedine cordis, ex præsentia Christi intimè consolatus dicere, quod David sanctus cū magna lætitia Deo psallebat: *Viam mandatorū tuorum cucurri, cū dilatasti cor meum.* Nihil ergo inter te & Iesum, amatorem innocentiam & puritatis, veniat: nec intus lateat, nec duret, immo nec parum tangat, nec vanis laudibus mulceat, ne inficiat: quia cor purum & tenerum, Deo in religione oblatum, non paritur secum aliquem extra Iesum, sibi coniungi & confabulari. Nam omnia in creaturis temporaliter solatiofa & pulchra, non sufficiunt ad plenum animæ gaudium: sed solus Iesus sufficit, ad omne desiderium perficiendum. Cuncta extra Iesum crucifixum generant fastidium, & habent defectum; & quasi absynthium & fel amarissimum torquent animum variis desideriis occupatum. Fons igitur omnis boni, & totius cōsolationis mellifluus riuus, IESVS CHRISTVS, verus consolator animarum. Qui vult à Deo consolari, Iesum in focium eligat, cum quo loquatur & ambulet, donec ad cælum perueniat.

*Psalm. 118.*



4. Stude in amore IESV vivere, toti mundo mori; & in cruce Christi, non in teipso, nec in hominibus gloriari. Illa hora tibi sæpè pensanda est, quando non poteris amplius vnum verbū loqui, nec membrum mouere. Et quamuis religiosus sit terrenis bonis & amicis priuatus, habet tamen cælestem thesaurum in arca cordis sui clausum, Iesum Christum, & hunc crucifixum. Habet & fidelissimum animæ suæ amicum, ac sapientissimum vitæ suæ doctorem, ipsum regem angelorum, omniumque rerum conditorem. Vis ergo habere pacem & trāquillitatem cordis, & gratiam Christi, & amicitiam angelorum promereri? Cōtemne te ipsum propter Christum, & quantum possibile est, stude habere cor purum, à seculo segregatum, ad diuina feruidum, & ad cælestia suspensum. Qui enim nihil terreni solatii foris quarit, nihil in creaturis inordinatè diligit, citò internam quietem & Christi amorem sentiet; & cunctas grauitates vadecunque venientes, Christo intus cōfortante & iuuante, facillimè tolerabit. Multas namque turbationum materias amputat, multos laqueos temptationum euadit & superat, qui propter Christum, ab omnibus terrenis desideriis perfectè se denudat & elongat. Hic ad cælestia, nullo terrenorum pondere grauatus, liberè euolare potest, quoties dilecti amatoris sui, qui in cælis est, recordatus fuerit, aut eius verba audierit vel legerit. Dolor nempe de absentia Iesu, vehementer compungit; amor verò ex presentia gratiæ eius, languentem vngit, tristem consolatur, & torpentem accendit.

5. Qui ad hanc deuotionis gratiam, & contemplationis celsitudinem, nō valet tam repentè pertingere, non desperet, nec laborare desinat; gemat, oret, solus sedeat, taceat, & se recolligat, expectet longanimiter, speret confidenter: & ultra quàm credi potest, consolabitur affluentè. Benignus est enim Iesus, super omnes sanctos suos, non deserit sperantes in se. Probat frequèter, corripit amanter, instruit sapièter, vocat incessanter, pulsat fortiter, aperit libenter, suscipit letanter, indulget clementer, donat sufficienter, coronat excellenter. Non ergo te frangant amorosa Iesu verbera: nec fastidias audire sacra eius verba, à quocunque vel vbiunque fuerint lecta. Non te deiciat cordis incōstantia, nec corporis ægritudo, nec dolor capitis in Christi seruitio acquisitus. Qui te creauit, & ad seruitiū suū vocauit, non deerit tibi pro nomine suo patienti. Omnia enim mala, quæ pateris, & quæcunque bona ad honorè Dei in hac domo feceris in disciplina perseuerando, scribentur in libro vitæ æternæ, & computabuntur tibi ad maximū pramium in regno cælorum. Auerte igitur te à vanis, redi ad interiora mētis, recogita beneficia dilecti amatoris tui sapius tibi cōcessa, & adhuc ampliora in futuro reuelāda.

Pax cordis,  
& amor  
Christi,  
quomodo  
acquiratur.

Benignitas  
Iesu mira-  
culum om-  
ne superat.

6. Trahat



6. Trahat te ad seruiendum gratanter pijsimo saluatore, pietas eius immensa: ad amandū ipsum, bonitas infinita: ad sperandum in misericordia eius, charitas eius vsque in seculum extēsa, verē poenitentibus promissa, perseuerantibus in fine reddenda. Transeūt omnia, præter amare Deum, pereunt cuncta, sine Christo: amarescunt omnia, sine Iesu pro salute mundi incarnato, passo, crucifixo, resuscitato, & glorificato. Hæc sit sapientia vestra, fratres: hoc studium præ cunctis literarum studijs eligatis, meditari die ac nocte Iesum crucifixum, pro omnibus nobis in cruce immolatum, & in cælis eleuatum, vt tota spes vestra sursum tendat in ipsum, super omnia amandum & laudandū. Ideoque pro ipso pati & fatigari in eius seruitio, reputetis pro thesauro maximo, in agro sancte crucis inuento. Meditatio operum diuinorum & sermonum Christi, dulcedinem parit & latitiam, fidem roborat, spem erigit, charitatemque in corde accendit, quam se daturum fidelibus suis ipse promisit. Sed inuidus diabolus, qui Christum tentare audebat, & persecuciones in Ecclesia sapius suscitauit, ac multos sanctos vexauit: adhuc nō cessat molestare deuotos, radium boni ingerens, & claustrum rigorem dissuadens. Heu, callida instigatione multos decipit per blanda & mollia, terret per dura & aspera. Veruntamen Christo auxiliante, non nocebunt tela eius nequissima: sed erunt fortiter dimicantibus & viriliter resistentibus in laudem & gloriam, & diabolo ad perpetuam confusionem & poenam. A cuius laqueis & fraudibus nos semper custodiat IESVS CHRISTVS, qui est ad dexteram Patris, super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

*Nota Religiose.*

Beatitudo  
Religiosi  
in quo  
consistat.

7. **D**IXIT quidam deuotus, solitudinis amator: Beatus monachus desolatus, cui mundus exilium, cælum patria, cella paradisi est. Beatus Religiosus, Deo deuotus, seculo ignotus: cui oppidum carcer, claustrum refrigerium, labor requies, solitudo solatium, luctus gaudium, silentium pacis hospitium. Beatus, cui sacra lectio, cibus, oratio potus, psalmus iubilus, meditatio Christi, speculatio Deus. Beatus Religiosus, qui omnia studia & exercitia sua ad virtutes & beneplacitum Dei ordinat: & nihil singularitatis & ostentationis, verbo vel facto prætendit: cauens vrbique, ne Deum vel proximum offendat. Beatus, qui pro bono accipit, quando aliquis eum corripit & rectè instruit, ne in errore permaneat, & malè pereat. Beatus, qui os suum strictè custodit, ne otiosum aut nociuum verbum proferat. Talis magnam pacem habebit, bonam conscientiam & famam, deuotionisque gratiam obtinebit specialem.

Silentij  
fructus.



8. Multa iurgia cessare facit, qui patiens est, & tacet. Religio-  
sus in abscondito manens, quasi lucerna in nocte securè ardens.  
Flabunt venti, & nõ nocebunt Deo vacanti & oranti. Verè magnus  
thesaurus in ore sapientis, sed non minor in corde tacentis & o-  
rantis. Dixit quidam expertus: Quicquid boni tacendo colligo,  
hoc ferè totum loquendo cum hominibus dispergo. Quia Sam<sup>uel</sup> *Judit. 25.*  
son secretum suum mulieri retulit, & parabolam mellis non abs-  
condit, postea ab hostibus captus & delusus fuit. Bonum est ergo  
Religioso silentium servare, & verba sua cautè ponderare. Qui  
enim silentium bene servat, quasi sacculum pecunia plenum se-  
cum ad domum mentis portat.

*Exemplum de silentio.*

9. **F**VIT in partibus superioribus Monachus quidam ordinis Religiosus  
Cisterciensis, sollicitus custos oris sui, & claustralis disci- quidam lo-  
plinæ diligens observator. Hic zelo devotionis accensus, vix v- quedi gra-  
nicum verbum in hebdomada loquebatur. Cui Abbas causa so- tiam fieri  
latij ait: Frater, do tibi licentiam quandoque loquendi cum fra- sibi noluit.  
tribus. Qui respondit: Pater reuerende, non desidero talem licen-  
tiam habere. Quod audiens Abbas, ædificatus est in responso  
fratris libenter tacentis.

*Exemplum de solitudine.*

10. **Q**UIDAM Frater regularis ordinis foras emissus, expleto  
negotio ad domum suam celeriter ac desideranter redire  
studuit, vt Deo liberius in silentio vacaret. In via autem cõstitu-  
tus, inuenit quemdam viatorem sibi amicum & notum, qui di-  
uersa loca sanctorum & monasteria se visitasse asserbat. Inter-  
rogatus ergo de religiosis locis, dicebat etiã se in sacro Carthusie  
claustro fuisse. Cumque multa bona de situ loci illius in alto mō-  
te, & arcta solitudine, ac fratrum ibidem habitantium rigore lo-  
queretur, hoc tandem intulit, Inueni ibi Fratrem, cum quo li-  
center loquens, curiosè interrogauit dicens: Quanto tempore  
hic habitasti? Qui ait: Quadraginta anni lapsi sunt, & inte-  
rim non vidi primam portam, per quam primò ingressus sum.  
Audiens hæc Frater prædictus, miratus est: & alijs fratribus  
suis ista, pro bono exemplo amandæ solitudinis, recitauit. O  
quàm rarum & alienum est istud in multis religiosis, tempori-  
bus istis: qui pro pœna carceris reputarent, si infra annum ex-  
tra septa monasterij, vel extra portam, spatiandi causa exire  
non deberent.



## SERMO XIV.

*De constantia & perseverantia in statu religionis.*

2. Par. 20.  
Heb. 10.

1. **C**ONSTANTES estote, & videbitis, auxiliū Domini super vos. Dilecti fratres, gratāter accipite verbū pię exhortationis, ad perseverantiam vos admonens in statu religionis, quę maximam remunerationē habet in cęlis. Proponatis firmiter in cordibus vestris, quōd velitis in loco & ordine isto, quem sponte elegistis, permanere constantes: & cum omnibus, in hac domo propter Christum diu ante tempora vestra congregatis, bona & mala sustinere. Qui dedit bene incipere, dabit per gratiam suam melius consummare. Non enim vestris meritis ad hunc conventum vocati estis, sed coronis eorum participes vos fieri credatis. Horum orationibus adiuuari & beneficiis sustentari gaudeatis, & gratias Deo semper agatis. Non enim ad otia & epulandum venistis, sed ut Deo fideliter & deuotē seruiatis. Et tāto sollicitiores & promptiores esse debetis, ad omnem obseruantiam ordinis, & communes labores; quanto plura convenientia in adibus & libris, in cibariis & vestibus iam habetis, quę multi seniores ante vos non habuerunt. Vos in labores eorum introiistis, ideo grati fitis de bonis acceptis.

Ioan. 4.

2. Hęc temporalia à Deo parata, quasi encēnia quędam, ad sustentaculū corporis vobis conferuntur. Si vtimini istis sobriē cū gratiarum actione & benevolentia, tunc adicientur vobis adhuc ampliora bona in cęlis, quę certissimē reddentur omnibus perseverantibus in ordinis disciplina. Et si necdū intelligere nec capere potestis futura gaudia, preparata in nuptiis cęlestibus; firmiter tamen credatis, quia fidelis & potens est Deus dare, quę promisit diligentibus se: qui non coactē, sed libera mente seruiūt ei die ac nocte sine querela. Idcirco cū ingenti sollicitudine, abiicit citō de corde vestro nociuā tristitiam & omnē indignationē, tanquam venenum diaboli; & studeatis inter fratres vestros, tanquam Angeli pacis inter conciuēs suos, conuersari Tollite super humeros vestros iugum Domini, amantibus leue & suauē, donec perueniatis ad patriam felicitatis æternæ.

3. Interim verō probari habetis mōre sanctorū per varias tētationes, quę in religione sapē contingunt, & nouitios hinc inde grauiter affligere solent; quatenus tanquam aurum in fornace probati, & à rubigine vitiorum præteritorum purgati, fulgeatis in conspectu Dei, sicut agni nouelli in fontibus loti. Enimvero post lachrymas & dolores, recipietis cōsolationes diuinas &

illumi-



illuminaciones mentales, omnes labores & angustias alleuiantes. Quid vultis amplius? Ecce nunc dantur vobis terrena bona, pro sustentaculo corporis in via laboris: postea verò dabuntur caelestia & sempiterna bona, in regno Dei cum Angelis sanctis: quia cognatos & amicos reliquistis, & Deo potius quam seculo seruire elegistis. Si igitur constantes permanseritis in eo, quod coepistis, latanter & fiducialiter à Christo in iudicio audietis: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis sicut disposui mihi Pater meus, regnum; ut edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo. O dulce & cōsolatiofum verbum, confortans ad perseverandum in ordine assumpto, & in quacunque tentatione, & tribulatione, aut infirmitate, quis fuerit circumuentus! Dei profectò est adiuuare, & de omni angustia mentis & corporis afflictum liberare. Et qui confidit in Deo orando, & patienter se sustinendo, consolabitur tempore opportuno, gratias agendo de auxilio caelitus sibi collato. Non est personarum acceptor Deus, sed in omni statu & loco, in quo fuerit memoria nominis eius sub calo, aderit tentatis & tribulatis corde. Exaudiet eos pro sua clementia, & ostendet eis secreta iudicia sua, & mirabilia magna in omni re, quam operatur in terra.

Lucæ 22.

Deut. 10.

4. Non potest quis dicere Deo, cur me ita affligis, & aridum relinquis, & alium sic promotes, & plures voluptates habere permittis? Stulta & vana est huiusmodi cogitatio, vel in minima re dubitare aut conqueri de Dei prouidentia & bonitate. Infirmorum & insipientium mos est, reprehendere & malè interpretari facta prudentium, quæ non intelligunt: qui mirantur & scandalizantur plerumque in seipsis, quare Deus ista vel illa tam aperta mala fieri permittit. Quibus Psalmista ita respondet: *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et iterum: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Hoc igitur firmiter teneatis, quòd in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos, & nemo potest se abscondere à iudicijs eius, nec multis pulchris verbis mala sua excusare, neque ad superiorem iudicem contentiosè appellare. Quicumque ergo in statu humili & ordine suo manens, contra tentationes & vitia sua strictibus certauerit: maiorem nunc gratiam deuotionis à Deo meretur, & in futuro amplioris gloriæ beatitudine perfruetur. Potest quilibet religiosus in ordine suo & loco, à Deo sibi prouiso, animam suam saluare & virtuosè proficere; si sollicitè seruat quæ ordo instituit, & Prælatus facere iubet ac consulit.

Psal. 146.

Psal. 118.

Eccli. 25.

5. Nemo igitur instabilis se seducat, neque stulta & vana imaginatione de alio loco cogitet; & de incertis futuris iucundiora sibi prophetando dicat: O Deus, si in tali loco & ordine essem,

Instabilitatis pruriginem vitet religiosus.

D

quam



quàm bene & deuotè me habere vellem, nec de aliquo ampliùs conqueri vel turbari. Heu miser & insipiens homo, qui extranea ob defectum feruoris cogitas, & sapius ex angustia præsentis passionis, leuiora confingis; cur non facis hæc bona in loco isto, vbi cum multorum fratrum gratia & bonæ conscientie pace viuere potes, Deo teste & fauente? Quare negligis modica tibi dicta, & præsumis ampliora futura? Præscito, quòd saepe aliter & multo deterius contingere solet tepidis & dyscolis discipulis, quàm ipsi in animo priùs finxerunt, absque fructu alicuius valoris. Multos fefellit ista imaginatio; multos eruditos errare fecit, facilis loci mutatio: plures contristauit ad alium ordinem inconsulta migratio. Sæpissimè namq; in aliis probatum est, quòd rarò emendatior rediit, qui plura loca quæsiuit. Vbicunq; enim homo fuerit, homines inueniet, etiam claudos & debiles, quos vtique tolerare oportet. Et fortè imperfectiores aliquos videbis, qui tibi in multis non placebunt, nec tu eis similiter complacebis. Dicent fortè quidam, aut cogitabunt de te sinistrè: Si valuisses aliquid, mansisses potius in loco in ordine tuo cum pace. Manifesta tamè citò erit causa cuiuslibet discursantis de loco ad locum, quid eum amplius agitauit. Non enim diu latere potest ficta sanctitas, nec animi leuitas; nec alios ædificat euagandi libertas. Nam verè deuotionis nutricius est solitarius, & religiosus inclusus.

6. Audite cuiusdam deuoti senis parabolam: Cum aliquis vno pede claudus aut monoculus egreditur, rarò vtroq; sanus reuertitur. Vulpes exiens foueam, nescit diu per rectam incedere viam: Sic homo vagæ mentis & dolosus nequit diu se fingere: sed seipsum prodit etiam inuitus coram multis ignotis, aut verbis aut factis apertis. Sepe etiam iracundia motus, ostèdit impatientie suæ aculeos, cum fuerit pro culpa sua correptus, aut silentium seruare coactus. Superbus homo passionatus intrinsecus, ad breue coram aliis quandoque se comprimit, ne reprobetur & vilescat extrinsecus: processu verò temporis liberior factus, ad solita reuertitur inuerecundus. Sicque patebit pluribus, quia non verè fuit humilis, sed voluit videri bonus & iustus. Tentatio diaboli nõ permittit fugituum diu abscondi, nec quietè agere; sed per noua & inopinata obstacula pungere inchoat, multoq;e deterius vexare & confundere timidum laborat, quia nidulum suum insipienter reliquit. Onus quippe ordinis diurnum & nocturnum, collo monachi impositum, ostendit citò, quantum portare potest pro amore Dei, & sustinere. Idcirco in omni loco & statu, in omni officio & dignitate spiritali, aut occupatione tēporali, permaximè necessaria est longanimis patientia, ac diuinæ gratiæ larga affluentia, cum frequenti precum instantia; ne infirma mens crebris ictibus

tacta



raeta moueatur subita ira ad impatientiam; aut suggestione satanae quærat reddere vindictam, indignè ferendo opprobria sibi obiecta.

7. Noli miles Christi fugere, noli teipsum deicere, noli à primo feruore tepescere, nec de diuinæ dulcedinis consolatione hæsitare. Noli quærere exteriora corporis commoda, animæ tuæ valde nociua; sed propter Deum sustine tentationes & hominũ vexationes, tam bene in hoc loco sicut in alia domo. Nec æstimes te à Deo derelictum, si multa tibi occurrunt ad patiendum: quia non es melior Christo passo, nec Martyribus sanctior atrociter interfectis. Homines agunt, & sæpe obloquuntur sicut homines; nec semper verum est, quod dicunt: nec multum curandum, si laudant vel vituperant. Caue omni tempore & loco, à malefacto & scandalo, & Deus liberabit te à verbo iniquo, de te mendaciter dicto. Scriptum est in quadam collecta quadragesimæ super populum: Tuere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Pœna enim non facit aliquem reum, sed culpa iustam exigit pœnam. Deum ergo præ oculis habeas: orare in tribulatione non omittas: temporibus debitis scripturas sanctas lege vel scribe, vt tedium cordis melius vincas. Dat Deus sæpe in vna hora, quod in tota denegat septimana. Nunquam de tua virtute & iustitia præsume, sed de misericordia & bonitate Dei optimè confide: & inter spem & desperationem cautè & discretè procede. Nunquam ita hilaris sis & securus, vt timorem & verecundiam à te excludas. Qui Deo vult placere, & proximum ædificare, debet omnia verba sua & mores foris & intus taliter ordinare, quasi statim coram Deo & Angelis eius deberet presentari.

8. Noli ergo religiose frater, si leuis fueris, & vagus, aut verbosus, de exteriori habitu coram hominibus quasi sanctus homo gloriari, nec de aliquo opere privato vel communi superbire: sed potiùs inutilem te reputabis, si rectè sapis, vtpote qui de mille talentis vix vnum reddere sufficis. Non es ideo sanctus & magnus dominus dicendus, quia cappam geris extrinsecus, quod asinus facere posset, si esset taliter vestitus. Attende conscientia tuæ fœditatem magis, quàm æstimationem humanam: quia non sunt omnia ita sana coram Deo & clara, sicut apparent hominibus esse pulchra. *Homo videt in facie, Deus autem in corde,* qui etiam minutissima considerat, quæ tu non cognoscis, aut modicum ponderas. Idcirco deprime cor tuum sub districto Dei examine: & noli de dignitate religionis vanè extolli, neque de virtutibus aliorum & miraculis Sanctorum iactanter loqui. Seipsum denigrat & confundit, qui patram  
D 2
suorum



suorum sanctitatem commendat, & humilem eorum conuersationem sequi negligit: Qui regularis & religiosus vocatur, & viuendi normam, quam sancti posteris reliquerunt, seruenter non sectatur: Quidē bonis monasterij quotidie uiuit, & statuta monastica tepidē seruat aut leuiter frangit. At tamen propter S. Patres precedentes, qui religionis ordinem instituerunt, & regulas viuendi composuerunt, desides & vagātes à secularibus personis & magnatibus, quos Dei seruos credunt, etiam honorantur. Ideo vnusquisque seipsum rectē inspiciat, & aliis bonum exemplum tribuat: ne sancto ordini iniuriam faciat, & cōfusionem sibi malis moribus generet. *Va illi*, inquit Dominus, *per quem scandalum venit*. Si vis aliquem religiosum verē cognoscere & commendare, non corporis habitum album vel nigrum inspicere, nec ad subtilitatem verborum attende: sed humiles mores eius, interioris hominis imaginē praeferentes, considera. Gratiam quoque Christi, quam accepit, tacitus venerare: & Deum pro donis suis amare & laudare qui talem famulum sibi elegit in terra deserta, tentationibus & periculis plena. Cautē tamen & moderatē lauda, quem diligis: ne te & ipsum decipias, si vltra quā oportet aliquid dicas, de quo postea erubescas.

*Matth. 18.*

Monachi  
perfectio  
vude di-  
gnoscatur.

9. Fratres omnes in Christo vnum sumus, vnum Patrem caelestem habemus: omnes vnus sanctae matris Ecclesiae filij vocamur, quicumque in Christum credimus, & in Christo baptizati sumus. Ideo de habitu exteriori, & diuerso modo viuendi, contendere non debemus: sed vnusquisque in ordine & statu suo bene studeat viuere, & Deo soli ad votum cum gratiarum actione dignē placere. Non enim loci amoenitas, nec magnitudo; non vestis pulchra, nec gradus excellētia, perfectum facit religiosum: sed perfecta seculi abrenuntiatio, & vitiorum quotidiana mortificatio, & praecipuē puritas cordis, & amor virtutum, tendens directē in Deum. Religionis nomen magnam habet laudem inter seculares; sed sine contemptu seculi, parui ponderis est apud Deum. Sed quid valet altum nomen, sine opere virtutis? Quid prodest altus status, sine humilitate & charitate?

10. Ille verē religiosus est, qui seculo sponte renuntiat, & corde ad seculum non regyrat. Qui perpetuē se Deo obligat, & omnes voluntates suas propter Deum frangere studet. Qui enim cum sancto habitu & bono nomine opera virtutum sic agit exteriùs, vt tamen soli Deo, in omni cogitatu & actu placere intēdat interiùs, hic dignē laudandus est, & amicus Dei appellandus. Si cupis vanam gloriam vincere, attende singulos defectus tuos quasi omnibus notos, & cessabit vanae gloriae motus. Caue singularitatem verbis & moribus ostendere: noli nimium de te

prafu-



præsumere, cum prosperè tibi successerit: ne deiiciaris aduersitate ingruente. Maneas in loco tuo, & pone te ad patientiam; & inuenies pacem & gratiam coram Deo & hominibus, & eris dilectus fratribus cunctis. Sed ne aliquis de facili cogitet mutare habitum vel locum, referam vobis cuiusdam fratris factum, ad maiorem cautelam habendam.

*Exemplum.*

11 **F**uit quidam frater in ordine regularium, probabiliter diu conuersatus: & procurator factus, apud multos religiosos & seculares erat bene visus & reputatus. Hic longo tempore tentationem habuit & desiderium transeundi ad alium ordinem & locum remotum; quod & fecit, licet minus prouidè & inconsultè. Nam ex debili fine, patuit postmodum leuitas inconstantia. Prouiderat autem secretè sibi locum apud quosdam religiosos mendicantes satis bonæ cõuersationis, sub regula beati Augustini degentes, à quibus etiam benignè & libenter est receptus. Nec longa mora extitit ad probandum, sed festinanter est inuestitus, propter vehemens suum desiderium adimplendum. Tam instanter petiit & anhelauit ad illum ordinem, vt eodem die libenter professionè fecisset, si fratribus hoc placuisset. Sed fratres cautiore quam ipse, quia conuersationis eius statum nesciebant, repentino desiderio eius non consenserunt, sed tempus probationis (vt moris est) liberè ipsi indulserunt. Estimabant enim, sicut exteriùs apparebat, hunc aduenam vtilem sibi fore, quia personis indigebant ad ordinis reformationè. Sed cum iam inuestitus esset, mutatum est cor eius in aliud quàm credidit. Cœpitque vehementer contristari & pœnitere, quòd locum pristinum, vbi diu moratus fuerat, reliquerat, & fratres suos sine debita causa secretè dimiserat, quos non parum de suo recessu contristauerat & confuderat. Vix octo dies intercesserant, & in tantum (præ confusione mentis) doluit & ingemuit, quòd nec comedere nec dormire potuit. Interrogatus ergo, quid sibi obesset, dixit: Nullatenus possum in conscientia contentari, nec pacem habere, nisi iterum ad pristinos fratres meos fuero reuersus.

12. Quibus auditis, satis contristati & permoti sunt fratres: & acriter eius inconstantiã arguebant, eo quòd in tam breui tempore remutatus esset, & puerilem rem præsumpsisset. Ad quos ipse humiliter & verecundè respondens, ita se excusabat: Credatis mihi fratres, quia per multos iam annos hanc tentationè habui, vt ad alium ordinem transirem, & tam fortiter hoc in animo concepi, quòd putabam nunquam me posse mutari. Sed iam hoc ipsum experientia propria aliter esse probaui, quòd priùs perpendere nequii. His igitur ab eo dictis, nè scandalum adhuc latens



crumperet & cresceret, inito consilio faniori, miserunt ad Priorem quendam ordinis regularium, in vicino morantem, rogantes vt ad eos properanter venire dignaretur, causa necessaria urgente. Quo adueniente, rem gestam per ordinem pandunt: & quid iam faciendum sit, diligenter efflagitant. Nec longa mora trahitur, sed paci ab vtraque parte prouidetur. Igitur frater prædictus dolore magno compunctus, habitu præsumpto exiit: & rursus à Priore habitu regularium canonicorum in ordine consueto reinduitur; sicque turbationis occasio de medio subla-  
ta repente cassatur. Deinde dato ipsi socio, ad monasterium suum pristinum rediit; & petens humiliter veniam de offensis patrat-  
is, à fratribus suis misericorditer est receptus. Moxque iniuncta ipsi salutari pœnitentia, de præsumptionis errore castigatus est. Et de cætero cautior factus, didicit nil temerè debere agere; nec per alienas domos insipienter discursare.

## SERMO XV.

*De cauta custodia iuuenum, contra multas tentationes.*

*Ephe. 5.*

**I.** *V*idete, quomodo cautè ambuletis: quoniam dies mali sunt. Dilecti fratres, his verbis admonet nos omnes doctor egregius,

*Psal. 45.*

B. Paulus Apostolus: vt cauti simus, & fortiter certemus contra vitia in hac domo Domini: vbi est habitatio peregrinorū mundi, in qua erectum est vexillum sanctæ Crucis, in signum spiritalis militiæ, pro lucrands aureis coronis, in caelestibus regnis. Quapropter à proficiendi desiderio nemo torpescat: Dominus virtutum nobiscum, qui est fortis supplantator vitiorum & hostium fugator. Nemo turbetur, neque formidet ab impetu tentationum diuersarum, nec à multitudine contrariorum ventorum, neque à fatigatione laborum quotidianorum: quoniam per multas tribulationes oportet nos omnes intrare in regnum cælorum: sicut prædicat Euangelium Christi, & docent Actus Apostolorum. Nempe & ipse Apostolus Paulus vas electionis ad cæli secreta frequenter raptus, tentationes habuit, vexationes hominum passus est: atque in multis laboribus fatigatus, detractiones & murmurationes contra se iniustas sæpius audivit & sustinuit. Nec tamen propter aduersa affligentia à Christi seruitio & amore discessit, nec refrixit; sed magis viriliter ad tolerandum omnia se exposuit, & alios secum ad certamen propter coronam gloriæ confortauit; quam Christus seruis suis, multa contraria pro se sustentibus, promisit. Et factus est beatus Paulus tanto lætior & securior, ad percipienda præmia futura in cælo, quanto duriora pertulit à notis & ignotis, tanquam homo despiciabilis

*Luce 24. &  
Act. 14.  
2. Cor. 12.*

Paulus in  
aduersis  
probatas  
amicus  
Dei.  
*Rom. 8.*

in



in mundo. Fratres, nolite nimium timere pro Christo pati & vilipendi: omnia hæc nihil sunt, & citò finientur: immo comparatione futurorum bonorum & malorum, vix vnus puncti sunt aut momenti reputanda. Scitote ergo, quia hæc vita & regularis disciplina, quam Deo inspirante acceptastis, bona est, & animæ vestræ valdè salutaris, sed non ab hostium insidiis secura, nec à vexationibus hominum & increpationibus peruerforum semper quieta: quia modò iste, modò ille dicit aliquid aut facit, quod oculis vestris non placebit.

2. Quid ergo facietis? Patientes estote, & tacete: Dominus pugnet pro vobis, & veritas liberabit vos. Non perdati meritum vestrum, sed tacendo sustinete modicum, dignos vos omni confusione iudicantes. Adhuc non estis in cælo cum Angelis sanctis: sed in mundo cum hominibus bonis & malis; qui non deficient in hac regione vmbrae mortis. Idcirco potestis bene sapius gemere, & non leuiter ridere: magis autem timere, & non faciliè de vobis præsumere. Itaque sollicitè, in omni loco & tempore, coram Deo ambulate: quia incerti estis de bono sine: & qualiter Deus velit facta vestra iudicare, nescitis. *Exod. 14.* *Timete Dominum omnes sancti eius, (ait Dapud sanctus) quoniam nihil deest timentibus eum.* *Psal. 35.* Quare hortatur omnes timere, & sub magna custodia disciplinæ stare? *Quia terribilia sunt iudicia Dei super filios hominum;* & nemo certus est, an dignus sit odio vel amore. Idcirco valdè vtile est homini adhuc carnali, dissoluto, & immortificato, habere timorem Dei: & omnia opera sua vereri, & vilia de se sentire. Nam timor Dei facit à peccato recedere, pericula tentationum præcauere; de præteritis malis dolere, à præsentibus delectationibus abstinere; de necessariis vitæ sobriè sumere, ac discretè actus suos regere; semper ad perfectiora tendere, & cuncta, quæ Deo magis placent, inquirere ac studiosè agere, & ad eius honorem omnia bona laudabiliter trahere & promouere. *Psal. 65.* *Timor Dei homini infirmo necessarius.* *Ecclesi. 9.* *Timor Dei quid efficiat.*

3. Heu, heu fratres, multa pericula circundant nos vndique: scilicet caro, diabolus, & mundus totus in maligno positus. Ex his generantur pericula & tentationes, & pauci sunt, qui sine læsione & iniquatione euadunt. Quid ergo mirum, si quis de sua fragilitate timeat, cum vbique laqueos diaboli contra se extendi percipiat? Si enim bona agit, bene legit, cantat, vel scribit: si orat, studet, prædicat, aut celebrat: ecce statim adest diabolus cum vana gloria; probum impugnans per prospera, volens eum deiicere & priuare gratia à Deo ipsi collata: Si verò in aliquod vitium per fragilitatem cadit, mox aduersarius lætus accurrit, suggeritque non esse magnum malum, nec grauius puniendum: sed & breuiter confitendū, & cautè accusandū, cum multi talia & grauiora



graviora faciant, & fecerint. Sic lapsum tepidum hostis callidus decipit; quatenus parum poeniteat, tardè ad confessionem eat, communicare differat, ministrare timeat, ad exteriora se conuertat, cellam exhorreat, fabulari & ociari quærat, debilem se fingat, necessaria omittat, aliena inuestiget, diuina negligat, terrena mente reuoluat. Hec omnia si quis tempestiuè non expellit, grauiore diabolus laqueos incurrit. Rursum, quosdam debiles, per iracundiam & impatientiam, lædere & prosternere quærit; & modica re perdita vel ablata contristat & perturbat, indignationem suscitât, suspiciones immittit; bene gesta peruertit, falsa pro veris seminat, & mala pro bonis reddere suadet. O peruersitas hostis dolosi, quanta sunt insidie & decipulae tuae in omni loco & tempore, occultè lædentes & improuise? Et quis cognoscat eas, & enumeret omnes? Solus Deus, omnium secretorum cognitor, nouit astutias diabolicas; qui docet eas præcauendas per scripturas sacras, ex Spiritu S. reuelatas.

4. Quid ergo faciet homo grauius tentatus, & multipliciter vexatus à facie inimici, qui etiam coram alienis accusatur & deridetur? Quò fugiet, vt laqueos euadat, & mala non audiat, nec videat? Quando veniet tempus, vt pacem & quietè habeat? Dixi vobis, & iterum dico omnibus, paruis & magnis: Pax nostra est in multa patientia, in vera humilitate, in contemptu omnium consolationum terrenarum, in forti tolerantia contrariorum, in longanimitate expectatione celestium gaudiorum. Recordamini igitur charissimi in tribulatione vestra, beneficiorum diuinorum & mirabilium operum suorum, ab initio creaturæ vsque ad consummationem seculi; & inuenietis, quòd pietas Dei excedit malitiam hominum, parcendo eorum malis, vt vitam emendent in melius. Et cum pios flagellat aduersis, etiã amorem suum in dilectis ostendit. Qui ergo verbera beneficia reputant, ipsi nunc pacem habent, & hos incundissima retributio sequetur in cælis. Ibi enim plena pax & securitas ab hostibus, libertas à vitiis, sanitas à morbis, requies à laboribus. Ibi diuitiæ sine sollicitudine, deliciae sine amaritudine, cognitio sine errore, dilectio sine fictione, gaudium sine mœrore, honor sine confusione, laus & gloria sine cessatione. Sed heu, hæc bona desunt in mundo, vbi omnia permixta sunt malis: nam rara virtus perfecta, raro conscientia ab omni macula pura. Et nisi assit gratia diuina & diligens cordis custodia citò negligens cadit in vitia & solita mala. Et vnde hoc accidit? Quia cum peccato nati sumus, & à iuuentute ad delicias carnis inclinamur: tepidè ad virtutes nos damus, inuitè à propriis conceptibus retrahimur, vanis implicamur, aliena scrutamur. Ideo proniores sunt sensus nostri (etiam post conuersionem

Pax nostra  
vbi sita.

In cœlis  
felicitas  
qua.

&



& confessionem peccatorū) ad terrena & visibilia bona sibi nota redire quā ad celestia & invisibilia desideranda assurgere. Grauis dolor est vago homini, abstrahere mentem ab infimis bonis, naturā suā assuetis; grandis labor attollere animum ad superna & æterna bona, abscondita ab oculis humanis. Heu, heu, quanta angustia animæ, laborare & certare quotidie contra se, pro æterna vite retributione.

5. Sed latent adhuc tanta bona, & magna merita, & infinita præmia: quæ Deus laborantibus, certantibus, dolentibus, & piè sustinentibus, copiosissimè reddet in futuro, secundum sua promissa in Evangelio sancto: *Ecce (inquit) merces vestra multa est in celo,* quæ dabitur vobis pro breui certamine atque pressura in mundo. Sed quis potest omnia pericula huius vite cognoscere & prædicere quæ possunt homini sub sole in loco tentationis contingere? Nam iusto & impio multa aequè similia eveniunt. Sepe etiam adversa plus contristant, quā bona adepta lætificant. Si aliquis pauper est, sollicitudo vrget eum de bonis acquirendis. Si dives fuerit, timorem habet de perdendis. Væ ergo habenti, & væ non habenti, quia utrobique instant pericula peccadi. Orat ergo Sapiens, mediam viam eligens, & dicit: *Diuitias & paupertatem* Prou. 30.  
*ne dederis mihi, sed tantum victui meo necessaria prabe* His, fili mi, amplius ne requiras. Paupertatē Christi amicam propter Christum non verearis; quia sponte pati defectum virtutis est, & acquisitio regni celestis. Dulcior est sepe siccus panis pauperis esurientis, quā crapulosa mensa satiari diuitis. Salubrior est mendicanti aqua potus, sub vili tecto asseris; quā fortis vini copia in palatio regis. Plus enim diuitem fatietas ciborum grauat, plus vini potus caput eius lædit, quā tenuis victus stomachum mendici languentis.

6. Periclitatur autem citissimè sancta paupertas in diuitiis magnis, sobrietas in conuiujs lautis, humilitas in honoribus altis, castitas in amicitia cum feminis, deuotio in tumultibus, cōpunctio in risibus, silentium in turbis, puritas cordis in rumoribus, quies in laboribus, mansuetudo in aduersis, prudentia in officijs, trāquillitas in occupationibus, discretio in correptionibus, sapor diuinorum in fabulis vanis. Ecce quomodo virtutes obscurantur & subauntur, per nimiam familiaritatē quorundam actuum cum secularibus. Citò namque spiritualis dulcedo per externa negotia perditur; & feruor charitatis à Deo quæsitus, per longas fabulas frigescit & extinguitur. Et nisi per compunctionem leuitas mentis frenetur, per orationem tepiditas expellatur, per lectionem serenitas recuperetur, per puram & humilem confessionem conscientia crebrius mundetur; vitia assueta redeunt, Virtutes vbinā periclitentur.  
D 5 crescunt,



crescunt, indurant, opprimunt, & affligunt.

7. Quapropter necesse est religiosum fratrem seipsum præcipue admonere, & aliorum admonitiones benignè accipere; magnam curam contra passiones suas adhibere, ac fortiter contra vitia irruentia rebellare: quia per fortia certamina itur sine dubio ad gaudia sempiterna, vincētibus in extremis reddenda. Hinc Christus per beatum Ioannem in Apocalypsi loquens adhortatur strenuè fidelem militem suum certare, & contra diaboli nequitias per orationes & sacra studia vigilare. *Esto (inquit) fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et iterum in eodem: *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* De quo beatus Paulus ait: *Nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit.* Duo preciosa dona Christus promittit bellatori suo, ne deficiat in certamine contra vitia; scilicet, manna diuinæ consolationis in præsentia, & coronam perennis lætitiæ in regno caelesti. Nolite ergo fratres seduci inanibus verbis per amicos seculares, nec attendatis ad honores temporales: sed tenete bonam & rectam viam per regularem vitam, perducentem ad vitam æternam. Quam nobis omnibus Dominus Iesus Christus post labores & dolores huius mortalis vitæ concedat, qui pro nostra salute fortiter in mundo laborauit, & certauit, doluit, fleuit, orauit, passus & crucifixus triumphauit, Amen.

SERMO XVI.

*De districto Dei iudicio, ubi accusabunt nos omnes creatura.*

1. Pet. 5.

1. **H**umiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Dilecti fratres, seriosè attendite sacra beati Petri Apostoli verba, quæ iam in epistola eius sunt lecta. Hortatur enim omnes ad veram cordis humilitatem: ut homo consideret altissimam super se Dei potentiam, & propriæ fragilitatis multiplicem miseriam. Hæc duo simul iuncta faciunt humiliter de seipso sentire, & de nullo bono opere superbire. Hinc rursus ait: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Inspiciatis ergo corda vestra, Deo in omnibus aperta. Recogitate mala præterita, præsentia pericula, futura Dei iudicia, & quàm districtè sint omnia opera nostra examinanda. Nescimus fratres, qualiter Deus iudicabit nos.

Iacobi 4.

2. Timeo autem, quod accusatores nostri multa gratia obiciant nobis, de quibus nunc parum recogitamus. Sed qui sunt isti accusatores nostri? Verè valdè multi, de quibus nunc aliqui sunt recitandi. Accusabunt nos Angeli sancti, quia instinctibus diuinis non obediimus: sed potius carni & sanguini ultra necessitatem sæpe indulsimus. Accusabunt nos demones horridi & maligni: loca, tempora & personas allegantes, in quibus &

Accusabunt nos multi in extremo examine, Angeli, demones,

cum



cum quibus peccauimus, nec dignam poenitentiam fecimus.

3. Accusabunt nos sancti Patriarchæ & Prophetæ, quia bona eorum exēpla & fidem nō sumus imitati per opera; qui prædixerunt nobis multa bona, per sacra eloquia, de Christo & vita æterna.

Patriarchæ  
& Prophæta.

4. Accusabunt nos sancti Apostoli & Euangelistæ; quia illam perfectionis viam, quam à Christo didicerunt, & tenuerunt, & docuerunt, tam negligenter & tepidè secuti sumus; etiam postquam monasterium intrauimus, & Deo seruire promissimus.

Apostoli  
& Euangelistæ.

5. Accusabunt nos sancti Martyres pro Christo occisi, quia eorum patientiam, saltē in paucis vexati, debiliter sectati sumus, & ad mollia carnis prolapsi, vix scintillā primi feruoris retinemus.

Martyres.

6. Accusabunt nos sancti Confessores, & omnes religiosi ordines, quia eorum abstinentiam & laborem, in vigiliis & ieiuniis multis, in orationibus, lectionibus, & sacris meditationibus, sicut de eis legimus, pro posse secuti non sumus.

Confessores.

7. Accusabunt nos boni Pastores, Sacerdotes & Doctores, qui multum laborauerunt pro salute animarum, pro cōuersione peccatorum, pro disciplina religiosorum, pro consolatione tribulatorum. Quia eorum prudentiam & prædicationem non sumus in claustris per contemptum seculi perfectè imitati: nec cum tanta reuerentia & amore eorum libros, super mel & fauum dulcissimos, gratanter accepimus, nec studiosè perlegimus: nec diligenter ad sacros eorum sermones aduertimus.

Pastores  
boni.

8. Accusabunt nos lectores, cantores, scriptores, & omnes libri: quos in choro, in dormitorio, in refectorio, & in cellis pro studio habemus: quia fructum paruum in istis fecimus, sed ad aliena & vaniloquia sapius auscultauimus. Ideo dicent, si loqui possent: Cantauimus vobis, & non saltastis præ magnitudine gaudiorum & præmiorum futurorum, quæ in libris nostris scripta continentur, quæ Deus vobis pro consolatione & eruditione vestra transmisit. Rursumque dolentes cum lugentibus pueris dicent: Planximus vobis, & non plorastis præ nimis miseris & pœnis futuris, quas vobis frequenter denunciauimus.

Scriptores  
& libri.

Matth. II.

Ibidem.

9. Accusabunt nos sancti Eremitæ, solitariæ vitæ amatores, à secularibus mente & corpore segregati: quia eorum angelicam conuersationem & celestem contemplationem, in continuis orationibus & deuotis meditationibus, in silentio & laboribus, in abrenuntiatione terrenorum & mortificatione vitiorum, negleximus perfectè imitari. Ideoque ipsi exultabunt in magna gloria, coram Deo & Angelis: & nos confusi stabimus propter delicias, quas libenter acceptauimus.

Eremitæ.

10. Accusabunt nos sanctæ virgines, sanctæ viduæ, & omnes pueri & puellæ, pudicitiam Deo amabilem constanter obseruantes,

Feminæ  
sanctæ.

uantes,



uantes, quæ licet sexu & ætate fragiles essent, tamen per dura tormenta, ab amore & fide cælestis Sponsi, separari non potuerunt. Nos vero difficulter à periculis & occasionibus carnalium vitiorum cauemus, plerumque inuitè ieiunamus, & rigorem silentij laxè seruamus: clausuram & secretum cellæ, pro pace cordis & conuersatione deuotionis, insipienter abhorremus. Et heu frequenter susurrando, leuibus verbis (diabolo instigante) offendimus: qui auctor est turbationis, susurrij, & leuitatis. Multæ namque sacræ virgines & nobiles matronæ, inter amicos & parentes seculares, inter diuitias & honores, à deliciis abstinerunt; inter persecutores & derisores, castitatis propositum fortiter tenuerunt, clausuras & carceres, vincula, verbera, & exilia, patientissimè tolerarunt. Quid ergo ad ista dicemus, qui viri sumus? Nam sapius foris spatiari querimus, vnde paruum fructum reportamus. Erubescamus dilecti fratres, quòd tam multos religiosos sanctos ac sanctas virgines, senes & iuuenes, passos legimus, & adhuc parum pati valemus. Sequamur eos pœnitendo de malis, quos sequi non possumus moriendo pro virtutibus. Dicamus omnes gemendo & flendo: Misere nostri Domine, parce peccatis nostris, da veniam de omnibus offensis; placare sanctorum tuorum meritis & precibus, tibi gratissimè acceptis. Sunt præterea & alij multi accusatores nostri; scilicet locus aptus, ordo sanctus, & habitus religiosus. Quia etsi seculum reliquimus ad oculum foris, & religiosum habitum portamus cum aliis; tamen statuta ordinis tam strictè non custodimus, sicut promisimus.

**Rectores.** 11. Accusabunt nos prælati & rectores nostri, cum fuerint coram Christo, de bona conuersatione nostra, diligenter per singula interrogati. Oportet enim quòd dicant purè rei veritatè, ante iudicem Christum omnia secreta scientem. Inter multa præcipuè quæretur ab ipsis, & exigetur à nobis, si in omnibus cum debita reuerentia obedientes fuimus. Si pacem & concordiam cum fratribus, salua ordinis disciplina, seruauimus. Si diuinum officium diu noctuque, deuotè & attentè, alacriter & vigilanter, persoluimus. Si pro benefactoribus viuis & defunctis, feruenter ac frequenter orauimus. Si pro quotidianis excessibus & defectibus, dignam pœnitentiam egimus. Si pro tribulatis amicis & aduersariis nostris, preces ex charitate & pia compassione effudimus. Si commune bonum & obedientiam, omni priuato studio & deuotioni præposuimus.

**Fratres.** 12. Accusabunt etiam nos fratres nostri, videntes conuersationem nostram, à manè vsque ad vesperam; quia bonum exemplum eis non dedimus, vigilando, orando, laborando, & aliis deuotis exercitiis insistendo; sed pretiosum tempus pœnitentiæ  
infru-



instructuosè expendimus, proprium commodum quarendo, & vtilia omittendo.

13. Accusabunt nos *Seculares.* *1. Cor. 4.* seculares homines, peregrini & hospites aduentantes, quia viderunt nos foris vagantes, leues moribus, dissolutos verbis, bene vestitos, delicatè comedentes, parum laborantes, diu fabulantes: tardè ad chorum, ad cellam, & quietem properantes. Nam tenemur eis, & omnibus hominibus, dare bonæ conuersationis exemplum, eo quòd facti sumus Deo & Angelis spectaculum: cunctisque intuentibus, doctis & indoctis, æternæ vitæ oportet ostendere viam, & boni nominis gerere famam.

14. Accusabunt nos *Elementa & creatura omnes nos accusabunt in iudicio.* in super elementa, & omnes creaturæ cæli & terræ, propter multa seruitia vñibus nostris exhibita, quia creatori nostro debitum famulatum non exhibuimus; & gratiarum actiones pro collatis beneficiis, totis cordium affectibus (sicut oportuit ac decuit) non persoluimus secundum vires, quas à Deo accepimus. Ex quo enim sani videmur, ac necessaria quotidiana à prouisoribus nostris sine magna sollicitudine percipimus, & donaria gratuita libenter acceptamus, ideo iam magis Deo obligamur, tanquam commensales regis cælestis.

15. *Ignis.* Ignis dicet, & contra torporem & ingratitude nostram exclamabit: Ego, iubente Deo creatore meo, vobis in multis locis subuenio. Ego sicut fidelis seruus gratis seruius, sanis & infirmis, in coquina, in pistrino, in braxatorio, in lauatorio, & in oratorio: & quotiescunque necessarium est, pium me præbeo omnibus calefacere se volentibus ad ignem. Ego virtute mihi data comburo straminæ, cespites, lapides, & ligna; exiccio humida, calefacio frigida: mollio dura, induro mollia; in diuersis materiis ago contraria, mira Dei potentia legibus naturæ impressa, vt vos habeatis commoda vestra ad seruiendum Deo cum læticia & gratitudine magna. Nam in hyeme manus vestras & pedes calefacio, candelas accendo, tenebras fugo, claritatem lucis oculis reddo. Quid debui facere, & non feci? Respondete creatori meo, si negati obedire eius imperio. Feci enim sine contradictione, tam bonis quàm malis, quæcunque mandauit fieri Dominus, conditor meus, omnipotens & misericors Deus. Bonis quidem & iustis, ad vtilitatem eorum serueo & luceo; malis verò & ingratis, ad vindictam ardesco. Cumque Deus iratus iusserit, tunc ciuitates, villas, & castra comburo; & tam diuites quàm pauperes sine personarum acceptione deuasto; omnemque mundi lætitiâ, pulchritudinem, & abundantiam, in cinerem redigo, & tamen illæsus in propriæ naturæ forma permaneo.

16. Aër dicet: Ego auram bonam & serenitatem præbeo, ad *Aëri* commodè ambulandum, ad ingeniosè laborandum, ad fructuosè *seminan-*



feminandum, & ad maturos fructus in horrea & vascula hominum colligendos. Sed quia sæpe homines abutuntur bonis datis, ad vanitates & illicita lucra exercenda; iratus Deus malitiis eorum, subito me cogit exercere terribilia in terra, in mari, in arboribus, in pecoribus, in castris, in oppidis, in agris, & in domibus sacris. Nam clara adhuc die nemine aduertente nubes eleuo, ventos produco, fulgura emitto, tonitrua genero, tempestates excito, mare perturbo, grandines proiicio, imbres effundo, terram concutio, arbores euello, domos subuerto, & miram Dei potentiam in istis inferioribus terribiliter ostendo; vt omnes peccatores terræ Deum timore discant: & quàm horrendum futurum iudicium in nouissimo die sequatur, ex præsentibus malis perpendant.

**Aqua.**

*Psal. 106.*

*Exod. 7.*

*Exod. 17.*

*Exod. 15.*

*Ioan. 2.*

17. Aqua dicit: Ego terram imbribus irrigo, fontes & flumina produco, pisces diuersi generis enutrio, naues & galeras multis opibus onustas firmiter porto, & ad longinquas regiones & insulas flante vento transuecto; & multa mirabilia opera Dei, in mari & in aquis multis, nauigantibus demonstro; vt annuncient opera eius in exultatione, cum ad portum peruenerint; & de magnis periculis liberati, magnificè gratias agant: Et quia peccata vindictam exigunt, ideo grauiter Deo offenso, sæpe naues tempestate quatit & frango; sæpe homines submergo, pretiosas rerum copias absorbeo, & tanquam lutum platearum aurum & argentum, in quibus homines confidunt, in imum prosterno. Quatenus avari & superbi gigantes, qui deprimunt pauperes, & defraudant innocentes, in diuitiis suis non exultent, nec spem in terrenis ponant, sed in Deo viuo, qui cuncta fecit ex nihilo, & pauperes pascit in modico. Ego sanctorum manus & pedes lauo, & malis & ingratis ad multa deseruio. Sipientibus potum præsto, puteos & fossas impleo, purgo sordes, candido vestes, & ad varios vsus hominum & pecorum, dulcia pocula aquarum de fontibus & torrentibus propino. Ego propter peccata hominum, versa sum in cruorem in terra Ægypti, contra naturam, de petra deserti largissimè fluxi; ad preces sanctorum conuersa sum in dulcedinem, & ad verbum Christi in saporem optimi vini. Multas igitur gratias Deo reddere tenentur, qui copiam aquarum habent, & pisces retibus captant. Qui verò vino & poculis variis se inebriant, & pauperibus parum aut nihil tribuunt, cum diuite in inferno cruciabuntur.

**Terra.**

18. Terra dicit: Ego homines & iumenta sustento; vias planas & semitas rectas, per campos & nemora euntibus, exhibeo: Montes & colles ne aque præualeant, ad refugium seruo. Ego ligna, gramina, & varias herbarum species nutrio, vineas, & oliueta,  
ficus



ficus & mala granata, poma, pyra, nuces, amygdala, fabas, pisa, ordeum, triticum, flores, rosas, lilia, violas profero : & per singulos annos cultoribus terræ & messoribus consuetos reditus soluo. Et pro omnibus istis beneficiis, largiter hominibus apportatis, non aliud requiro & gratum habeo, nisi vt omnes vbique terrarum nationes & in sulæ gentium, Deum cognoscant, colant, prædicent, laudent, & adorent : & super omnia bona visibilia & inuisibilia diligant, honorent, & exaltent : quamdiu viuunt, odorant, spirant, terram calcant, fodiunt, plantant, & ædificant. Ego quoque post mortem carnis, recipio corpora defunctorum in gremium meum, tanquam mater filios luce priuatos. Quia de terra facta sunt, & in terram omnia reuertentur, sicut ad matrem suam, vnde factus est Adam, & tanquam ad commune hospitale omnium mortalium peregrinorum. Cum enim quis inutilis fuerit mundo, aut senio fatigatus, aut bello occisus, aut morbo infectus, aut vultu deformis, & nemo hunc amplius voluerit in domo tenere, nec in lecto refouere ; tunc sine longa mora, ad me amici vel vicini recurrunt, foueam parant, & abiectum suum ad me reducant, & sub lecto meo in terra abscondunt. Et quem viuentem dilexerant, & valdè laudabant & honorabant : iam mortuum vitant, nares obstruunt, inspicere horrescunt, & recedunt. Ego autem terra à Deo creata misericordiæ plena, nullum defunctum quantumcunque miserum, leprosum, aut faucium, aut foetidum abhorreo aut contemno ; sed sine personarum acceptione, omnes Adæ filios & filias generaliter admitto, qui propter primi paræcis culpam, coguntur redire in terram, de qua omnes traxerunt originem. Ego indifferenter aperio pauperi & diuiti locum sepulchri. Et si interdum viuentes pro loco digniore litigant, defuncti tamen tacent, nec sepelientibus contradicunt. Omnes Reges terræ, omnes Principes, omnes Duces, Comites, Barones, Præsides, milites nobiles, ignobiles, antistites, Abbates, Doctores, Legistas, Sacerdotes, clericos & laicos, breui tugurio claudio, tego, & conseruo ; donec nouissima tuba resonante, Christus in maiestate sua cum Angelis sanctis apparuerit in maxima gloria. Tunc enim coget iterum reddere corpora in sepulchris dormientia, ad præsentandum in iudicio bonos & malos singulos cum corporibus suis sine mora ; vt recipiat vnusquisq; mercedem vel pœnam secundum opera sua, quæ gessit in vita. Nec tunc potero aliquem violenter retinere, nec prece vel pretio à facie iudicis & ab ira agni amplius abscondere, nec armis defendere : Quoniam iustus Dominus iustè iudicabit omnes fines terræ, iustos misericorditer saluans, & impios pro suis demeritis iustissime damnans.

2. Cor. 5.



*Ibidem.*

19. O utinam mortales ista pensarent, & de districto Dei iudicio, cum tremore & gemitu frequenter cogitarent! *Omnes* enim (vt Apostolus ait) *stābimus ante tribunal Christi*, de singulis malis prateritis rationem redditari: accusantibus nos (vt dicitur est) omnibus creaturis, circumstantibus Angelis & demonibus ante paratis ad recipiendum secum in ignem damnatos. Ibi nullus se poterit excusare, nec ad excellentiam Imperatoris appellare nec literis Apostolicis neque privilegiis regalibus se defendere, contra sententiam iudicis cuncta ab æterno cernentis; qui secretissimas cogitationes & opera singulorum, in qualibet ætate & hora patrata, cognoscit notitia clara, nullo ipsi referente. Cuius tremendum iudicium omnes nunc reuereri debemus, & ante iudicium & mortis horam, cum vera cordis contritione, de malis omnibus poenitere, & veniam humiliter petere: ne fortè de hoc mundo subito ad iudicium rapti, cum impiis perpetuè damnemur. Præstet nobis misericors Deus, nunc & semper inuenire misericordiam ante thronum gratiæ suæ: vt cum electis mereamur benedici, & in regnum gloriæ feliciter introduci, Amen.

## SERMO XVII.

*De vana gloria vitanda, & humili obedientia sectanda.*

*2. Cor. 10.*

**I. Q** *ui gloriatur, in Domino gloriatur.* Dilecti fratres, si vestram sæcularē vitam præteritam cum dolore cordis recogitatis, & quantum Deum offendistis ad quid gloriari potestis? Si etiam negligentias quotidianas & offensiones diuersas tantè considerare velitis: unde gloriari habetis, qui tam defectuosi estis? Qui mala sua præterita, & præsentia pericula, vigilanter attenditis & strictè ponderat, nunquam de operibus suis vanè gloriari potest. Quis nostrum scit, qualiter Deus singula verba, cogitationes & opera, die & nocte pensat & iudicat; vtrum ea acceptat, vel reprobat? Nescit etiam homo, quamuis modò bonus & deuotus sit, quamdiu sic manebit: vtrum melior an deterior adhuc fiet. Fratres, si occulta Dei iudicia, & terribilia opera eius super filios hominum, ab initio mundi cogitare cœperitis, evanescet cuius omne altum & carnale, quod delectat in terrenis. Vnde sanctus David orat: *Consiſte timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Sicut Deus pius & misericors est poenitentibus, & feruenter se emendantibus: ita rigidus est & terribilis, malè & negligenter agentibus. Nolite ergo gloriari in malitia & nequitia elati cordis vestri, sicut multi fatui faciunt; qui luto inquinati non erubescunt, sed etiam ab alijs derisi, latentur & rident.

*Psal. 118.*

2. Le-



2. Levate oculos vestros ad caelum; & Angelorum dignitatem, puritatem, ac summam beatitudinem respicite; qui non quærunt laudem propriam, nec alienam gloriam: sed Dei gloriam, & honorem, & decorem, à quo conditos se cognoscunt; in quo & invicem se diligunt, ac totum ei gratissimè ascribunt, quod potissimum ab eo acceperunt. Si ergo Angeli sancti humiles sunt, & grati Deo in tanta sublimitate, quanto magis homo mortalis & peccator humiliare se debet, & omnem vanam gloriam refutare? Disce miser & superbe, non altum sapere, sed humilibus corde & ore consentire; ut inuenias gratiam coram Deo & Angelis, quam elati assequi nequeunt: & ne perdas æternam gloriam in caelo, quam mali Angeli per superbiam perdiderunt. Stude soli Deo in omni opere bono velle placere, & omni humanæ creaturæ propter Deum te subicere; maioribus obedire, minoribus subuenire, omnibus reverentiam exhibere, mores infirmorum & perverforum piè tolerare.

Rom. 12.

3. Si queris salvari, si optas beari & exaltari, sequere humilem Christum & despice te ipsum. Non enim aliter poteris ascendere in caelum, nisi te humiliaveris ex toto corde propter Deum. Non desideres esse in ore hominū, qui vanis laudibus decipiunt fatuum temporalis gloriæ amatorem. Inspice in veritate cor tuum, quàm multis passionibus sit obnoxium, & non gloriaberis in teipso, nec proximum tuum despicias, quantumlibet pauper sit & infirmus. Memoriter retine notabile verbum Christi: & cum te tentaverit vana gloria mundi, responde tibi ipsi, quod Christus Iudæis dixit: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Recedat ergo vana gloria & laus humana, de scientia & arte acquisita: cesset stulta iactantia de opere bono & sermone perito: euellatur secularis astutia de corde religioso: pereat falsa imaginatio de sanctitate foris ostensa: erubescat presumpcio novitatis, absque fructu charitatis contra pacem communitatis. Gaude semper columbina simplicitas, absque felle amaritudinis: corripue fratrem in spiritu lenitatis: doce plus exemplo humili, quàm verbo subtili. Porta compatienter tibi contrarium, quem emendare non potes ad purum. Veniet citò tempus, cum iniquitas oppilabit os suum, & nequitia redundabit in caput fallentis; sustinebitque confusionem suam, qui libenter humanam appetit laudem, & honoris quærit dignitatem.

Ioan. 8.

Psal. 106.

4. Quid sanctitatis confert magni nominis dilatatio, quando parum vel nihil virtutis residet in conscientia? Quid devotionis præstat diversarum regionum pervagatio, quæ magnæ vanitatis causa est & mentis distractio? Quid utilitatis affert religioso dominorum notitia, & aliorum murorum & castrorum curiosa in-

E

spectio?



spectio? Nempe de terra omnia ista facta sunt, & in terrā omnia reuertentur. Sæpe etiam per potentiam armorum ad puluerem deiiciuntur, & igne comburuntur. Melior est ergo pauper, latens in vili domuncula, comedens olera & legumina cum bona conscientia: quàm diues habitans in aula pulchra, bibens vina, & edens pingua cum lætitia & superbia, repletus mala conscientia. Cui potest illud Euangelicum verbum rectè assignari: *Stulte, hac nocte à te animam tuam reperens, quæ autem parasti, cuius erunt?* Nemo itaque de vanis hominum laudibus gaudeat, etiam si aliquid laudabile agat. Nemo de bonitate sua nimis confidat, neque de fortitudine sua inaniter præsumat, nec etiam de nobilitate generis se extollat. Nemo de facultate scientiæ infletur. Nemo de dignitate prælationis super alios gloriatur. Nemo de abundantia pecuniarum & reddituum confidens, diuitem ac felicem se reputet, nec pauperes despiciat; quia nescit quamdiu viuet, & ista tenebit: nescit, quid molestiæ sibi inde prouenire possit, cum Deus hoc permiserit. In omni denique re temporali & opere humano, incertus est processus & bonus exitus. Nam sæpissime res aliter eueniunt, quàm homines putant; & sæpe consilia in contrarium mutantur. Nesciunt cæci montes claro die speculari, quamuis astuti fuerint.

5. Falluntur frequenter sapientes in oculis suis de futuris, qui in sua calliditate confidentes, Deum ante oculos suos non habent. Nam qui terrena ambiunt, honores diligunt, voluptates sequuntur, damna metunt, prospera concupiscunt, altiora petunt, in vanis gaudent: iusto Dei iudicio iterum dolebunt, miserabiliterque de perditis bonis affligentur. Inter spem bonorum & metum malorum, cor seculare & carnalè continuè fluctuat, quia anchoram spei in cœleste desiderium non figit: vbi omnia bona abundant, & perpetuò durant. Quapropter charissimi fratres, ex quo nemo pro certo nouit, quid de futuris sibi vtilius sit, aut magis pro salute animæ suæ expediat, tutius est & honestius vti consilio sapientum & expertorum, & præcipuè prælatorum nostrorū ac seniorum; qui habent scientiam scripturarum & experientiam periculorum de se & de aliis multis. Sæpe enim diabolus instinctu maligno deuotos etiam sub specie boni decipit. Nullus ergo in desiderio suo & imaginatione priuata capitosus sit, nec in proprio videre & naturali ingenio animosè abundet; sed etiam in paruis rebus, non satis clarè sibi notis, timoratè procedat, consilium quærat, cum deliberatione agat. Motuum suum dicat, latens mentis vulnus aperiat, medico credat, sub fictis verbis semetipsum non decipiat; non aliter ore dicat, quàm in corde habet, quia scriptum est: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Est

regula

Luca 12.

81. 40. 7.

207. 11. 9.

Psal. 5.



regula iuris: Qui malè narrat, nihil impetrat, sed omni beneficio indignum se facit, & suspectum quampluribus reddit.

6. Magna & laudabilis prudentia est, industria propria renuntiare, humiliter superiori obedire, doctiori credere, experientiori acquiescere; & in omnibus bonis Deo placitis hilarem se semper exhibere. Nec timendum ibi erroris periculum, vbi pia intentio Prælati excusat obedientem discipulum. Demum omnibus religiosis Christo obligatis securè studendum, vt totum negocium perplexitatis suæ, totum desiderium deuotionis, totum studium lectionis, totum otium contemplationis, omnem fructum prædicationis suæ, & quicquid boni mente concipiunt, primò studeant Deo in secreta oratione presentare. Deinde hoc idem fideliter Prælato suo, sicut vicario Christi, in aperta confessione humiliter exponant; & indubitanter ipsis committant, quid facere debeant vel dimittere. Nam perfectia obedientia de suo proprio quæsitu nihil habere debet, nec paruum nec magnum, cum amore vitioso possidere: quatenus omni cupiditate & commo- ditate euulsa pro posse, liberum volatum anima habeat ad cælum. Huic Christus iam viuere est, & mori quotidie pro Christo, ma- ximum lucrum: Esse verò cum Christo, vnicum desiderium, & felicissimum bonum. Fratres, semper in corde firmiter teneatis verbum sapientis Salomonis, qui simplicem obedientiam cum resignatione propria voluntatis præfert omnibus sacrificiis, di- cens: *Melior est obedientia, quam victima.* Et item: *Omnia fac eum consilio, & post factum non poenitebis.*

Phil. 1.

Eccles. 4.  
Eccli. 32.

*Exemplum.*

7. ERant duo deuoti fratres in congregatione Dauentriensi studio vacantes, & loquebantur pariter de virtute obedientia. Dixit ergo vnus alteri socio suo: Sæper mihi malè successit, quando neglecto consilio, feci voluntatem meam. Respondit alter: Nec me poenituit, quòd bonis consiliis acquieui. Noui senem fratrem, qui in iuuentute sua, seniorum verba valde libenter audiuit: sed de hoc multum doluit, quia multa obliuioni tradidit.

SERMO XVIII.

*De spiritali militia, contra vitia.*

1. CVM audieritis praelia & seditiones, nolite terreyi. Dilecti fratres, in hac vita inter hostes versamur, & ex omni parte bellum nobis instat contra vitia gerendum. Quotidie tentamur & impugnamur, nunc quidem molliter, nunc acriter, semper autem periculose & nequiter, diabolo nobis vbique insidiante & infestante. Nullus quippe viuens, à tentationibus & turbationibus totaliter

Luca 10.

E 2.

liber



liber est, quamdiu spiritus in corpore manet: sed quilibet cogitur etiam inuitus portare pondus dei & æstus. Nemo ergo otio torpeat; nemo à castris Dei recedere cogitet; nemo ante finem belli arma sua deponat. Accingatur nouus miles ense nouo in feruore spiritus, contra nequitas diaboli pugnaturus. Pugnet fortiter in gladio bis acuto, timorem pariter & amorem Dei in mente habendo, secretum orationis quærendo, publicum & otium summè vitando. *Nemo enim coronabitur in cælo, nisi qui legitimè certauerit* cōtra passiones suas & vitia in hoc mundo. Ensis nouus est nouus feruor sanctæ deuotionis: qui à principio cōuersionis sæpe datur benigna sancti Spiritus illustratione nouis militibus, ad præliandum fortiter contra tentationes futuras.

2. Tim. 2.

Gen. 14.

2. Caueat ergo diligenter nouitius, ne deuotionis gratiam perdat torpore infectus; sed omni tempore ad spiritualem pugnam se præparet, & oret sapiens: ut sit vnus de electis. Abrahamæ uernaculis, qui hostes suos uicit fide & prece armatus. Aeuat gladium suum frequenter, innouando primum propositum suum, quod accepit: nunc meditando passionem Dominicam: nunc Martyrum certamina & cruenta uulnera, nunc æterni ignis incendia, nunc dæmonum grandem horrorem, nunc intolerabilem picis ac sulphuris foetorem, nunc inferni profunditatem, nunc damnatorum flebilem clamorem, nunc omnis salutis desperationem. Hæc si ad mentem uenerint, torporem excutiunt, concupiscentiam carnis reprimunt, uitiorum rubiginem consumunt, negligentiam redarguunt, & ad spiritualem profectum & deuotionis feruorem uehementer accendunt.

3. Timeat ergo nimis tepidus religiosus; restringat se uagus & dissolutus, ne ueniat in illum locum tormentorum; ubi nullus est exitus, nec misericordiæ locus. Nunc uerò in tempore gratiæ, negligentias præteritas corrigere studeat: secretarium cordis sui, per humilem confessionem & deuotam orationem purget: Recolligat se per sacram lectionem, & frequentem cordis compunctionem, refrenet uerborum leuitatem, per silentij custodiam: reformet internæ pacis tranquillitatem, per externorum negotiorum obliuionem. Expellat irruentes sordes malarum cogitationum, per puram cælestium meditationem; & ad placandam citius Dei offensam, ueram teneat humilitatem. Hæc pertinent ad uiriles & bellicosos tirones, qui propter tres hostium cuneos iubentur in armis stare, & contra carnem, mundum, & diabolum, per totam uitam suam strenuè dimicare.

4. Bellare ergo oportet cum adiutorio Dei, instanter orando, à delicatis abstinendo, patienter aduersa tolerando, sicut fecerunt Martyres. omnes sancti, & præcipuè Martyres Christi, qui fortissimè certando, vi-



do, vicerunt aduersarios suos, benignè patiendo, atque post multa impropria & tormenta innocenter moriendo. Non attenderunt ad amicos & parentes carnales, non ad diuitias & honores temporales; sed ad æterna præmia, ad cælestes thesauros, ad coronas triumphales, & ad immarcescibiles glorias promerendas. Etenim per transitoria tormenta meruerunt sine mora migrare ad gaudia sempiterna. Nunc gaudent animæ eorum in cælis, qui vestigia Christi secuti sunt in contumeliis & grauisimis pœnis.

5. Certauerunt etiam sancti Confessores, sobriè, iustè, & piè viuendo: sæpe ieiunando, vigilando orando, meditando, studendo, gemendo, plorando, pro suis & aliorum peccatis supplicando; oblocutiones, detractiones, derisiones, murmurationes, minas, exactiones, damna & iniurias sustinendo: in fide recta, spe firma, & charitate perfecta, vsque ad mortem perseuerando. Certauerunt etiam sancti & solennes sanctæ Ecclesiæ doctores; contra hæreticos & varios errores disputando, verbum Dei sedulò prædicando, libros scribendo, studendo, dictando, quæstiones mouendo, dubia soluendo, obscura lucidando, vitiosa refutando, salubria proponendo, recta & vtilia hominibus persuadendo: à curiosis, intricatis, & infructuosis quæstiunculis simplices prohibendo, pigros excitando, duros corripiendo, tristes consolando, debiles confortando, ac bonum exemplum viuendi aliis quotidie exhibendo: vt quod verbis suadere non poterant, probis actibus affirmarent.

6. Certauerunt etiam sancti eremita & monachi & diuersorum ordinum professores, sæculo renunciantes, vanitates mundi & delicias carnis spernentes, gloriam & honorem temporalem conculcantes, tumultus hominum fugientes, solitudinem diligentes, propria relinquentes, crucem suam tollentes; corpus suum per abstinenciam castigantes, linguam silentio refrenantes; euagationes & discursus deuitantes; violentiam sibi per singulos dies inferentes; iugo sanctæ obedientiæ se sponte subiicientes; in claustris sub regularibus disciplinis strictè viuentes; apostolicam perfectionem imitantes, & propter Christum quotidianæ crucifixioni se tradentes: omnibus inordinatis affectionibus & propriis motibus perfecto corde reluctantes: nil sibi ex omnibus charis, vtilibus, libris, vel vestibus, priuato amore retinentes. Nil quippe perfectius, nil salubrius, nil vtilius, nil laudabilius, nil securius & quietius, pro bona conscientia & pace cordis habenda, quàm vt religiosus Deo deuotus & professus monachus, omni hora sine contradictione, sine mora, sine fictione, sine auersione promptè & libenter Prælato suo obediat; seipsum fortiter vincendo, humiliter subiicendo, patienter onerosa & insuaui supportando.

Confessores.

Doctores.

Eremitæ & monachi.



Obedien-  
tia quanti  
meriti a-  
pud Deū.

Lucæ 10.

Hebr. 13.

7. Ad istam perfectionis viam seruandam requiritur magnum certamen contra sensualitatis inclinationem, contra proprii sensus prudentiam, contra malam suam consuetudinem, & carnis libertatem, quæ inuitè vult aliis subdi, regi, & arctari; sed potius querit spatium, iucundari, & deliriari. Hæc enim valde contraria sunt legi Dei, & rationi, & communi paci fratrum, ac bono regimini claustrali. Quapropter multum laudabilis & verè amabilis reputabitur simplex obediens frater: qui hilari vultu & corde beneuolè paratus est omnibus obsequi, exemplo Iesu Christi: seruans legem vitæ & disciplinæ, pro salute animæ suæ in ordine regulari. Rursum multum culpabilis & reprehensibilis est astutus frater, in sensu suo abundans; qui non obedit humiliter suo Prælato, reuerentiam & subiectionem ei exhibendo. Væ illi, qui inuitè aut ficto corde obedit, & leuiter murmurat. Hunc Christus patri suo obediens grauius arguet, & sæpè in præsentem duriter vindicare solet. Nam ipse Prælati Ecclesiæ dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quod ergo Apostolis dixit, hoc etiam successoribus eorum & cæteris Prælati dicit, hoc & monasteriorum rectoribus loquitur; iubens subditis, vt obediant propter Deum, propter magnum meritum & bonum exemplum. Quia omnibus obedientibus dabit gratiam & æternam gloriam; inobedientibus verò & peruersis confusionem & poenam æternam.

Matth. 25.

8. Verus namque obediens, & potestatibus sublimioribus à Deo constitutis se subdens, comparatur sapienti negotiatori, qui in omni loco & foro venali cogitat lucrum suum augere, & damna præcauere; meliora nititur comparare, & vilioribus non implicari. Sic etiam religiosus, vinculo obedientiæ ligatus, pensare debet, & conari, in omni opere & negotio sibi commissio, vt fideliter agat, nil omittendo, quod Deo placet, & Prælatus sibi committit. Tunc enim maximè in bono proficit, & meritum suum ampliat: si visibilia mundi spernendo, caelestibus intendit; si obedire ad alterius nutum, præ cunctis opibus reputat animæ suæ lucrum. Melior est enim obedientiæ fructus, quàm propriæ prudentiæ cogitatus subtiliter auisatus. Et multo fructuosior est relicta voluntas propter Deum, quàm studium longum & psalterium perlectum. Beatus igitur Religiosus, cuiuscunque ordinis & status, qui Christum sequitur modò per crucem & carnis violentiam semper obedire paratus, quoniam in fine obitus sui recipiet cum sanctis Confessoribus speciale præmium in caelis, Christo promittente & dicente his verbis: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Non ergo dedignetur homo vilis & ignarus, puluis & cinis futurus, se subdere & obedire



obedire homini salubria suadenti; quando Angelus obedit Angelo, vno nutu aliquid sibi innuenti: & sanctus Gabriel missus à Deo, statim venit nuntiare Mariæ incarnationem Christi. Sed hoc amplius mirandum est, & omnibus propositum ad imitandum, quòd Deus homini obediuit, seruiuit, & ad vilia & infima se humiliter inclinauit: ne alicui, quantumcunq; magno, docto, vel nobili, graue sit obedire maiori, aut etiam æquali, vel minori, cum Christus hæc omnia prius fecerit. Obediuit namque Ioseph & matri, relinquens templum & doctores, vbi poterat habere fauorem & honorem; descenditque cum parentibus in Nazareth, & erat subditus eis: vbi multis amicis, quam magnus esset, mansit diu incognitus. Luce 1.

9. Certauerunt etiam fortiter contra hostes suos sacrae virgines, & viduæ continentes; quæ seculi vanitates, & carnis voluptates, ac diabolicas tentationes, in ætate puellari & sexu fragili, vicerunt amore Iesu Christi, orationibus, vigiliis, & ieiuniis insistentes: mundana confortia & colloquia inutilia vitantes, corpora sua castigantes, ab omni ornatu superfluo abstinentes; soli Deo sincera mente & casto corpore placere cupientes; ad cælestes nuptias, per sancta desideria & interna suspiria, quotidie se præparantes; deuotis meditationibus, hymnis, psalmis, tanquam floribus albis, thalamum cordis adornantes; contritione & confessione maculas conscientia lauantes, & ad cælestis & inuisibilis Sponsi præsentiam incessanter cum gemitu & ardenti amore anhelantes. O sacra trophæa virginum! o fortia bella puellarum, viduarum, & nobilium dominarum; quæ propter amorem cælestis Sponsi, & angelicæ puritatis pulchritudinem seruandam, contempserunt nuptias terrenas, amicitias virorum, patrimonia parentum, solatia filiorum, conuiuia cognatorum, ornamenta vestium, splendorem gemmarum, copiam vasorum, annulos aureos, scyphos argenteos, varias supellectiles, cortinas fericas, sedes depictas, ministeria seruorum, comitiuas ancillarum, organa musicorum, spectacula ludorum, & omnia delectamenta gaudiorum mundanorum, quæ offert & ostentat vanus & ludicrus hic mundus insidiantium oculis. Hæc enim nihil profuerunt, nec prosunt amatoribus suis: qui lætantur in perituris & ludicris rebus, fallaciis & doloribus plenis. Luce 2.

10. Felix igitur caterua sanctarum virginum, quæ cuncta sæculi huius gaudia & corporis ornamenta tanquam stercora repudiare studuit, pro vita æterna: & magis cum Angelis & Archangelis concupiuit beatificari in cælesti gloria. O verè beata concio virginalis sexus; quæ in suo gradu stabilis permansit: & vsque ad sanguinis effusionem, vitiis ac tyrannicis legibus contradixit.



Ideoque speciosissimas in celo coronas, pretiosis gemmis & margaritis ornatas, pro victoria certaminis sui, à Christo percipere gloriosa laude promeruit. Quis etenim dignè & sufficienter poterit explicare, quales sæpè angustias pertulerunt in corde; quales tentationes in carne; quales suggestiones dæmonum sentiebant in oratione, qui eas à castitate Christi, ad delectationes mundi instigabant? Heu quanta consilia machinatus est Satanus per amicos suadentes, per matronas blandientes, per multiplices quoque derisiones & terrores: vt seducerent eas, & traherent secum per breues delicias ad pœnas infernales. Sed Christo auctore miserante & iuuante, nil valuerunt contra virgineas acies diabolica figmenta; nec hominum impiorum clamores, nec tyrannorum verbera, nec arma minantia mortes. Quoniam charitas Christi fortior omni armatura, dignior omni honore, pulchrior omni decore, suauior omni melodia, tam vehementer ardebat in virginis cordibus & femineis turmis, signo crucis armatis, vt nec ignes, nec verbera, nec bestias, nec carceres, nec famem, nec mortem pati timerent; quatenus firmam fidem, & castitatis gemmâ, puro corde & corpore, perpetuo cû honore in cælis coronandam conseruarent. Hæc igitur beatorum Martyrum certamina, sanctorumq; Confessorum longam & duram abstinentiam; & præcipuè sanctarum virginum castimoniam, patientiam, ac perseverantiam, ad imitandum vobis proponere debetis; & ad resistendû vitiis & passionibus, viriliter vos armare. Hortor omnes in charitate, vt pro scuto luctamini, sanctorum suffragia non negligatis, ne in tentationibus vestris deficiatis: largiente Domino nostro Iesu Christo, omnium bonorum remuneratore, Amen.

## SERMO XIX.

*De varijs bellis & periculis huius vite.*

*Galat. 5.*

1. **C**aro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur. Dilecti fratres, superiori sermone pauca de spiritali sanctorû militia audistis; nunc consequenter de diuersis bellis aliqua dicenda sunt, ad cauendum laqueos & dolos serpentis antiqui; qui nequitia plenus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: & specialiter cõtra nouellos milites Christi atrociter fremit. Inuidet enim eis gloriam regni cælestis, vnde ipse subitò per superbiam cecidit cum multis. Cuius persuasione pestifera, plures decipiuntur: & quandoque famosi viri, in scientia & regimine sublimati errauerunt, vana gloria infecti; qui hominum amicitia tracti, lapsi sunt, & grauiter vulnerati. Cauete autem nouiter conuersi fratres, à  
duobus



duobus precipue malis; scilicet, à desideris carnalibus repente irruentibus, per quinque corporis sensus: & à superbia mentis, per appetitum vanæ laudis, ne gratiam internæ deuotionis perdatis, cum mercede æternæ retributionis.

2. Militia nostra, fratres charissimi, non est carnalis potentia, sed benigna omnium injuriarum pro Christo sufferentia: non secularis sapientia, sed humilis obedientia: non corporalis commodi exquisitio, sed carnis afflictio: non laboris subtractio, sed prauæ delectationis mortificatio. Si queritis, quamdiu durabunt bella ista, inter carnem & spiritum, inter diabolum & hominem, inter mundum & Christum, dico secundum Euangelium & Apostolum, vsque ad vltimum vitæ nostræ terminum, & sæculi consummationem. Dixit enim Christus ante passionis suæ horam: *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et ad discipulos in vltima cœna: In mundo pressuram habebitis. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Et ideo eos confortans ad patientiam & perseverantiam, ait amicis de suo recessu grauatis: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia vado parare vobis locum; ut ubi sum ego, & vos sissemecum.* Sed interim dum estis in mundo, teneatis patientiam pro forti scuto; & verbum Dei pro gladio acuto: & loriam fidei in omni periculo, confidendo semper in Deo. Oremus ergo fratres, ut gratiam & misericordiã inueniamus in conspectu Domini nostri Iesu Christi; doceatque nos artem certandi contra passiones & vitia nostra, quæ nos impugnant & tentant, quamdiu in carne viuimus & corpus nutrimus. Dicat vnusquisque cum Dauid in Psalmo, quando diabolo insidiante tentatur aliquo vitio, vel molestatur ab homine peruerso: *Domine expugna impugnantes me, ne deficiam sub onere; quia sine te non valeo resistere nec sustinere.*

3. Qui enim saepe tentatur, & in tentatione sua ad Christum citò confugit & orat, per gratiam eius liberabitur, confortabitur, & praualebit, multumque proficiet in virtute patientiæ, & maiorem coronam pro forti certamine recipiet. Qui autem rarò aut nunquam tentatur, nec propriis nec alienis malitiis molestatur, hic angelus potius dicendus est, quàm homo terrenus. Huius habitatio verius in cælo querenda est, quàm in terra. Nam ibi summa pax & concordia: hic autem pax rara, breuis lætitia, quies modica; turbatio frequens, grauis cura, & incerta victoria. Non tamen desperandum est, quia pro minimo labore & dolore dabitur gaudium sine fine. Sed multitudinem bellorum & hostium nostrorum fraudes quis poterit enodare? Nullus, nisi à Deo illuminatus fuerit, & bene eruditus in scripturis sanctis, sicut Paulus qui ait: *Non enim ignoramus astutias eius. Audite tamen pauca de*

Recens  
cõuersi si  
bi caueant  
à duobus.

Matth. 26.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Ioan. 14.

Psal. 37.

2. Cor. 2.



bellis bonorum & malorum ex diuinis libris, ad cautelam & eruditionem vestram: vt cautioresemper sitis, ad resistendum periculis malorum: & fortiores, ad perseuerandum in semitis iustorum.

*Isaia 14.*  
Primum bellū mo-  
nit Lucifer.

4. Primum bellum incepit per Angelos in cælo, quando Lucifer per superbiam voluit altius se extollere, & assimilari Altissimo, & quasi in propria virtute gloriari, & in seipso singulariter delectari. Hoc percepto in superni Regis palatio, sanctus Michael & Angeli eius, indignè ferentes arrogantiam superbientis Luciferi, permoti sunt zelo iustitiæ, & eiecerunt omnes superbiam ciues de finibus suis. Non enim debuit aliquis Angelorum, quantumlibet magnus, supra creatoris sui magnificentiam se erigere; nec factus factori suo se æquare: nec in decore sapientiæ suæ temerè gloriari: nec abuti donis altioribus, à Deo sibi gratuito collatis. Quia ergo Satanus per tumorem superbiam, se nimis extulit vanè gloriando, & sedem suam supra cæteros eleuando; iusto Dei iudicio cecidit de felici societate sanctorum Angelorum, in abyssum inferni & carcerem damnatorum. De quo

*Luce 10.*

Saluator ad discipulos ait: *Videbam Satanam tanquam fulgur de celo cadentem.* De cuius terribili casu & irrecuperabili lapsu beatus Ioannes Euangelista loquitur in Apocalypsi, dicens: *Factum est prelium magnum in celo, Michael & angeli eius preliabantur cum dracone; & proiectus est draco in terram, & angeli eius cum illo missi sunt, & non est inuentus locus eorum amplius in celo.* Ecce quanta meruit superbia diaboli, qui proiectus est à facie Dei cæli, ne videat gloriam Dei. Quam sine dubio consequi non poterit, qui in seipso voluerit gloriari. Hinc etiam Esaias manifestè de reprobatorum perditione exclamat: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

*Isaia 26.*

Certissimo exemplo iam patet, quam maximè extollentia superbiorum Deo displiceat, qui Angelis superbientibus non pepercit: sed æternis eos ignibus tradidit cruciandos, omni spe veniæ ablata. Heu quàm seuera sententia superni iudicis, proiici à iucunda facie diuinæ maiestatis & perpetuæ felicitatis: & semper comburi acerrimis flammis, quæ non possunt extinguí aquis, nec remediis mitigari. Quapropter vnique formidandum est, de tam seuro Dei iudicio, in angelis superbientibus æternaliter damnatis; sed potius cum Psalmista confitendum & orandum: *Non veniat mihi pes superbia, & manus peccatoris non moueat me.* Et iterum: *Nónne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim saluatus sum.*

*Psal. 35.*  
*Psal. 61.*

Secundum atq; adeo perpetuū bellū Sa-

5. Secundum bellum incepit in paradiso, primo homine formato: scilicet, inter diabolum & hominē, inter Euam & serpentem. Nam diabolus inuidens homini adhuc innocenti, quod posset obtinere



obtinere adscensum cæli per obedientiam mandati : accessit in specie serpentis cum callida quæstione ad mulierem, quam nouerat infirmiore, & viro molliore; ac blandis verbis & astutis persuasionibus seduxit faciliter sibi credentem, & Dei præceptum in tali articulo non attendentem. Sed pro dolor, homo bene à Deo conditus, & in optimo paradisi loco positus, per transgressionem sacri mandati, perdidit innocentie statum, & maximæ quietis locum, ob vnius vilissimi pomi morsellum. Ideoque grauius Deum offendens, mortis incidit sententiam, & multam corporis & animæ meruit miseriam; sicut iam veraciter nos omnes filij Eux experimur, patimur, & dolemus; qui vitio originalis culpæ inquinati, corrupti, & quassati sumus. In hoc bello victus est homo tentatus de pomo, quia diabolica nequitia seductus, & mortalis peccati veneno intoxicatus, multis vulneribus sauciatus est, scilicet fame, siti, frigore, calore, labore, sudore, peste, languore, & mortis horrore. Heu, etiam paradisum perdidit & cælum ob inobedientiæ culpam, per serpentis fallaciam, & mulieris insipientiam: Quæ nimium credula verbis diabolicis, decepta est quinque modis in quinque sensibus corporis, scilicet per auditum falsi sermonis, per visum pulchri coloris, per tactum pomi noxialis, per odoratum boni odoris, & per gustum dulcis saporis. Sed, quod peius est, gustato pestifero cibo, decepit ulterius virum suum blandiendo, & tradendo ei fructum illicitum, sub pœna mortis ambobus interdictum. Hoc autem malo temerè perpetrato, iratus est Deus, expellendo reos de paradiso voluptatis, de amœnissimo loco totius orbis, & ad agendam pœnitentiam detrudit eos in huius mundi exilium tanquam in carcerem, ad manducandum panem laboris & doloris cunctis diebus vitæ eorum, cum vniuersis filiis posteris suis, ex eorum semine nascituris.

6. Istud bellum inter diabolum & hominem tamdiu durabit, quamdiu humanum genus versabitur in terra. Et donec compleatur electorum numerus, non cessat malignus spiritus persequi bonos sibi contrarios. Sed tamen pius & misericors Dominus Deus homini lapsò compatiens, ait ad serpentem tortuosum, inuidiosum, & malitiosum: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, Christum designans ex femina nasciturum, & genus humanum redempturum. *Ipsa* (inquit) *conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Ex his verbis patet nequitia & malitia diaboli contra nos, quia non est ei credendum, nec cum eo fabulandum, nec cum eo disputandum, quia callidior est omnibus animantibus in terra, & subtilior omnibus studentibus in scholis & sæculi negociis. Cauete nouitij caput se rpen-

tanz aduersus hominem.

Mulier prima quintupliciter seducta.

Gen. 3.

ibidem.



serpentis, initium tentationis. Latet sub herba virus serpentis, qui sæpe venit & decipit puerum, sub specie pulchri pomi intus foetentis. Non solum autem simplices & laicos decipit, sed etiam doctos & magistros nominatos atque claustrales, varias eis ingerens vanitates. Tentat quasi quotidie per quinque corporis sensus: nunc per carnem alliciendo, nunc per spiritum eleuando, nunc per iram indignando. Aut enim facit homines rixare, propter honores & diuitias, aut lætari in delictis, aut nimis tristari in aduersis & damnis terrenis.

Exod. 15.

16. 17.

I. Mach. 2.

Matth. 4.

Matth. 13.

Apo. 2.

7. Hæc sunt opera diaboli, qui cecidit per superbiam de altitudine cæli. Ipse fecit filios Israel murmurare, propter laborem & penuriam ciborum in deserto: persuasit Iudæis sacrificare idolis, in templo Deo cõsecrato. Ipse tentauit Christum in tribus vicibus post longum ieiunium, seminauit zizania inter triticum, inter Apostolos traditorem, inter discipulos murmuratorem, inter diaconos seductorem, inter fideles fidei persecutorem. Ipse seduxit Iudam per furtum, de furto traxit ad laqueum, de laqueo miserum duxit ad infernum: vbi nulla est redemptio, nec vllum refrigerium. Heu, omnes sibi consentientes allicit ad peccandum contra Deum & proximum; atque post multa mala suadet perdere seipsum, negligere cælum, & diligere mundum. Quis est, qui monachum trahit ad seculum & ad tumultus hominum? Diabolus, insidiator animarum. Quis clericum de choro trahit ad forum, Diabolus, omnis doli artifex, diuinum cultum impedire cupiens. Quis laicum conuersum, de labore trahit ad otium & fabulandum? Diabolus, circueiens orbem: vt inueniat aliquem foris vagantem, & parum vel nihil pro communi laborantem. Quis pigrum in lectulo retinet, ne suscitatus citò surgat? Diabolus, claudens oculos somnolenti, vt parum adhuc iaceat, & somnolentiæ suæ satisfaciatur. Gaudet enim de pigritante, & sapius tardè veniente. Quis discordias inter fratres seminat, & suspiciones multas in eis generat? Diabolus, pacis turbator, litis amator, nequitia inuentor, mendacij pater, veritatis obscurator, dolositatis auctor, partialitatis suscitator. Quis docet amare delicias, vitare labores, concupiscere honores, bene comedere & bibere, & ornatè incedere? Diabolus, incitator gula, commotor iræ, castitatis prædator, clericorum insidiator, monachorum tentator, virginum molestator, continentium impugnator, innocentium seductor, simplicium derisor, sapientium subuersor, bonorum detractor, prauorum commendator, deuotionis impeditor, dissolutionis procurator. Hæc de bellis, & mille artibus ac fraudibus diaboli, innotuisse vobis non displiceat; vt maiorem cautelam & strictiorem custodiam, contra quamlibet eius tentationem

&



& suggestionem, habeatis. Quia sicut à multis dicitur, & frequenter experitur, nunquam à malitia nocendi diabolus cessat, nec alios quiescere sinit; sed ubi ipse non venit, suos comites ad vexandum oculos Christi mittit. Quòd si rapere nequeat, & occidere prohibetur, ad minus eas lædere per terrores conatur. Et si aliquem vagantem viderit, & à bono opere vel studio, aut oratione torpentem, ad hunc tentandum liberius accedit; quia arma resistèntia hosti incautè deposuit.

8. Tertium bellum, dicitur intestinum litigium, quod ortum est inter carnem & spiritum; carne concupiscente contra spiritum ex pœna peccati, & spiritui repugnantè per rationem contra sensualitatem. Hanc rebellionem primus homo in statu innocentie non senserat, quia spiritus Deo subiectus, corporis vires rationis freno quietè regebat. Istud autem bellum intestinum, durissimum est & molestissimū omnibus nobis, in carne corruptibili & peccatrice generatis & natis. Quid namque durius & molestius vnicuique pacem desideranti, quàm quotidie bellare contra seipsum, nisi contra naturam, restringere fomitem, vincere concupiscentiam intus prurientem? O serue Dei, ô miles Christi, audi consilium bonum & vtile tibi. Custodi visum, claude auditum, non tangas illicitum, fuge nociuum. Et si sentis aculeum, noli adhibere consensum. Nil tam laboriosum, sicut de nouo semper incipere; de manè vsque ad vesperam, contra tres turmas stare, orationum iacula in hostes mittere, tubis sacris canere; corde gemere, vocibus clamitare, & de victoria triumpho frequenter dubitare. Vnde nisi Dominus adierit nobis, nequaquam tantis periculis poterit fragilitas nostra resistere. Graue omnino onus & intricatum bellum, carnem fouere, hostem nutrire, vestire, calefacere, lauare, tergere; blandiri, ne murmuret; castigare, ne recalcitret; consolari, ne desperet; increpare, ne pigrescat; subiugare, ne intumescat; confortare, ne deficiat; percutere, ne resistat; instruere, ne erret; reprimere, ne insolescat; diligere naturam, vt sociam: odire verò lasciniam, vt mortis foueam. Denique carnem occidere non licet, à se repellere nemo valet, huic obedire non oportet, credi ei citò non debet, affabulari non expedit, aridere præcipuè nocet.

9. Quid ergo fiet? Seruiat caro spiritui, sponte obediat, laboret, desudet, ieiunet, surgat, vigilet, oret, cantet, & laudet, donec post breuem laborem æternam requiem accipiat. Hanc itaque carnem fragilem, mortalem, concupiscibilem, indomitam, & sepe spiritui rebellem, ratio regere debet, & timor refrenare, honestas moderari, disciplina cohibere, probitas adornare, verecundia tegere, sobrietas temperare; iustitia castigare, cum peccat; prudentia

Tertium bellum internum.

Bellum intestinum omnium longe molestissimum.

Caro pareat, ut pereat.

instruc-



instruere, cum errat; discretio considerare, ne quid nimium fiat. Spiritus itaque omnia perscrutans, tanquam strenuus gubernator, diligenter ad carnalem mentem & iuuenilem animum respiciat; ne proprio sensui inhæreat, ne otio torpeat, ne mollia querat, & quæ rigoris sunt, fugiat. Sed ad orandum citò surgat, ad chorum tempestiuè veniat, ad laborem promptè transeat, circumire otiosè caueat: silentium strictè teneat, quietem cellæ diligat; frequenter oret, libenter studeat, libenter scribat. Debitis temporibus singula faciat, omnibus priuatis communia præponat: minoribus seruire non erubescat, maioribus obedire festinet: ad quæque imperata lætus accedat, diuinis laudibus interesse summè gaudeat: vacare Deo intus eligat, & nullis externis implicari optimam partem reputet. Quamuis igitur durum & molestum sit, contra carnis incentiua quotidie bellare; tamen valde virtuosum est & meritorium concupiscentiæ resistere, & violentiam naturæ inferre: quæ ad propria commoda & sibi placita multam vitiosè inclinatur. Et nisi celerius ei resistatur abstinendo & compescendo, seducit animam & trahit ad consensum, sicut Eua decepit Adam alliciendo eum, & præbendo ei vitium pomum ad comedendum. In hoc bello nullus vincitur, nisi mala voluntate corruptus, & à Deo sponte auersus. Quicumque enim sequitur carnis suæ desiderium, citò labitur in vitium, nisi tenuerit rationis frenum. Cauete ergo pericula in quotidiano carnis conflictu, quia quamdiu viuimus in hoc mundo, edendo, bibendo, variè tentamur. Vnde & quidam Propheta admonet desides & molles animos, ad custodiam conscientiæ, dicens: *Ab*

Sola voluntate  
quis aut  
vincitur  
aut vincit.

*Mich. 7.*

*sa, qua dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Hoc est, omnes sensus corporis tui cohibe firmiter exterius, ne mors intret per corporis fenestras ad interiora cordis, & diabolus te captet retibus suis.

10. Fratres si viriliter agitis & certatis, & Christum in adiutorium vestrum inuocatis; multo plus in isto bello carnis potestis vtique promereri: quam si nihil grauitatis in vobis sentiretis. Habeatis ergo semper bonam fiduciam in Deo, & non desistatis orare, & contra vitia pugnare. Multa quidem & magna bona latent in hoc certamine, quæ Deo placent in fragili carne. Recipietis autem maxima præmia, cum certa spe futuræ gloriæ à iusto iudice, etiam pro minima cordis contritione, & corporis qualicunque breui dolore. Lætificabunt quoque plurimum animas vestras in fine vitæ vestræ, omnia grauamina pro Christi amore tolerata, sicut ait quædam deuota soror in agone constituta: Hic perpeffum est, hic certatum est, modò pergitur ad præmium. Quid plura dicam bellantibus contra carnem suam? Omnia

nia



nia quæcunque facitis ex virtute obedientiæ, vel quæ sustinetis in ordine pro rigore disciplinæ & amore iustitiæ, scribentur in libro vitæ, licet quandoq; caro remurmuret ex fragilitate. Quod si diabolus vos comouet aliqua indignatione aut praua suspitione, contra Prælatum iubentem, vel fratrem non benè agentem vel malè loquentem, non ideo dimittatis bonum inceptum: sed magis ad honorem Dei & ædificationem proximi perficite, quod incepistis. Tunc enim pessimus infidiator & impeditor omnis boni diabolus citò fugiet à vobis, cum fuerit contemptus & non auditus. Siquidem cuncta eius susurrria de mundo, de carne, de diuitiis, de gloria terrena, plena sunt veneno & fallacia. Multi in senio iam plangunt, quia in iuuentute tam fatuè egerunt, & Deū offenderunt. State ergo, & pugnate pro anima vestra, in religione & congregatione sancta. Quicquid enim mali patimini in laboribus & doloribus, in caloribus & frigoribus, in vigiliis & ieiuniis, in abstinentiis à carnibus & lacticiiniis, in carentia vini & potus melioris, pro vitiis extinguendis & virtutibus acquirendis; hoc totum computabitur vobis pro maximis lucris & præmiis in regno Christi, super millia auri & argenti, & omnia desiderabilia mundi. Quid enim dignius, quàm esse amicum Dei? Quid felicius, quàm computari inter filios Dei? Quid ditius, quàm habere partem in regno Christi? Quid iucundius, quàm interesse gaudiis angelorum? Quid nobilius, quàm perpetuò coronari in præsentia Dei, & aspectu omnium sanctorum? O quàm delectabile & gaudiosum erit animæ agonizanti & Deum amanti, ab angelis ferri in cælum, & cum Lazaro quondam paupere lætificari in æterna requie; pro breui labore, & modico dolore in corpore perpe-

Luca 16.

II. Quartum bellum, vocatur domesticum duellum, quod ortum est inter duos fratres germanos, durum nimis & perniciosum, diabolo instigante & inuidia ardescete. Nam sicut legitur in libro Genesis, natis duobus Adæ filiis, inuidiosus Cain surrexit aduersus Abel fratrem suum, iustum & Deo dilectum, cuius munera Deo accepta narratur. Vnde in ira furoris crudeliter permotus, quasi lupus rapax contra agnum pium desauit, & innocentem fratrem suum, meliorem se, occidere studuit: non veritus Deum, nec parètes contristare erubescens; sed præteruo animo accensus, manus suas noxias extendit, & primus inter homines homicidium

Quartum bellum domesticum inter fratres. Gen. 4.

perpe-



perpetrauit. Ex his duobus fratribus litigantibus, inceperunt multæ discordiæ & partialitates inter homines, in diuersis regionibus & locis, in ciuitatibus & villis, pro primatu & diuitiis inuicem altercantes. Ex hac occasione, crescente vbiq; æmulatione, accidit etiam persecutio prauorum contra vitam bonorum; sicut sacræ historiæ indicant sanctorum, & diuersæ chronice continent gentilium & Christianorum; quæ tractant copiosè de bellis Troianorum, Romanorum, regum quæ multorum, & diuersorum populorum. Sicut fuit ab initio mundi inter filios Adami & bellum, zelus & contentio, & præcipuè inter auares & ambitiosos pro terrenis habendis & ampliandis: sic adhuc in diebus istis litigant homines pro perituris rebus, & honoribus vanis. Et timendum, quòd etiam post nos ista durabunt, donec Dominus ad iudicandum omnes fines terræ, in nouissimo die manifestè aduenerit. Tunc enim Christo apparente in maiestate sua & gloria, reddetur unicuique iuxta opera sua. Tunc cessabunt omnia iurgia & impiorum bella, & tollentur de regno Dei omnia scandaia. Tunc tacebunt ora loquentium iniqua, & gaudebunt ossa sanctorum humiliata. Tunc audietur ab ore iusti iudicis, vna finalis & irreuocabilis sententia: *Ite maledicti in ignem æternum. Et: Venite benedicti patris mei, percipite regnum ab origine mundi, vobis præparatum.*

Matth. 16.  
& 25.

Matth. 25.

Eccles. 1.  
Hic omnia  
mixta, id-  
que qua  
de causa.

12. Interim verò, quamdiu generatio præterit, & generatio aduenit, mixta sunt omnia in terra nostra, spinis & tribulis plena. Nunc adsunt læta, nunc tristia, nunc fames cruciat, nunc sitis exurit; nunc timor dei icit, nunc spes erigit; nunc labor fatigat, nunc quies recreat; nunc sanitas delectat, nunc languor debilitat; & post modicum temporis, mors imminens omnia pulchra & iucunda consumit. In omni igitur loco, statu, & ordine inteniuntur boni cum malis permixti; benigni cum proteruis, humiles cum superbis, pacifici cum iracundis, deuoti cum dissolutis, verecundi cum audacibus, taciturni cum loquacibus, sobrij cum gulosis, feruidi cum tepidis, studiosi cum pigris, interni cum externis, simplices cum astutis, veraces cum dolosis, prouidi cum negligentibus, docti cum ignaris, prudentes cum fatuis, validi cum infirmis, stabiles cum inconstantibus, modesti cum discordantibus, & sic de aliis multis vitiis & moribus hominum bonorum & prauorum, iuxta illud Isaiæ propheta: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hirculo accubabit; vitulus, & leo, & onis, simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Fiunt autem hæc omnia tam prospera quàm aduersa, cum bonis & malis similiter in hac vita, permissione diuina; ad ostendendum occulta iudicia Dei in omnibus viis suis, vt probentur electi, & purgentur deuoti per

Isa. 11.



ri per malos, & non superbiunt de bonis sibi collatis. Vivunt mali cum bonis, vt per exempla bonorum prouocentur ad emendationem morum suorum: & non habeant excusationem, per ignorantiam bonæ vitæ & disciplinæ, quam vident in bonis sibi coniunctis.

13. Quidam valde inconstantes sunt, & citò mouentur in odium vel amorem, ex leui verbo vel facto alterius. Rident pro leui fabula, & pro musca volante irascuntur. Quidam pro recreatione quarunt homines, & amittunt Deum & Sanctos. Non est paruum damnum, perdere deuotionis gratiã per multiloquium. Quidam de aliorum malis loquuntur, & suos defectus emendare negligunt. Quidam de futuris bellis terrarum præloquuntur: sed melius esset, quòd de bellis contra vitia cogitarèt, & qualiter illa vincerent. Si æterna bona & mala ad cor transirent, omnia temporalia citiùs euanescerent. Qui de mundo sunt, de mundo loquuntur: & qui Christũ diligunt, de cælestibus cogitant, & alijs cælestia, quæ amant, libenter denunciant. Stulti stulta & vana referunt; & leues corde libenter leuia audiunt. Bonum est ergo de friuolis rebus & incertis euentibus tacere, & Deo omnia occulta iudicia sua committere, sine cuius prouidentia nec foliũ arboris cadit in terram: nec sine causa iustus premitur, nec pauper spoliatur, nec innocens occiditur. Nemo de Deo iustè conqueri habet, quia omnia iustè, sapienter, & prouidè disponit, licet homo vias iustitiæ eius non comprehendat. Qui enim spem suam in Deo firmiter ponit, bene stat & non vacillabit, qualitercunque res in mundo transeunt.

14. *Vnde ergo lites & bella inter homines? Nonne ex concupiscentia carnis & superbia spiritus? Radix enim omnium malorum cupiditas.* Iacob. 4. 1. Tim. 6.  
 Quæ si refrenata non fuerit, ad innumera mala perducit. Cùm enim desiderata bona negantur, aut habita subtrahuntur, fit animus tristis, exurgit latens passio litis in corde; & indignatio apparet in vultu, & vox dura erūpit ab ore. In nobis ergo est materia litis & discordiæ fomes, scilicet cupiditas rei, amor habendi, timor perdendi, dolor boni amissi. Malus verò & impatiens plus nocet sibi, quàm alijs: & magis læditur à seipso intus, quàm ab alijs foris. Omnis passionatus, onus sibi ipsi est & turbatio cordis, vbicunque fuerit, siue solus, siue cum alijs multis. Continua & domesticalis nostra hæc est, quia caro nostra non est subiecta spiritui, secundum rectam rationem bene viuendi: nec spiritus perfectè subditus est Deo, secundum omnem voluntatem suam ipsi soli intimè placendi hinc & in æternum.

15. Sed diabolus malitiosus quiescere nescit: & quò ipse non vadit, nuncium occultè mittit, vt pacem aliorum turbet aut cal-



Diaboli  
omne at-  
que vnicū  
negotium  
tentatio.

Humilitas  
omnes Sa-  
tanæ cona-  
tus frāgit.

lidè decipiat. Aut enim à bono retrahit, aut ad malum incitat, aut falsa pro veris suggerit, aut de veris dubium facit. Sed fallitur, qui illi credit. Quid aliud habet agere, quàm per mūdum discurrere, & homines tentare, & bonos vexare? Sed qui in Deo cōfidunt, & ad orationem citò recurrunt, omnia consilia eius tanquam araneorum telas Christo iuuante disrumpere possunt, & in nullo timere debent minas malorum. Nemo securior à laqueis tentationum, quàm verus humilis perfectè obediens, & pauper peregrinus; qui nil commodi temporalis querit, nec bona mūdi concupiscit. Quis est hic, & verè laudabimus eum? O quàm laudabilis virtus humilitas, quæ laqueos diaboli euadit omnes! Quæ pretiosa & decora virtus castitatis, quæ carnis illecebras vincit, cum omnibus mundi pompis! Magna virtus paupertas spontanea, qua emitur calum sine pecunia. Nobilis virtus patientia, per quam vincuntur omnia mundi aduersa. Sublimis virtus obedientia, cui sæpe obediunt elementa, & quæ videntur homini impossibilia.

1. *Exemplum obedientia.*

16. **F**VIT deuota quædam priorissa in ordine regularium, quodam tempore ex febribus valde infirma. Cuius doloribus vna iuuenula soror compatiens, etiam lachrymas fudit. Quæ secretè intrauit chorum, prosternens se ante reliquias sanctorū, orans obnixè, vt mater conualesceret, & ipsa pro ea febricitaret; & statim factum est ita. Nam oratione completa, iuuenula cepit ægrotare, & priorissa eodem die deinceps conualuit. Audiens autem mater pijsima iuuenulam infirmari, vocauit eam, querens ab ea, quid egisset, aut comedisset? Quæ respōdit: Nihil mali comedi; sed cogitavi & rogavi Dominum, quòd melius esset, vt ego pro vobis infirmarer, & vos sanæ essetis. Tunc deuota mater cum bona fiducia, quam in Deo habuit, ait: Ex parte Dei, præcipio tibi per obedientiam, vt ampliùs non ægrotes. Quarum preces Deus exaudiens, dedit vtrisque salutem, ad sancti nominis sui inuocationem, laudem, & honorem. Amen.

2. *Exemplum patientia.*

17. **Q**UIDAM frater interrogauit quemdā peregrinū de longè venientem, dicens: Dic mihi bone amice, quid boni in via audisti & vidisti? Respondit, Patientiam pauperum audiui à multis satis laudari, sed à paucis vidi imitari. Quid plura? Ait: Inter delicias, cōperi spinas; inter honores, vidi dolores; & inter diuitias, inueni frequentes lites & curas magnas. Estne aliquis liber ab his malis? Ait tristis: Pauci admodum in diebus estis. Et si plures sunt, ignoro. Beati igitur religiosi, qui sciunt paucioribus

con-




contentari, & à nemine honorari cupiūt nec laudari: Deus enim erit merces eorum. Nam rarò mihi talis occurrit, qui de proprio damno non doluit, vel de proximo suo non est conquestus. Veruntamen, si est alicubi pax in hac vita speranda, tunc eam verus humilis habet, qui iniurias patienter sustinet & tacet. Qui vult ergo habere pacem & bonam conscientiam, relinquat pro amore Dei voluntatem suam, & discat patienter ferre iniuriam & hominum despectionem. Sic enim Christus fecit, portando pro nobis ignominiosam crucem, & obediendo Patri vsque ad mortem.

PARS TERTIA  
**SERMONVM**  
 AD NOVITIOS.

SERMO XX.

*De cruce quotidie tollenda, in religione assumptâ.*

**I.**  **I**HI autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Dilecti fratres, beatus Paulus, caelestium secretorum contemplator eximius, ostendit nobis in prædictis verbis sanctæ crucis, rectam viam bene viuendi, optimam doctrinam aduerſa patiendi, firmissimam scalam ascendendi ad calum, per inuictissimum sanctæ crucis signum. Hæc enim ducit amatores suos in regionem æternæ lucis, æternæ pacis, & æternæ beatitudinis; quam mundus dare non potest, nec diabolus auferre. Horret humana fragilitas pati paupertatem, abiectiōnem, vilitatem, esuriem, laborem, dolorem, angustiam, derisionem, quæ sæpè contingunt, & hominem gravant & conturbant. Sed hæc omnia simul iuncta, à Deo nobis dispensatiuè transmissa, salutarem fabricant crucem per multiplicem pœnam; & veris cruciferis, crucem suam tollentibus, aperiunt cælestis regni portam: certantibus preparant vitæ palmam, & vincentibus dant æternæ gloriæ coronam.

Gal. 6.

2. O verè beata crux Christi, quæ regem cælorum portare meruisti, & toti mundo gaudium salutis attulisti. Per te dæmones fugantur, infirmi curantur, pauidi confortantur, vitiosi mudantur.



pigri excitantur, superbi humiliantur, duri compunguntur, & deuoti fletibus irrigantur. Beati, qui passionem Christi quotidie recolunt, & crucem suam post Christum baiulare concupiscunt. Habent nunc boni & religiosi fratres, sub obedientia stantes, in quotidiana afflictione corporis, & in resignatione propria voluntatis, crucem foris asperam & amaram; sed intus dulcedine plenam: propter spem aeternae salutis & diuinæ consolationis affluentiam, tribulatis corde promissam. Quam si continuè nō sentiunt, aut tardius influere percipiunt, longanimiter tamen expectare debent, & diuinæ voluntati se resignare. Nam ipse melius nouit tempus miserendi, & modum tribulatis subueniendi: sicut medicus artem curandi, & magister peritiam regendi, & horam legendi. Habent interni baiulatores crucis, magnā confidentiam & gloriādi causam in cruce Iesu Christi. Quia nō de suis meritis & operibus confidunt, & saluari praesumunt: sed de misericordia Dei, & meritis Iesu Christi pro peccatis nostris crucifixi, in quē fideliter credunt, & corde diligunt: quem ore confitentur: laudant, praedicant, honorant & benedicunt.

Cruce suos  
probat  
Deus.  
Cruce monachorum  
qua.

3. Solet Deus familiares amicos suos per crucē sanctam probare, vtrum verè an fide eum querant & ament, & si mandata eius perfectè custodiant. Praecipuè tamen probantur per tolerantiam iniuriarum, & subtractionem consolationum internarum, per mortem amicorum, & damna rerum; per dolores capitis, & laciones membrorum; per abstinentiam ciborum, & asperitatem vestium: per duritiam lectuli, & frigora pedum; per longas vigiliis noctis, & diurnos labores: per oris silentium, & correptiones praesidentium: per vermes mordentes, & linguas detrahentes. Inter haec tamen consolantur per deuotam meditationem dominicae passionis, sicut multis deuotis in secreto cōpertum est. Nempe istorum est gustare absconditum mel de petra, oleumque misericordiae stillans de benedicto ligno sanctae crucis; cuius sapor optimus, odor suauissimus, tactus, sanissimus, fructus felicissimus. O verè dignissimum & pretiosissimum lignum vitae, in medio Ecclesiae plantatum pro medicamine animarum! O Iesu Nazarene crucifixe; tu peccatorum vincula soluis, sanctorum animas liberas, superborum colla humilias, prauorum potentiam cōteris, fideles confortas, incredulos fugas, pios eruis, duos flagellas, aduersarios deprimis, elisos erigis, oppressos eripis, nocentes percutis, innocentes defendis, veraces diligis; mendaces odis, carnales despicias, spirituales respicias, ad te venientes suscipis, ad te fugientes abscondis. Te inuocantes exaudis, te visitantes latificas, te quarentes adiuuas, ad te clamantes confortas. Te honorantes honoras, te laudantes laudas, te amantes amas, te adorantes glorificas,



zificas, te benedicentes benedicis, te exaltantes exaltas. Te respicientes respicis, te osculantes oscularis, te amplectentes amplecteris, te sequentes ad cælum perducis.

4. Sed vā amatoribus mundi, qui vestigia Christi non attendunt, nec per viam sanctæ crucis ambulant: sed ad sua desideria complenda, aurum & argentum cōgregant, quæ secum ferre nullatenus possunt. Vā superbis & magnis in oculis suis, qui humilitatem deuotorum spernunt, simplicitatem derident, paupertatem miseriam vocant, obedientiam paruipendunt, patientiam à se repellunt, castitatem malè custodiunt, & crucifixo contrariè viuunt. Vā delicatis & curiosis, qui carnem suam nimis fouent & foris vestibibus ornant, & animam suam negligunt, & peccatis maculant. Vā auaris & ambitiosis, qui pro terrenis bonis & honoribus multum laborant, & sæpè litigant; & pro cælestibus bonis & æternis gaudijs parum agere & pati possunt. Ideo terrena frequenter subitò perdant, & cælestia non acquirunt. Nemo enim potest hîc gaudere cum sæculo, & ibi regnare cum Christo pro nobis crucifixo. *Non est seruus maior domino suo, nec discipulus* Ioan. 13.  
*melior magistro suo; quem oportebat pati crucem, & ita intrare in* Luca 6.  
*gloriam suam.* Et certè post breuissimam vitæ huius gaudia sequuntur æterna lamenta. Et tunc duriter cruciabuntur in igne & sulphure, qui modò edunt lautè & abundè, & bibunt vinum cum risu & dulcedine. *Nisi enim (ait Dominus) pœnitentiam egeritis,* Luca 24.  
*omnes simul peribitis.* Luca 13.

5. Sunt homines mortales, qui suam fragilitatem non considerant: nec vilitatem luti, vnde facti sunt, cogitant: sed de nobilitate generis sui gloriantur; de diuitibus parentibus intumescunt; de scientia & arte sua inflantur; de fortitudine & pulchritudine præsumunt; de regimine & prælatura exultant; de ornatis & varijs vestibibus se eleuant; de notitia & fama nominis sui lætantur; de visitatione amicorum consolantur; de priuatione sui honoris tristantur; de aliorum felicitate & promotione sibi contrariorum torquentur. Sed heu, hæc omnia diligenter inspecta & veraciter pensata, vana sunt, nec aliqua reputatione digna: quia subitò casura, & in nihilum reditura. *Omnis quippe caro fœnum,* & omnis Isai. 40.  
status mundi tanquam flos agri cadit, arefcit & putrescit, ac si nunquam hic ortus fuisset.

6. Sunt & alij multi vanis ludis intēti, crucis Christi signo cōtrarij, & à sanctorum Societate moribus & actibus valde remoti. Qui quasi insani gaudent in varijs mundi spectaculis, in psalterijs & citharis, in tubis & organis; currunt & saltant pedibus, plaudunt manibus, cantant vocibus, rident dentibus, & præ lætitia cordis, vix se capiunt in gestibus corporis, quia summum



bonum suum constituunt in ludis & gaudijs presentibus. Quod si durabile & Deo acceptabile esset, multum desiderabile & laudabile foret. Sed heu, quam maxime falluntur homines, tam reges, quam principes populi, lætantes in vanitatibus istius sæculi. Nam vanitas omnis homo viuens, tanquam umbra fugiens, & ros manè pertransiens. O quam longè sunt isti à summo bono, à dulcedine Dei, à melodijs Angelorum, à semitis iustorum, à sanctitate religioforum, & à spiritali gaudio deuotorum. Veniet citò mors super eos, antequam sciant: qui modò lætantur, quasi securi essent; & cessabit omnis ludus & cantus, in domibus eorum & plateis. Et gaudebunt pauperes, infirmi, & huic mundo despecti, cum omnibus veris cruciferis amatoribus Christi; qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs in hoc mundo, ne cum impijs damnentur in iudicio futuro.

*Psalm. 31.*

*Corrupti  
monachi  
descriptio.*

7. Væ etiam vagis & dissolutis monachis, solo nomine & habitu religiosi, qui crucem suam cum murmure portant, & inuitè obediunt: cellam malè custodiunt, silentium leuiter frangunt, labores fugiunt, otia diligunt, orationes breuiant, fabulas prolongant, ad exteriora proni, ad interiora pigri, ad cogitandum bona torpidi, ad pensandum mala procliui, ad edendum & bibendum alacres, ad ieiunandum tristes, ad increpandum faciles, ad sustinendum debiles, ad honores cupidi, ad humilia verecundi, ad rigorem disciplinæ auersi, & ad laxiora semper inclinati. Sed heu pie Deus, quod filij huius sæculi prudentiores sunt & feruentiores in terrenis acquirendis, augmentandis, & conseruandis, quam filij lucis & serui sanctæ crucis, pro virtutibus colligendis, & vitijs extirpandis. O vtinam omnes saperent & intelligerent, quam delectabile est deuotis exercitijs intendere, scripturarum arcana perscrutari, verba Christi & opera meditari, sæpè legere, sæpè orare, lecta & audita masticare, beneficia Dei quotidie recollere, pro omnibus bonis datis & creatis, etiam pro minimis, Deo regratiari, ad meliora semper tendere, ad cælestia suspirare, & omnia terrena ex corde elongare. O quam sanctum est, in cauta custodia cordis stare; euagationes per feruidas orationes & puras meditationes excludere, imaginationem mundi per imaginem crucifixi vincere, tentationes diaboli, cum sancta cruce, clauis & lancea repellere, motiones carnis, spinis & flagellis acutis extinguere, iniurias illatas patienti animo ferre, damna & vituperia pro lucro animæ reputare, & omnia grauamina præsentia pro amore Christi leuissima ponderare. Hæc enim & similia attentè cogitare, & niti exercere, est crucem tollere, & in cruce Christi, & non in carne gloriari. Ex dulci namque ligno crucis, dulcis odor cælestis gratiæ effluit, qui cuncta sæculi gaudia repellit,

*Crucē ferre  
quid.*



pellit, carnis delectamenta extinguit, cordis elationem reprimie, internæ consolationis munera tristibus affert, iniuriam patientibus fortitudinem præbet, anxios animos varijs modis verbis Christi & exemplis quietat.

8. O religiose frater, quare contristaris & conquereris de grauitate crucis tuæ, in vigilijs longis, in ieiunijs multis, in labore & silentio, in obedientia & stricta disciplina, quæ pro profectu tuo & animæ salute, à sanctis patribus sunt Deo inspirante vtiliter instituta, quatenus per ista securè & prudenter incedas, qui teipsum bene & virtuosè regere nescis. Putas quòd tu sine cruce & dolore ad regnum cælorum intrabis præ omnibus sanctis: quod Christus non potuit nec voluit, nec aliquis ex charissimis amicis & sanctis eius impetrauit? Nam ipse dixit: *Oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Erras planè in existimatione tua: nec attendis vestigia Christi tibi ostensa, qui per crucè ex hoc mundo transiit ad Patrè suum cælestem. Interroga quèlibet de victoribus & cælestis regni ciuibus, quomodo venerit ad hanc gloriã Dei perpetuò possidendam. Nonne per crucem & pœnam? Eia dilecti fratres, tollite iugum Domini super vos, amantibus suaue & leue. Amplectimini desideranter crucè sanctam, omnibus virtutibus floridam, cælesti vnctione plenam: vt perducatur vos sine errore, cum spe gloriæ, in vitam æternam. Quid vultis amplius: Hęc est via, & nõ alia, via recta, via sancta, via perfecta, via Christi, via iustorum, via electorum saluandorum. Ambulate in ea, perseuerate in ea, sustinete in ea, viuite in ea, morimini in ea, expirete in ea.

9. Crux Christi vincit omnia diaboli machinamèta. Crux ad se trahit omnium fidelium corda: Crux delet omnia mala, & cõfert nobis omnia bona, per Iesum Christum, qui pependit & mortuus est in ea. Nõ est aliqua armatura tam fortis, nec sagitta tam acuta & terribilis, contra diaboli potentiam & sæuitiam, quam sic timet, sicut signum sanctæ crucis, in qua filium Dei suspendi fecit & occidi, qui innocens fuit, & ab omni macula purus. O verè beata crux Christi, omni honore dignissima, omni amore amplexanda: amantibus leuis ad portandum onera, tristibus solatiofa ad sustinendum opprobria, pœnitentibus benigna ad dimittendum debita pro omni offensa. Hęc est sanctis Angelis valde honorabilis, hominibus multum amabilis, demonibus nimis terribilis, despecta superbis, accepta humilibus, aspera carnalibus, dulcis spiritualibus: insipida stultis, affectuosa deuotis: affabilis pauperibus, consocialis peregrinis: amicabilis afflictis, cõsolabilis infirmis, confortabilis morituris. Recondite ergo omnia sacra Iesu vulnera in secretario cordis vestri: quæ super omnia

Crucis  
Christi  
dignitas.



aromata sapiunt animæ deuotæ in mœrore existenti, nec solatium foris ab hominibus quærenti.

10. Pensate etiam dolores beatæ Virginis matris Iesu stantis iuxta crucem, quàm multas tunc lachrymas cum intima compassione effudit, cum multis feminis secum plorâtibus, vt & ipsa memor sit vestri in omnibus angustijs vestris. Sequimini Christum per passionem suam & crucem ducentem ad æternam requiem & lucem: Quia si modò estis socij tribulationis, eritis postmodum cum eo socij mensæ cælestis, & perpetuæ exultationis. Plantate in hortulo memoriæ vestræ arborem sanctæ crucis, contra omnes mortiferas diaboli suggestiones medicinam virtuosam proferentem.

Arboris  
crucis  
Christi  
descriptio  
elegantis-  
sima.

11. Huius enim nobilissimæ & felicissimæ arboris radix est humilitas & paupertas: cortex, labor & pœnitentia: rami, misericordia & iustitia: folia, veritas & doctrina: flores, honestas & pudicitia: odor, sobrietas & abstinencia: pulchritudo, castitas & obedientia: splendor, fides recta & spes firma: fortitudo, magnanimitas & patientia; longitudo, longanimitas & perseuerantia; latitudo, benignitas & concordia; altitudo, charitas & sapientia; dulcedo, amor & latitia; fructus, salus & vitæ æterna. Bene ergo & dignè in sancta Ecclesia de sancta cruce cantatur: Quia nulla silua talem profert arborem, fronde, flore, germine plenâ. Sed nec in hortis Salomonis inuenitur species talis, nec herba tã valens pro medicamine omnis languoris, sicut arbor sanctæ crucis, proferens aromata diuinæ virtutis, ad reformationem humanæ salutis. Hæc est arbor fœcundissima, super omnes arbores paradisi benedicta: ramis pulcherrimis extensa, folijs virentibus ornata; fructibus vberimis per mundum dilatata; altitudine tangens cælos, profunditate penetrans inferos, latitudine ambiens montes & colles, magnitudine implens orbem terrarum, fortitudine vincens impios reges & fidei persecutores, pietate attrahens debiles, suauitate sanans peccatores. Hæc est vitis deifera, oliua fructifera, dulcis ficulnea; foris aspera, intus melliflua; in domo Dei plântata, in humilitate radicata, in patientia probata, in obedientia consummata, in charitate confirmata.

12. Hæc est palma præclara, dignè Christifera vocata; humero Iesu baiulata, in môte Caluariæ altè leuata, à Iudæis condemnata, à gentilibus deturpata, ab impijs exprobrata, à perfidis abnegata, à fidelibus lamentata, à pijs implorata, à deuotis multum amata, à religiosis summè venerata. Hæc Cōstantino imperatori cælitus est ostensa, à sancta Helena regina diligenter quæsitâ, & cum magno gaudio inuenta. Hæc ab eodem nobili christicola fuit amorosè amplexata, lachrymosâ facie irrigata, & labijs puris affe-



ris affectuosissimè osculata. Hæc iam, Deo mirabiliter disponēte, in multis locis signis emicat & virtutibus. Hæc à regibus & principibus mundi, ab omni clero & populo adoratur, quæritur, & honoratur; & pro omnibus plagis & contumelijs ab impijs sibi factis, à cunctis Christi fidelibus ampliori deuotione colitur & celebratur. Attamen ex occulto Dei consilio & prouidentia, hæc omnia pro salute mundi gesta sunt & ordinata. Hæc animam deuotam piæ confessionis affectu sæpè compūgit, sæpè lachrymare facit, cum crucifixi imaginem aspicit: sæpè cor amantis conuulnerat, cum Christum pro se vulneratum pensat. Beatus homo & fidelis seruus ille, qui sacra Iesu vulnera in corde suo iugiter portat; & quicquid aduersitatis sibi obuiat, de manu Dei hoc accipit, & piè sustinet, vt crucifixo, saltem in modico, conformis fiat. Dignus namque est à Christo visitari & cōsolari, qui se studet passioni eius, in vita & in morte, plenè conformare.

13. Hæc est via sanctæ crucis; hæc doctrina nostri saluatoris, hæc sapientia sanctorum; hæc regula monachorum: hæc vita bonorum: hæc lectio clericorum, hæc meditatio deuotorum, Christum humiliter imitari, pro Christo mala pati, pro dulcibus amara sumere, honores spernere, contemptum æquanimiter ferre. A delectationibus prauis abstinere, occasiones vitiorum fugere, dissolutiones vitare. Pro defectibus proprijs & alienis gemere, pro tribulatis & tentatis orare, pro benefactoribus gratias agere, pro aduersarijs, vt conuertantur, supplicare. Bene agentibus congaudere, iniuriam patientibus condolere, indigentibus subuenire; alta nō appetere, humilia eligere, simplicia diligere, superflua refecare, paucis contentari. Pro virtutibus laborare, contra vitia quotidie certare, carnem ieiunio domare, spiritum oratione & lectione roborare, humanam laudem refutare, solitudinem quærere, silentium amare, Deo vacare. Ad cælestia suspirare, omnia terrena ex corde vilipendere, nil præter Deum sibi solatiofum reputare. Iste potest cum beato Paulo Apostolo dicere: *Quia mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et iterum: *Gloriari me oportet in cruce Domini mei Iesu Christi: per quem mundus iste mihi crucifixus est, & ego mundo.*

Via crucis  
Christi  
quæ.

Phil. 1.  
Gal. 6.

14. O religiose monache, & sectator arctioris vitæ, noli ab assumpta cruce in ordine recedere: sed sustine & porta crucem vsque ad mortem, & inuenies æternam requiem, cælestem gloriam & honorem. Quando aliqua tribulatio tibi aduenit, tunc Christus cum cruce tibi obuiat, & iter ad cæleste regnum, quò pergere debeas, ostendit. Si quis autem gloriatur, & sperat in diuitijs & honoribus huius mundi, verè decipitur, & nihil ex omnibus secum portabit, quæ in mundo amare consuevit. Qui verò in cru-

Tribulatis  
Christus  
veit obuiam cum  
cruce.



ce Christi gloriantur, & omnia propter Christū contemnit; hic interim à Christo in præsentī consolabitur, & in futuro cælestibus bonis replebitur, ac sine fine cum Christo & omnibus sãctis felicissimè gaudebit. Quæ nobis præstare dignetur Iesus Christus, pro nobis in cruce passus & mortuus: cui æterna laus & gloria, in secula seculorum. Amen.

*Exemplum de sancta cruce.*

Crucis signum quã sit efficax, probat exemplis.

15. **F**VIT apud nos laicus quidã Nicolaus Petri nominatus, ex partibus Hollãdiæ natus. Hic (Deo inspirante) cum esset carpentarius bonus, statuit in animo seculum relinquere, & monasterium nostrum intrare. Cum ergo solus esset in via, & monasterio appropinquaret; diabolo insidiantē & tentante, cœpit anxari & multum formidare, nesciens quid sibi obesset in bona via, sole adhuc clarè lucente. Stans ergo, & deliberans apud se quid ageret, cum nullum adesse cerneret, cœpit cogitare, quia fortè diabolus eum impedire vellet, ne vltterius ad monasterium procederet. Circumspiciens ergo huc illuc, vidit à longè quasi nigram nubeculam de terra ascendere, & paulatim in altum excrescere, & quasi à vento agitãte moueri. Perterritus itaque valde, & coniecturans, quòd Satanã iter suum impedire niteretur, ne propositum suum impleret: statim eleuata manu sanctæ crucis signum fecit, & salutari signo frontem armauit; Sicquẽ abiecto timore & forti fide confortatus, frontem iterũ cruce signans viriliter processit. Quo factõ, diabolicum illud phantasma, virtutẽ sanctæ crucis ferre non valens, & quasi sagittam acutam cõtra se missã deuittans, à via declinauit, moxquẽ tanquam fumus euanesceus, ex toto disparuit. Tunc multum lætus effectus, monasterium nostrum, in honorem sanctæ Agnetis Virginis dedicatum, constanter intrauit; quod tunc temporis in magna paupertate inceptum, paucis cognitum fuit. Hic postmodum multis annis superuiuens, ad honorem sanctæ crucis omnibus feriis sextis ieiunauit, & etiam tempore mensis magnis laboribus fatigatus, nunquam sanctæ crucis ieiunium soluit; sed propositum suum, quod bene inceptit, constantissimè terminauit.

*Aliud exemplum.*

16. **F**VIT quãdam soror conuersa, Margarita nomine, Deo deuota, in ordine regularium sororum; quæ officio coquinæ deputata, tanquam fidelis Martha, Christo & sororibus humiliter seruire studuit, quamdiu potuit. Quadam igitur vice, posita erat patella olei super ignem, qui ardebat; ipsa verò operi intẽta, non longè distabat. Cumquẽ cerneret oleum nimis ebullire, & in altum spumas eius ascendere, timens illud effundi & igne cõsumi, citiùs ad focum cucurrit: Et factõ desuper sanctæ crucis signo,



gno, mox tumor spumæ ad ima cecidit, ac si aquam frigidam inieciſſet. Quod focia eius videne, mirata eſt, & alijs poſtea hoc factum reuelauit.

*Exemplum aliud.*

17. **M**VLIER quædam Campenſis ibat ad forū ciuitatis, vt ſibi & domesticis ſuis modicum lactis emeret. Emptione autem facta ad domum redire feſtinabat, tenēs in manu amphoram lactis, quam ſecum tulerat. In via ergo poſita cupiebat de lacte bibere, & inclinans ſe reſedit ſuper terram. Accepta itaque in manu amphora, fecit deſuper ſignum ſanctæ crucis, antequam biberet; ſtatimque amphora inferiùs crepuit, & lac in terram ruens, ybertim effluxit. Quo viſo, nimis exterrita ſurrexit, & perpendens, quid miri ſibi accidiſſet, præſenti ſigno virtutem ſanctæ crucis patenter agnouit. Quidam autem rem geſtam audientes, dixerunt: Fortè niſi hæc mulier, ſigno ſanctæ crucis ſe ſignafſet, diabolus cum lacte imbibifſet. Bonum eſt ergo cibum ac potum priùs ſigno ſanctæ crucis benedicere; ne aliquid nociuum homini ex vitio gulæ contingat, per quam diabolus multos ſapius tentat & captat.

*Aliud exemplum.*

18. **D**VO religioſi fratres, habita licentia, ibant pariter nõ longè extra monaſterij portam, poſt horam reuerſuri ad cellam deuotionis amicam. Dum ergo fabularentur ad inuicem, de diuerſis ſibi placitis hiſtorijs, interuenit etiã ex incuſtodia oris, ſermo detractiõnis de factis ſui Prioris, inſtigatiõne maligni ſpiritus. Tunc ecce ſubito apparuit eis equus niger valde terribilis, cum impetu occurrens ambulantiſus, & quaſi volens inuadere fabulantes. At illi nimium perterriti, mox ſigno ſanctæ crucis ſe munientes, concito curſu ad monaſterij portam fugerunt; & ſic periculum ſæuiſſimi hoſtis, per ſanctæ crucis ſignum euafecerunt. Et dixerunt: Malè fecimus, otioſa & detractoria de alijs loquendo. Ideo accidit nobis tam enorme monſtrum, ad cauendum de cætero peſſimum detractiõnis vitium, omnibus abominandum.

*Exemplum aliud.*

19. **Q**UIDAM frater ex labore fatigatus, cum ſero facto ad dormiendum ſe diſponeret, neglexit ſolito more, ſigno ſanctæ crucis cõtra terrorè inimici ſe ſignare. Nã celeri oppreſſus ſõno, nõ eſt armatus ſalutiferæ crucis ſigno. Poſtea tã grauiter fuit perterritus in ſõno, ab antiquo humani generis inimico; ita quòd præ timore clamaret alta voce, & expergefactus tremeret cū ingēti ſtupore. Tũc demũ recordatus eſt, quod vespere præcedēti non ſatis cautè ſe ſignafſet, ſolito vexillo ſanctæ crucis; & idcirco



circo hostis malignus fuit sibi in illa nocte tam seuerè molestus, Ad se ergo plene reuersus, inuocato salutari nomine Iesu, cruce se signauit, & suffragium sanctæ crucis deuotè legit; sicque iterū obdormiens, in pace Christi securè quieuit. Et ob huius rei factū per sanctæ crucis signum, sine cruce Christi nullum locum mundi ab hostis terrore putauit esse securum.

*Aliud exemplum.*

20. **V**IR quidam honestus vidit in somnis sibi a stare imaginē sanctæ crucis: quæ primò ante eū stetit & aspexit; postea verò retro post ipsum stans in dorso, detrusit & recessit. Super quo nimis perterritus & perplexus, cuidam deuoto presbytero, quod viderat, reuelauit. Qui visioem perpendens, nec incassam reputans, ait trepidanti: Fortè Dominus noster vult vos probare, & ad sustinendum aliquid oneris vobis imponere. Præparetis ergo dorsum vestrum, ad portandum piè cum eo crucem: quia flagellat omnem filium quem diligit. His dictis consolatus est homo, committens se Deo, qui nihil facit nisi pro bono. Nec diu post extitit, venit super eum tribulatio & despectio hominum, quam crux prius visa in somnis præfigurauit. Ipse verò diligèter præmonitus, ad patientiam se disposuit, & post dignam probationem, bono fine vitam terminauit.

*Exemplum aliud.*

21. **Q**UIDAM deuotus frater, præ cæteris sacris libris in passione Domini se exercere studuit, & imaginem sanctæ crucis in magna reuerentia habuit. Et vbicunque aliquam crucē vidit, humiliter inclinans libenter se cruce signauit, memor Dei sui pro se crucifixi, quem amare & honorare desiderauit. Quadā igitur nocte vidit in visione quandam imaginem sanctæ crucis, in pariete cuiusdam Ecclesiæ pendentem, multis vulneribus ac plagis acerrimè sauciata. Quam nimis dolenter aspiciens, flexis genibus & iunctis manibus, suppliciter adorauit. Statimque imago dextrum brachium suum de cruce ad eum extendit, & dexteram manum sibi porrexit. De quo cum multum de tãta dignatione miraretur, dictum est ei: Hoc pro honore, quem mihi in cruce exhibuisti. Exinde cœpit maior deuotio in corde eius erga imaginem sanctæ crucis excrefcere, & dulcius ei fiebat, de passione Domini quotidie meditari, legere, & orare.

*Oratio de laude sanctæ crucis.*

22. **O** Dulcissima & amãtissima crux Domini mei Iesu Christi, foris nimis tristis & amara, sed intus diuina dulcedine plena. O arbor decora & fulgida, mēbris Christi tanquã preciosis margaritis ornata. O vitis fecūda, duris clauis perforata. O oliua speciosa, sāguine Christi colorata, aqua lateris eius sāctificata.



ficata. O lignum vitæ, portās Regem gloriæ, pro mundi salute. O crux scutum inexpugnabile, vexillum Regis incomparabile, signum salutis admirabile, in titulo capitis habens scriptum tale: *Iesus Nazarenus Rex Iudaorum*. Salve Iesu Nazarene, laus Ange- Ioan. 19. lorum, vita beatorum, venia peccatorum, salus omnium populorum. O crux salutifera, ab æterno præuisa & electa; tu omnium virtutum floribus adornaris, dignè adoraris: miraculis coruscas, fructibus æternæ salutis exuberans, super omnia aromata redoles; morbos corporis & animæ sanas, iustis cælum aperis, peccatoribus veniam præbes, diabolum fugas, infernum frangis, captiuos liberans, redemptos beatificas. O crux arbor speciosissima, super omnia ligna siluarum benedicta: Tu cedro altior, palma latior, cypresso odoratior, balsamo nobilior, vitæ fecundior, oliua pinguior, ficu dulcior, buxo viridior, quercu fortior, rosa pulchrior, lilijs cædidior. O crux spléndidissima, sole excelsior, stellis clarior, luna lucidior, gemmis micantior, lapidibus preciosior, auro dignior, argento melior, nardo efficacior, cunctis aromatibus & medicinis salubrior. O crux valde amabilis, summè venerabilis, esto mihi peccatori propitia & placabilis, dux bonæ vitæ, lux rectæ viæ: protectrix ab hoste, liberatrix in tremendo iudicio, & pia susceptrix in regno superno. Assiste mihi in agone, conforta in fide, spem veniæ tribue, charitatem cordi infunde, & cum felici fine ex hoc mundo migrare concede: Vt per te me recipiat, qui in te pependit, & me redemit, Iesus Christus Dominus noster: *Qui cum patre, &c.* Laudat mundus amatores suos, milites fortes & barones, qui pro patria & ciuibus suis bellauerunt, & periculis multis ac morti viriliter se exposuerunt: & commune bonum omnibus priuatis & proprijs prætulērunt. Quanto magis Christus laudandus est & amandus, qui pro omnibus nobis crucifixus est & mortuus: vt in æternum viueremus, & cum eo in cælis regnaremus. Amen.

S E R M O X X I.

*De ueneratione & commemoratione beatae Mariæ Virginis.*

**X.** **S**TABAT *iuxta crucem Iesu, mater eius.* Dilecti fratres, dignū Ioan. 19. est & consequēs, vt post memoriam sanctæ crucis, habeatur etiā specialis memoria doloris beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ: quæ astitit fideliter dilecto filio suo Iesu pēdēti in cruce, atque pro totius mūdi salute morienti. O flebile spectaculum matris & filij crucifixi: matris lachrymantis, & filij condolentis; matris deficientis, & filij alloquētis; matris sub cruce stantis, & filij in cruce pendentis; matris suspirantis, & filij expirantis. O immensi doloris magnitudo nunquam obliuiscenda, scd



sed in cordibus deuotorum fixè tenenda.

2. Scripsit Pilatus titulum in tabula super crucem: Iesus Nazarenus Rex Iudaorum. Scribe etiam & tu eundem titulum in corde tuo aureis literis, contra derisus hominū & terrores dæmonum: & liberabit te Iesus Christus Rex cælorum, ab omni pressura iniquorum. Si ita feceris, astatibit & tibi mater Iesu Maria precibus suis, ne desperes in extremis & angustijs tuis. Nulla enim mater tā magnum in natiuitate filij sui gaudiū & solatium habuit, sicut hæc beatissima sensit, quæ filium Dei concipere & parere meruit. Nulla etiam mater tantam tristitiam & intolerabilem dolorem in morte carnalis filij sui habuit & pertulit, sicut hæc amantissima mater in passione præ dilecti filij sui ex cõpensione persensit, quando iuxta crucem eius stetit, ac doloris gladio conuulnerata, amarissimè fletit. Certè tantis visis doloribus in filio, quem singulariter super omnia excessiuè diligebat, mirum valde fuit, quòd vltra in corpore viuere potuit, cuius animam toties doloris gladius pertransiuit, quoties filium torqueri & illudi vidit vel audiuit. O verè singulare martyrium, in desolata matre, & tenera virgine; quæ acrius torquebatur in corde compatiendo filio, quàm martyr aliquis suspensus in equuleo.

Adstādum  
cruci cum  
Maria.

3. Fratres, si Dominam nostram diligitis, & eius patrociniū in omni tribulatione desideratis, tunc stetis cum ea iuxta crucem Iesu compatiendo ipsi & dilecto filio eius ex intimo corde, vt & ipsa iterum sedulo oret pro peccatis & negligentijs vestris in morte. Qui enim nunc sæpè & deuotè passionem Domini, & lachrymas tristissimæ matris eius, pio mentis affectu recogitat & perpendit: sperare debet de misericordia Dei, & beneuolētia amborum matris & filij, quòd sibi etiam aderunt in necessitatibus suis, & subuenient consolando iacentem in extremis. O quàm lata erit anima illa, quæ Iesum & Mariam dilexit in vita sua; & tristem stationem Mariæ iuxta crucē Iesu, omni die reuoluit in mente! Felix religiosus ille contemnens omnia solatia mundi, qui Dominam nostram sanctam Mariam elegit sibi in matrem consolantem; & totius vitæ suæ custodem protegentem. Nulli dubium, quin pia & misericors mater, consolatrix pauperum, & orphanorum adiutrix, loquetur libenter pro fidei seruo suo de mundo migrante verbum bonum & suauē, placando faciem dilecti filij sui redemptoris nostri precibus suis sanctis, dicens: Fili mi amantissime, miserere animæ famuli tui, amatoris & laudatoris mei, sicut tu bene nosti & vidisti: de cuius ore sancti Angeli sapius mihi deuotę salutationis gaudia nunciarunt, qui etiam ad laudandum nomen sanctum tuum & meum, plures secum fra-

tres



eres inuitare consuevit. Hic est notarius noster scribens sacros libros, & amator sanctæ crucis, libenter orans, & Psalmos cātans; qui audito nomine sancto tuo atque meo reuerenter solebat ad nos inclinare, & geniculando salutare. Transiens per viam & videns à longè crucem, memor passionis tuæ, exhibuit tibi reuerentiam, inclinando se ad crucem. Cernens etiam in Ecclesia, vel in aliquo loco piētam imaginem meam, vel te in sinu meo iacentem aut sedentem, vel quasi mortuum inter brachia mea pendentem, statim compassus est & doluit, fleuit & orauit, genua flexit & adorauit. Hic sine osculo amoris à nobis nō recessit, sed tota die ac nocte dolores sanctorum vulnerum tuorum, & fletus oculorum meorum, in corde suo abscondit, & intimè mihi compati studuit. Memor ergo esto horum, fili mi charissime: & da ei nunc inuenire misericordiam coram te, me cum omnibus Angelis & sanctis tuis pro eo instantia magna supplicante.

4. Fratres, ista modò attēdere debetis, dum adhuc sani estis, & tempus emendandi vos habetis. Procuretis iam vobis tales amicos & aduocatos, qui loquantur pro offensis & debitis vestris, verbum bonum Deo valde gratum: & recipiant vos in æterna tabernacula sua, post huius mundi pericula & laboriosa certamina. Non enim inuenietis fideliores amicos & potentiores in celo & in terra, quàm Iesum regem Angelorum, & Mariam Dominam nostram, reginam celorum. Si amatores Christi estis, tollite crucem Christi, sequimini crucem, stete iuxta crucem, amplectimini crucem, non relinquatis crucem, donec veniatis ad Iesum Christum veram lucem, qui dicit: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Si consolari in omni tribulatione quaritis, accedite ad Mariam matrem Iesu, iuxta crucem stātem, flentem, & dolentem: & omnia grauamina vestra aut citò recedent, aut leuora fient. Eligite hanc benignissimam matrem Iesu præ cunctis parentibus & amicis vestris, in matrē specialem & aduocatam ante mortem; & salutate eam Angelica salutatio-  
ne frequenter, quia hanc vocem audit valde libenter. Si malignus hostis vos tentat, & à laude Dei & Mariæ impedit, non curetis, nec laudare & orare cessetis; sed eò ardentius Mariam inuocate, Mariam salutate, Mariam cogitate, Mariam nominate, Mariā honorate, Mariam semper glorificate, Mariæ inclinate, Mariæ vos commendate. Cum Maria in cella manete, cū Maria tacete, cum Maria gaudete, cum Maria dolete, cū Maria laborate, cū Maria vigilate, cum Maria orate, cum Maria ambulate, cum Maria sedete, cum Maria Iesum quærite, cū Maria Iesum in vlnis portate, cum Maria & Iesu in Nazareth habitate, cum Maria in Hierusalem ite, cum Maria iuxta crucē Iesu stete, cum  
Maria

Ioan. 8.

In omni  
tentatione  
iuuocanda  
Maria.



Maria Iesum plorate, cum Maria Iesum sepelire. Cum Maria & Iesu resurgite, cum Maria & Iesu caelos ascendite, cum Maria & Iesu viuere & mori desiderate.

5. Fratres, si ista bene cogitatis & exercetis, diabolus fugiet a vobis, & in spirituali vita proficietis. Maria libenter pro vobis orabit, pro sua clementia, & Iesus libenter matrem suam exaudiet, pro sua reuerentia. Parum est omne, quod agimus: sed si per Mariam & Iesum filium eius, humili & contrito corde ad Patrem accedimus, misericordiam consequemur, & gratiam in hoc tempore, & gloriam in futuro cum ipsis sine fine, Amē. Felix anima deuota, quæ habet Iesum & Mariam familiares amicos, in hac vita, sodales in mensa, comites in via, prouisores in necessitate, consolatores in tribulatione, adiutores in periculis, consultores in dubijs, susceptores in extremis. Beatus religiosus, qui se reputat peregrinum in hoc mundo: & pro summo solatio habet, Iesum & Mariam in cordis hospitio.

*Exempla de salutatione Angelica.*

6. FRATER quidam libellum in cella perdidit, quem diu sollicitè quærens inuenire nõ potuit. Cumque de eius amissione tristaretur, & de inuentione eius iam desperaret, conuertit se ad orationem, inuocans beatam Virginem per Angelicam salutationem. Cum ergo solito more, Ave maria legere inciperet, & eandem sæpe repeteret, & inter hæc de libello dolens cogitaret, subito ei venit ad mentem tale inspiramētum, vbi sedebat iuxta lectulum orans, ante beatæ Mariæ Virginis imaginem. Quære hinc ante te sub stramine lecti. Statim manum suam ad asserem lectuli extendit, volens explorare, an ibi aliquid absconditum iaceret: Et ecce leuato modico stramine, mox libellum manu tetigit, & extraxit. Quo viso miratus est, & præ gaudio libellum osculans, Deo gratias egit: & beata Virgini Angelicas orationes ipsi promissas protinus persoluit. Et dixit: Fortè Domina nostra voluit aliquot Ave Maria habere, & ideo non potuisti tam citò libellum inuenire. Bonum est ergo, Ave Maria sæpe legere, & matrem Iesu deuotè inuocare.

*Aliud exemplum.*

7. QUIDAM frater scribens in cella libros, diabolo insidiante, fordida cogitatione molestabatur. Quod sentiens & indignè ferens, statim surrexit, vt cellam exiret, & istam vexationem citius euaderet. Sed antequam exiret, Deo inspirate, respexit ad beatæ Virginis imaginem, quã apud se habebat, & deuotionis causa salutare solebat. Mox igitur flexit genua, & iunctis manibus coepit legere deuotè, Ave Maria. Et ecce continuo affuit gratia diuina, subueniente illi pia domina nostra Maria, cum nobili prole sua

bene-



benedicta. Nam incepta & intentè perlecta salutatione angelica, cum in fine iam dixisset, Iesus Christus amen, mox in semetipso sensit Dei virtutem, & ab omni noxa quietem. Stupens ergò de celeri exauditione, cognouit in præsentì articulo, magnam angelicæ salutationis utilitatè, còtra quamlibet hostis impugnationem. Et gratias agens Deo, ait intra se: Nunc scio verè, quia potens est domina nostra sancta Maria, iuuare & eripere omnes clamantes ad se. Nocte verò sequenti, talis ei visio apparuit dormienti: Videbatur enim sibi, quod per hortum pomarij solus transiret. Cui occurrens Satanas, ipsum terrere & fugare cœpit. At ille perterritus à facie eius, cœpit præcurrere, vt euaderet manus eius. Et cum non auderet extra septa monasterij transire, ex repentino cursu subitò cecidit in fossam aquæ, in limum profundi. Timens ergo submergi, cum nullum adesse videret, qui eum iuuaret & extraheret, cœpit intra se angelicam salutationem legere, & auxilium petere. Mox igitur, cum dixisset, Iesus Christus amen, raptus est de profundo lacu aquæ, & super aridam terram restitutus. Tunc valdè exhilaratus, & quasi de laqueo mortis ereptus, expergefactus est, & ad se plenè reuersus. Erigens ergo se in lectulo, præ gaudio cœpit flere, & pro gratiarum actione, flexis genibus legit attentè sæpissimè, Ave Maria. Addidit etiã hæc verba: Ave Maria, dulcis Domina nostra, gratia plena, Dominus tecum, misericordia porta.

*Exemplum aliud.*

8. **D**Vo fratres regulares ibant pariter ad partes superiores, pro pia causa visitandi parentes, & amicos in Christo fideles. Contigit ergo paululum eos à recto itinere deuitare. Dixit itaq; senior iuniori: Frater, videtur mihi, quòd erramus, reuertamur iterum ad publicam viam. Reuertentes ergo ad priorem locum, cœpit senior orare & beatam Virginem inuocare, vt mitteret eis recti itineris ducem, & bonæ societatis viatorem. Cumque iam aliqua suffragia cum hymnis & collectis de beata Virgine legisset: Ecce occurrit eis vir quidam in specie peregrini, baculum & faccellum in dorso pro viatico secum ferens. Qui salutatis fratribus, dixit se velle tendere sursum pro indulgentiis ad sanctum Quirinum, & libenter cum eis comitari. Sequebantur ergo velociter recti itineris ducem, per longæ viæ spatium, donec venissent ad optatum hospitij sui locum. Tunc senior cognoscens diuinum eis affuisse auxilium, ampliores gratias Deo & beatæ Virgini studuit referre, pro ducatu bonæ viæ; memor verbi sancti Petri Apostoli dicentis: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* 1. Pet. 5.

G

*Aliud*



*Aliud Exemplum.*

9. **F** Rater quidam in tribulatione positus, habuit vsum invocandi Iesum, & piissimam matrem eius Mariam. Et quando tentabatur vitiosa aliqua passione vel tristitia, statim confugit ad passionem Domini per orationem angelicam, invocando Iesum & Mariam in adiutorium contra tentationem. Quadam igitur nocte vidit in somnis diabolum sibi occurrere, & velle nocere. Et cum timeret laedi, nec posset eflugere, coepit submissè Ave Maria legere. Sed cum ille audisset Iesum nominari, statim auertit se ab eo, & coepit fugere, & citò currere. Quo viso, clamavit frater adhuc altiùs post eum, Iesus, Iesus. Et quanto fortius clamavit, tantò celerius præcurrebat Satanas, perterritus voce dulcis nominis Iesu & Mariæ matris eius. Et subitò cadens, non comparuit. Hoc videns frater, præ lætitia cordis euigilabat, & ait: Si cum vno Ave Maria possum diabolum fugare, quid habeo nunc timere?

*Exemplum aliud.*

10. **E** RAT apud nos laicus quidam, Egbertus nomine, senex & provec̃ta ætatis, devotus Deo & beatæ Virginis, ac feruenter sanctæ paupertatis amator. Hic secundum vires suas fortiter laboravit, terram fodiendo & transuectando: atque in laboribus defudans, Dominicæ passionis labores recogitabat; & fatigatus ex labore, pro releuamine corporis orationi insistebat. Hunc Satanas diu tentauit, vt de monasterio recederet, & per mundum mendicatum iret: putans, quòd hoc Deo magis placeret, quia hic multa commoda haberet, quibus indignus esset. Sed ab hac opinione, consilio Prioris & fratrum admonitionibus retractus est, ne se periculo daret, & per mundum vagando finaliter erraret. Sæpe enim callidus tentator, sub specie melioris boni simplices decipit, & à bono incepto, per mutationem loci, ad inconstantiam animi trahit. Cumque adhuc minimè contentus esset ad manendum, nec tamen auderet inconsultè sine licentia recedere, inter hæc tentamenta confugit ad beatam Virginem, per deuota orationum suarum suffragia. Quadam igitur die fatigatus ex labore, reclinauit se ad orandum iuxta vehiculum suum, sicut sæpius faciebat, invocando beatam Virginem, & nominando Iesum Christum. Cum ergo solus iaceret prostratus in terra, parum soporatus est dulci sopore in Domino. Viditque valdè venerabilem Dominam sibi assistentem, & pia admonitione hæc verba dicentem: Maneatis in loco isto, & quod Prior vobis consulit & dicit, hoc faciatis. His dictis, honorabilis Domina statim disparuit: & ille ad se reuersus & experrectus, vberimè fletit. Deinde ad Priorem festinanter accessit, & ea quæ viderat & audierat



dierat per ordinem cum gemitu & fletu ei referebat. Ad quem Prior, tanquam Pastor bonus, quem tristem consolando respondit: Bene placet hoc mihi, chare Egberte. Maneatis nobiscum, sicut Domina nostra vobis modò ostendit & dixit: Nec diu postea superuixit, sed pro breui labore æterna præmia accepturus, cum multa patientia in obedientia perseverans, bono fine, in octaua sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ, infra matutinas obdormiuit in Domino, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo.

## SERMO XXII.

*De laude dulcissimi nominis Iesu, & dulcissima matris eius Mariæ.*

1. *S*piritus meus, super mel dulcis, & hæreditas mea, super mel & fauam. *Eccli. 24.* Dignè quidem fratres & pulchrè satis; verba æternæ sapientiæ ad matrem referuntur misericordiæ, de qua ortus est Sol iustitiæ Christus. Dulcis Iesus, dulcis Mariæ, & non est in eis amaritudo aliqua: sed summa pietas, mansuetudo, charitas, & misericordia sine mensura. Beatus, qui adhæret vestigiis humilis Iesu, & ad matrem eius deuotè se conuertit, vt inueniat gratiam in cõspectu eorum. Recollige ergo fidelissime serue Dei in vnum fasciculum facta Iesu, quæ egit & dixit; & proderunt tibi, plus quàm omnes thesauri mundi. Pertracta etiã apud te sedula mente, sanctissimæ matris Iesu actus & verba, & erunt animæ tuæ solatiofa, atque super omnia aromata dulciora. Dele ætatur corpus odoribus bonis, & reparatur ciborum fõmentis, anima autem virtutibus veris & meditationibus sanctis nutritur, confortatur, & lætatur. Quanto verò perfectioribus quis instat studiis, & nobilioribus se subdit magistris; tanto clariùs edocetur, & ad culmen beatitudinis citiùs perueniet. Summi magistri virtutis, & totius sanctitatis luminaria, sunt Iesus & Mariæ, quos, pro modulo tuæ paruitatis, tibi antepone debes, & tanquam præsentis intueri. His iunge te, his familiarem & deuotum te exhibe. Vbi-  
cunque audieris aliquid de Iesu & Mariæ recitari, ibi autem diligenter accommoda, ibi moram diutiùs trahere, & quid ædificationis ac latentis insit dulcedinis pensa.

2. Quotiescunque etiam ad opus diuinum accesseris peragendum: vel quando ad laborem communem, siue ad priuatum actum fueris euocatus, primùm ad cælum oculos leua, & Iesum atque Mariam specialiter inuoca, & ipsorum perpetuæ custodiæ suppliciter te commenda. Offer te quoque beneplacito eorum in cunctis agendis: vt fiat actio tua Deo grata, proximo utilis & tibi salutaris. Sit semper intentio tua pura, ferueat voluntas bona, sit labor discretus, sermo circumspectus, executio perseue-



perseuerans, in sancti nominis Iesu laudem, ac benedictæ Matris eius honorem. Hic incipe laudare, venerari, & amare, vt in futuro merearis cum ipsis regnare, atque in perpetuum cum Angelis sanctis eos laudare, benedicere, & prædicare. Laus Iesu, suavis & pulchra: laus Mariæ, amabilis & decora. Lætus igitur lauda, tristis exora: digni enim sunt omni laude, & omni tempore pariter inuocandi. Quantò frequentius in eorum laude te exercueris, tanto in amore plus cresces, atq; in deuotionis gratia cõualesces. Nunquam tui obliuiscuntur, si tu non fueris eorum oblitus. Et si eos neglexeris, (quod absit) aut malè te rexeris, (quod longè Deus auertat) vel à deuotione concepta tepueris, (quod Deus non permittat) necesse erit dignis castigationibus te flagellari, & aduersitatibus ad mentem reuocari: vt discas cum Deo sollicitior conuersari, & gratiam præstitam de cætero vigilantius custodire. Tuncque memento benefactorum illorum, & deplora negligentiam tuam & ingratitude magnam, quam stultè incurristi. Felix, qui meretur admonitiones Iesu in spiritu audire, vt se in melius corrigat: quatenus post fletus amaros, iterum in iucundos rapiatur excessus. Excedit namque pietas Iesu, omnia peccata mundi, & benignitas Mariæ nunquam poterit exhauriri.

*Ecl. 15.*

3. O si posses in amore & laude Iesu multum proficere, & benedictæ matri eius Mariæ dignè deuoteque seruire! Sed quid facies, quia dignus non es eos aliquatenus nominare, cum sis homo fragilis, tepidus, & negligens, in multis quoque frequenter offendens? Quomodo ergo laudabis, cum non sit speciosa laus in ore peccatoris? Decet enim sanctos à iustis & dignis laudari. Silendum igitur, an aliquid dicendum? Vt tibi, si non laudaueris: & vt tibi, si indigna labia aperueris. Quid facies, vt misericordiam inuenias, & offensam non incurras? Nihil melius ad captandam beneuolentiam benignissimi Iesu, & misericordissimæ Mariæ matris eius: quàm vt humiliter temetipsum in omnibus, & sub omnibus te inclines, atque in nouissimo loco te ponas: indigna & vilia de te veraciter sentiendo, & ad nihilum (si quid boni senseris) redigendo. Ita placabitur Deus, & miserebitur tui Iesus. Maria quoque orabit pro te, & consolaberis in humilitate tua. Non confundèris à facie eorum, sed copiosè recipies soluendo cantica laudis. Quòd si dignè laudare nequeas, age quod uales, redde quod habes. Refrigerabit enim te intètio pia, donec ditior fias ad reddenda obsequia meliora. Qui magni sunt & valdè deuoti, laudent magnificè & deuotè: qui autem parum olei habent, & hoc ipsum libenter filio olei & matri gratiæ sacrificent. Videtur silendum, propter excellètem gloriam & dignitatem magnifici germinis matris Virginis; sed quoniam pusillos & peccatores

Maria



Maria non spernit, misericorditer vociferationem tuam in cœtu laudatium admittet, sicut Propheta sanctus dicit: *Pauper & inops laudabunt nomen tuum.* Idcirco modicum dicendum fuit, propter deuotionis incitamentum, & si non plurimum disertè, humiliori tamen genere, & affectu promptiori, pro virium quantitate.

*Psal. 73.*

4. Qui sunt sublimiores in cælo, & fuerunt humiliores in terra? Nonne Iesus & Maria? Iesus seruum se fecit, Maria ancillã se nominauit. Charitatem amborum totus expertus est orbis; dignitatem eorum cæli prædicant ciues, exercitus adorat Angelorum. O si posses illis interesse, & indefessis vocibus dulce nomen Iesu & dulcissime virginis Mariæ collaudare! O quàm bonum & iucundum est istis seruire, qui nobis tam fideliter quàm humiliter seruiuerunt! Seruite Domino filij hominum, qui vobis sapius seruire dignatus est. Seruite genitrici Dei, quæ vobis sanctæ seruitutis exempla ostendit. O quantum decet summos honorare patronos, qui plus omnibus iuuare possunt: per quorum manus iudicia superna transeunt & implentur! Omni ergo hora implorandi sunt, qui ab hostibus mentis & corporis defendunt, & suis seruatoribus æterna gaudia conferunt. In qualibet necessitate ad Iesum & Mariam recurre, omnem grauitatem tuam eis expone; confitere delicta, deplora commissa. Pete veniam, arripe pœnitentiam, spem resume, emendationem promitte, & de auxilio gratiæ bene confide. Si faciliter laberis, citius resurgere cura. Libenter annuent votis supplicium, non despicient gemitum pauperum: sed gaudebunt etiam super te Angeli sancti, cum conuersus fueris ex toto corde ab omni deformitate peccati; & meliorem vitam assumpseris, secundum formam Christi & matris Iesu benedicti. Tu tantummodo caue offensam, & illi optata non negabunt præsidia. Tu debitam exhibe reuerentiam, & illi curam tibi adhibebunt firmissimam. Amen.

Iesus & Maria vt omniam humillimi in terra fuerunt, ita in cælo sublimiores sunt omnibus.

*Oratio.*

5. **T**ibi Domine Iesu, & sanctissimæ matri tuæ virgini Mariæ, cõmendo animam meam & corpus meum custodiendum, in vitam æternam. O vnica spes mea, Iesus & Maria, in omni tribulatione & angustia succurrat mihi pietas vestra. Vos estis patroni potētissimi super omnes sanctos amandi. Non habeo pauper & peregrinus in hoc mundo tam fideles & charos amicos, ex omnibus charis & notis meis, sicut de vobis confido.

SERMO XXIII.

*De deuoto seruitio beata Virginis, & recordatione nominis eius.*

3. **M**emoria mea in generatione seculorum. Maria paupertatis amica, humilitatis via, patientiæ forma, & in omnibus perfecta;

*Ecli. 24. Maria virgo nobis imitanda.*



perfecta; ab exordio natiuitatis Iesu pauperculam vitam duxit, & vsque ad exitum eius in cruce patientiam constanter tenuit. Hanc sequi placeat; hanc honorare humili & deuoto obsequio decet; atque quotidie perpendere oportet, quid gratitudinis & specialis dilectionis ei intentius exhibeatur. Libenter gaudeat cum Maria in cælo, feret etiam libenter paupertatem & contemptum cum Maria in terra. Intuere humiles mores eius, & virginalem verecundiam inter suos sodales; & compece tuas leuitates, ac fuge tumultus. Caue offendere Iesum & Mariam verbis vanis, & factis indignis. Non est enim leue, tam charos offendere patronos. Vident omnia quæ geris, & qualem te in emendatione præstiteris, tales in subuentione tua experieris. Attamen vincit sapientia malitiam tuam, & benignitas eorum ad poenitentiam te adducit. Si errata cognoscis, muta statum tuum in melius. In bonis perseuera, & de bonis Dei gratias deuotè retribue. Fecit ita beata Maria, cum esset repleta Spiritu sancto, & Iesum portaret in utero. Disce mansuetudinis eius exemplo, occurrentes grauitates piè tolerare: & submitte te ordinationi diuinæ, sicut ordinatum est ab æterno. Iesus erit adiutor tuus, Maria erit tibi mater fidelis; esto tu filius bonus & seruus deuotus, ad omne bonum paratus.

2. Vis facere, quod placet beatæ Virgini? Sis humilis, patiens, sobrius, castus, verecundus, seruidus, mansuetus, internus, mente deuotus. Rarò sis extra, lege, scribe, sepius ora. Seruitium Mariæ nec longum videri debet, nec onerosum. Delectabile est & letabundum, tali Dominæ corde & voce famulari. Nam absque notabili retributione non erit, quantumcunque modicum in eius honore impensum fuerit. Parua obsequia humilis mater non adspernatur, modica oblata, pia virgo libenter acceptat, cum sponte & deuotè offeruntur. Nouit, quòd magna dare non possumus; neq; impossibilia exigit à seruulis suis misericors Domina, mansueta regina. Nescit nobilis illa natura indigentibus non misereri; quæ misericordiam peperit orbi vniuerso. O quàm gratiosè recipit fideliter sibi seruientes, quæ tam frequenter conuertit monitis suis, & miraculis euentibus, misere in seculo viuentes. Quot fuissent æternaliter condemnati, vel in desperatione permississent obstinati, nisi benignissima virgo Maria pro eis interpellasset ad filium? Dignè ergo de ea dicitur, quòd sit miseratrix miserorum, & auxiliatrix omnium peccatorum. Non nostra quærit nec nostris indiget, cui caelestia ad nutum famulantur. Amat nostrum bonum, cum à nobis exigit seruitium: cupit nostram salutem, cum postulat sibi exhiberi laudem. Et quando nominis sui memoriam celebrari conspicit, inde quærit occasionem benefaciendi

Maria nulli deest.



nefaciendi nobis: delectatur enim seruatoribus suis rependere vicem. Valdè fidelis est in promissis, & largissima in donis. Plena est deliciis, & semper Angelorum fruitur concentibus, Attamen hominum seruitiis iucundatur, vt honor Dei & salus multorum latius inde propagetur. Flectitur in lacrymis miserorum, compatitur doloribus tribulorum, succurrit periculis tentorum, inclinatur precibus deuorum. Si quis inhaesitanter ac humiliter ad eam confugerit, & dulce atque gloriosum nomen eius inuocauerit, vacua manu ab ea non recedet. Habet adhærentes plurimos, & ipsi obediunt Angelorū chori, quos mittere potest in solatium destitutorum. Demonibus imperat, ne aliquē molestare audeant, qui eius ditioni se subiicit & curæ. Expauescunt cæli reginā spiritus maligni, & diffugiunt, audito nomine sancto eius, velut ab igne. Horrent sanctum & terribile nomen Marię, quod Christianis est summè amabile, & vbique celebre. Non audent apparere, nec possunt sua ludibria exercere, vbi nouerint nomen clarere sanctæ Marię. Tanquā tonitruum de cælo factum, sic prosternuntur ad sanctæ Marię vocabulum; & quo sapius illud profertur, ac desiderabilius inuocatur, eo citius & longius ipsi fugantur.

3. Rursum Angeli sancti & spiritus iustorum lætantur & congaudent deuotioni fidelium; eo quòd tam libenter & sedulò frequentant memoriā sanctæ Marię, cuius honorabile nomen in omnibus patet finibus Ecclesiarum, quæ eius nomini specialiter sunt dedicata. Et congruum ac dignum est, præ cunctis sanctis Dei honorari matrem à terrigenis, quam vniuersitas Angelorum veneratur laudibus excelsis. Marię itaque nomen omnibus fidelibus venerandum, deuotis semper amandum, religiosi amplectendum, secularibus commendandum, peccatoribus prædicandum, tribulatis insinuandum, in periculis omnibus inuocandum. Ipsa est propinquissima Deo, & charissima Dei filio nato suo Iesu benedicto; potens fiducialiter intercedere pro flebilibus Adę filiis, vt ignoscat eorum delictis, & succurrat periculis. Nam cum opportunitas se præbuerit, non tardat in auribus filij sui, verbum bonum proloqui, & misericordiam impetrare indigentibus. Exaudietur autem promptissimè in omni causa sibi commissa, pro singulari sua reuerentia: quoniam benignus filius eius Iesus, auctor salutis generis humani, nihil negans eam honorat. Quapropter quilibet fidelis & deuotus, cupiens mundi naufragia euadere, & æternæ saluationis attingere portum; confugiat ad Dominam nostram sanctam Mariam: cuius ineffabilis pietas miseris sapit dulcius, & fortius inhæret, vt meritò de ea abundantius præsumere liceat. Reuera ab infantia creuit cum ea misericordia: nec eam reliquit in cælo, vt pauperum suorū modò



obliviscatur, sed vberius ipsam ac dulcius implevit. Et licet omnium sit altissima, atque felicissimis circumamicta gaudiis, non est tamen humilitatis suae oblita, per quam meruit dignissime super omnes sublimari. Ideoque novit ad minimos servulos suos dignanter se inclinare, gaudens aduocata miserorum fieri, atque orphanorum mater appellari, Amen.

## SERMO XXIV.

*De dolore & consolatione beatæ Mariæ Virginis.*

*Eccli. 24.*

**I.** *Q*uasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris. Almæ Virginis Mariæ exēpla, summo tibi desiderio sunt recolenda. Ipsa enim ut myrrha electa, fructum obtulit odoriferum in patientia; & abundantiori diuinæ dulcedinis solatio, iucundissime est refecta. Fortissimum inuenies & tu solatium, si Mariæ nomen gestaueris cordi tuo insertum. Habebis etenim multa bona, si bene fueris cum Maria. Dilectio sanctæ Mariæ expellit omnem æstum carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium castimonie. Dilectio sanctæ Mariæ facit mundum cōtemnere, & Christo in humilitate seruire. Dilectio sanctæ Mariæ ab omni mala societate conseruat, & ad religiosæ conuersationis puritatem informat. Dilige ergo sanctam Mariam, & percipies specialem gratiam. Inuoca Mariam, & obtinebis victoriam. Honora Mariam, & habebis mercedem perpetuam. Duo confert præcipue bona, sancta conuersatio Mariæ ad memoriam sæpe reducta. In bonis & prosperis docet te Deum ex intimo corde laudare, & in aduersis patientem permanere. Ipsa sine intermissione Deum pro acceptis beneficiis altissime laudauit, quæ ab ipso cæteris excellentius accepit. Ipsa in pressuris huius seculi mitem se semper exhibuit, & contempnibilia magis quam prospera elegit.

Memoriã  
& dilectio  
nē Mariæ  
quid con-  
sequatur.

Marię nul-  
lus dies  
absq; do-  
lore abiit.

**2.** Nullum diem sine dolore transiit, nec tamen sine magna consolatione inter angustias fuit. Omnis quippe tribulatio pro Christo suscepta dulcorat & lætificat: & quanto crebrius quis malorum ictibus teritur, tanto potioribus donis augeri meretur. Doluit namque vehementer Virgo beata pro mundi erroribus, & pro multorum malitiis; compassa fuit verè pœnitentibus, & duriter tentatis. Doluit pro magna ingratitude hominum, quibus Deus pater misit filium suum vnigenitum, ex charitate incarnatum; ut redirent ad paradysum, per Adam olim amissum. Doluit de perditione prauorum, qui contemnebant audire Dei verbum; qui potius diligebant mundum, quam cælum; & diuitias magis querebant fallaces, quam virtutes veras. Doluit de innocentiū oppressione, & violentia malignorū; de contemptu  
paupē.



pauperum, & elatione superbiorum; de negligentia diuini cultus, & de transgressione caelestium mandatorum. Et quia mundus totus in malignitate positus erat, & pauci ad videndum lumen aeternum, quod mundo illuxerat, se disponebant, summæ pietatis mater compassionum stimulis abundabat. In his patientissimè se habuit, ducens vitam martyrio plenam, fundens lachrymosas preces cum singulibus, pro salute animarum. Quòd si latius attendere velis, quæ & quanta in persecutione atque passione dilecti filij sui sustinuit, inuenies eam nimirum tot amaras positiones ebibisse in vita, quot Iesus habuit ætatum momenta, & membra vulnerata. Quando enim passus est Iesus aliquem defectum & abiectionem hominum, & illa non defecit per compassionem? Si doluit, quando Iesum ad horam perdidit, quantum fleuit, cum crucifigi & mori vidit? Notum est amantibus Iesum, quia maternus affectus excessit in condolendo generalem deuotorum modum. Ideo si experiri gestis vim doloris in matre, cogita vehementiam amoris in Virgine.

3. Rursum gaudium Mariæ nemo effari potest, nemo affluentiam dulcedinis eius, & consolationis magnitudinem valet comprehendere; quia ibi amplior lætitia & consolatio, vbi plenior infusio gratiæ, atque frequentior Dei visitatio consuevit adesse. Hinc & ardentior semper excrefcit diuinæ laudis affectus, & innouatur totius interioris hominis status. Non permittit gratia celestis animam sanctam, Deum super omnia amantem, sine interna consolatione vivere; sed ad superna continuò erigit, & in agendis sapienter illustrat, accendit in meditationibus sanctis, & deuotum reddit in gratiis referendis. Quanto autem maior gratia & purior vita, tanto latior cōscientia, & deuotior oratio laudantis. Hæc namque conuersatio à terrenis separata tumultibus, nec in finis retenta desideriis, quotidie Angelicis inseri appetit choris, præsentibus supereleuatur rebus, & summæ Trinitatis æstuat perenni gloria frui. Quam gloriam nullus Sanctorum siclympidè prælibauit in hac vita, sicut beata & gloriosa Virgo Maria, omnium contemplantium ac Deum benedicientium ardentissima exoratrix effecta.

4. Imitare iam nunc & tu matrem Dei, auditis laudationum eius præconiis, quatenus & ipse in numero deuotorum merearis precibus matris Virginis computari. Studeas sollicitè in prænominate virtutum passibus, sanctissimam subsequi Mariam, ad consequendam celestis gloriæ palmam. Contristare satis de præteritis negligentis tuis, & de defectibus nondum victis, quibus Deum & creaturas omnes offendisti. Nequiter egisti in seculo, tepidè conuersatus es in Christi seruitio, ideoque tibi lu-

1. Ioan. 5.  
Mœror atque dolor Mariæ super filio quantus.

Animam sanctam non finit Deus, absque consolatione viuere.

Dolendum nobis ob multa, exemplo Mariæ.



gendum primò super teipso, dehinc ex charitate pro proximo. Compatere itaque periculis malè viuentium, quibus aternus instat cruciatus, nisi respiscant à malis. Multi malè agunt, & nesciunt; plures prauitates suas cognoscunt, nec tamen emendant. Pro his dolendum & orandum, vt det illis Deus compunctionis spiritum ad salutem. Ora etià pro amicis & benefactoribus, pro aduersariis & detrahentibus tibi, vt piis tribuatur gratia digna, odiosis cognitio bona, omnibus autem pax Christi cum misericordia. Ora, vt omnes Deū diligant, & mandata eius custodiant, vt creatorem suum creaturæ rationales glorificent, propter quas Deus cuncta mirabilia fecit, & seipsum exinanivit, Mariæ & Ioseph humiliter subiectus. Iterum, esto gratus diuinis beneficiis, toti humano generi per sacratissimam Dei genitricem dignantissimè collatis, reuerentiam & honorem eidem iugiter exhibendo. Cum enim lex naturæ iubeat, parentibus carnis reuerentiam & amorem omni tempore deferri; multò magis matri gratiæ filij Ecclesiæ debent esse grati & gratiosi, atque Dei genitricem super parentes & cognatos omnes amare.

*Luca. 2.*

Maria si diligatur, portus peccatoribus est tutissimus.

5. Oportet etiam te addiscere, votiuis laudibus ad Deum cum Maria ascendere, & eius patrociniis fideliter inniti, non tuis viribus confidere; ne mens tua oppressa passionibus retardetur inferrius; sed quotidie nouis desideriis accensa, sursum liberè tendat: vbi cum Iesu Angelorū rege, gloriosa cæli regina, pia virgo Maria, feliciter regnat. Sed heu, denuo descendere cogit in hanc vallem lacrymarum mortalis infirmitas, post breuem gustationem consolationum diuinarum. Et tunc iterum necesse est clamitare ad matrem multarum misericordiarum; vt suggerat misericordiam filio suo, te non habere vinum feruoris: sed indigere sacro deuotionis unguento, ad se debita cum veneratione laudandum. Etenim ipsi cura est de egenis, & contemptoribus mundi & de contemptis in mundo, propter Iesum & Euangelium regni.

*Ioan. 2.*

6. Ideoque vtile multum scire locum refugij à facie inimici, vbi protegaris à sagittis acutis, vbi lateas à frigoribus & tribulationum procellis. Non est tutior locus ad latendum, quàm sinus Mariæ, nec equus velocior ad euadendum manus persequentis, quàm oratio fidei missa in castellum regalis domicellæ nostræ sanctæ Mariæ. Nam & ipse Iesus hoc castellum intrauit, sumens ex ea sacra corporis sui membra, ad expugnandum principem tenebrarum. Intra ergo & tu sub huius castelli vmbra, orans die ac nocte, vt à cunctis malis imminentibus eruaris meritis sanctissimæ Virginis, sub amplissimo & pulcherrimo mantello Domine nostræ latitando securè. Etenim orante sancta Maria, ruet omnis turba maligna. Iuuante Maria, euades pericula cuncta.

Ibi



Ibi pauper habet domicilium, ibi infirmus inuenit remedium, ibi tristis accipit solatium, ibi turbatus meretur consilium, ibi destitutus acquirit iuuamen. Bene tibi & multum bene, si ita te exhibueris dignum & obsequiosum beneplacito sanctæ Mariæ, vt eius gratiam obtineas in præfenti, & gloriam cum electis omnibus in futuro. Tene illam, nec dimitte eam; donec te benedicat, & ad cæli palatium felici gubernatione perducat, Amen.

## SERMO XXV.

*De excellentia meritorum, & priuilegijs donorum  
beata Maria virginis.*

1. **M**ulta filia congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas. Prou. 31.

Dilecti fratres, estote fideles serui Iesu Christi, & deuoti amatores sanctissimæ matris eius virginis Mariæ, si vultis cum eis semper lætari in cælis. Tunc eritis Deo & benedictæ matri eius dilecti, si corde humiles & corpore fueritis casti; si in omni conuersatione uestra, modesti, prouidi, timorati, & circumspecti; nulli occasione dederitis scandali, nec iustæ querelæ. Multum est pro salute uestra, pro honore Dei, & laude beatæ Virginis; vt sitis in oratione deuoti, in lectione studiosi, in opere strenui, in dormitorio quieti, in choro vigiles, in cantando alacres, in capitulo corrigibiles, in admonitione docibiles, in silentio stricti, in refectione sobrii, in oculis custoditi, & in omnibus moribus uestris disciplinati. Si ergo desideratis beatam Virginem dignè laudare & summè venerari, tunc sitis sicut simplices filij Dei, sine malitia, sine dolo, sine nequitia, sine mendacio, sine ira, sine discrepatione, sine murmure, sine suspitione: omnia contraria uobis supportantes in charitate fraterna, cum humilitate & patientia propter Iesum & Mariam, & Sanctorum vitam imitandam; propter pacem uestram & aliorum ædificationem, & maxime propter sanctæ Trinitatis gloriam perfruendam. Omnia enim amara dulcia fiunt, omnia grauiua leuigantur: cum amor Iesu, & piæ matris eius memoria, ad cordis intima penetrant. Si quis hæc probare uoluerit, frequenter de eis cogitet, loquatur, legat, cantet, & oret.

2. Vt autè aliquantum uobis innotescat excellentissima dignitas beatissimæ Virginis Mariæ, audite pauca de pluribus donis & priuilegijs eius; quibus Deus eam benedixit & exaltauit, præ omnibus sanctis Angelis & Archangelis in cælis, & præ cunctis hominibus in terris. Hæc est Virgo sacratissima & mater Dei charissima, de qua canitur in sancta Ecclesia per totum orbem terrarum latè diffusa:

Exaltata



Christum  
in lege vi-  
ri, Mariam  
femina fi-  
gurarunt.

Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad caelestia regna. Recogitate ergo diligenter antiqua sanctorum Patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est mater Dei Maria, tanquam rosa inter spinas sine spina. Sicut enim olim per multos sanctos viros Patriarchas & Prophetas, per iudices & reges, per sacerdotes & leuitas, per doctores & scribas, verbis, signis, & figuris prænunciatus est Christus Dei filius, ex virgine pro mundi redemptione nasciturus, & in cruce passurus: ita conuenienter satis & sapienter ordinatione diuina, præfigurata & præconizata est beatissima ac deuotissima virgo Maria, per sacras illius temporis virgines, per illustres feminas, per castas viduas, per deuotas prophetissas, & per cæteras honestas matronas in castitate viuentes: atque ob pudicitiae custodiam cum puellis suis, in domibus & cameris ab aspectibus virorum inclusas. Hæc est reuera, attestatione sanctorum Scripturarum, omnium virginum virgo prudentissima, omnium feminarum pudicissima, omnium puellarum speciosissima, omnium matronarum honestissima, omnium domicellarum venustissima, omnium reginarum regina nobilissima; in qua omnis decor virginalis, omnis virtus moralis, omnis speculatio theologalis, omnis deuotio affectualis, omnis operatio virtutis, omnis perfectio sanctitatis pariter conueniunt, inhabitant, & perfectissime elucet; quæ nec ante se similem, nec post se æqualem habet, nec habuit, nec habebit. Et sicut olim materiale templum Salomonis præ omnibus terrarum templis decoratum fuit, & latissime nominatum, ac copiosissime ditatum, magnifice à regibus & populis honorabatur: ita spirituale Dei templum, quod est beata Virgo Maria, ab omni labe pura, super omnia templa sanctorum prænitet, & ideo amplius honorari debet & amari.

Maria tem-  
plo Salo-  
monis cõ-  
fertur.

3. O verè inelyta proles, ex insigni Patriarcharum profapia nobiliter procreata, ex sacerdotali genere generosè producta, ex pontificali dignitate dignissime deriuata, ex prophetali choro verissime prænunciata, ex regali stirpe illustrissime edita, ex Dauidica linea rectissime originata, ex nobilissima tribu Iuda clarissime prolata, ex Israelitica plebe felicissime progenita, ex electo populo Dei singulariter præelecta, ex sanctis & religiosis ac Deo placitis parentibus, diuina præordinatione in lucem mundi serenissime exorta. O felix & illibata virgo Maria, omni laude & honore dignissima, omni amore & reuerentia ab omnibus amplexanda. O splendida virginum gemma; tu ab initio & ante secula à Deo es prædestinata, redemptorem mundi tempore præfinito paritura, à Patriarchis desiderata, & Prophetis prænunciata; à multis regibus & iustis adoptata, à deuotissimo populo in Israel diu



diu expectata; & tandem Deo miserante aegrotanti mundo visibiliter demonstrata. O sacra & illustrissima virgo Maria, quam preclarum & laudabile est nomen tuum, in vniuersa terra! Nempe, a solis ortu vsque ad occasum, in diuersis partibus, Iudæis & Gentibus, Græcis & Latinis, Romanis & Germanis, prædicatum est nomen tuum per Euangelium Iesu Christi filij tui, & adhuc quotidie prædicatur inelytum nomen tuum in omnibus ecclesiis Dei, in capellis & claustris, in campis & syluis Deo dedicatis; à paruis & magnis, per sacerdotes & doctores, & per diuersorum ordinum prædicatores, qui omnes pariter te laudare & elucidare desiderant. Nam vsque ad cæli sidera te extollere, & super angelicam dignitatem, tuam sanctitatem & pulchritudinem commendare, vocibus altis cuncti iustorum spiritus inardescunt & congaudent; & præ amoris magnitudine, & deuotionis dulcedine, cantando, orando, meditando, & sacra solennia tua celebrando, nequeunt fatigari, iuxta illud Sapientiæ verbum: *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Laus & gloria altissimo Deo, qui maximam gratiam tibi præstitit, ô Maria, præ filiabus hominum in mundo; & nunc sedem tuam statuit iuxta thronum filij tui in cælesti regno, in eminentiori loco, super omnes choros angelorum & sanctorum, ab æterno tibi pulcherrimè preparato, & in perpetuum felicissimè permansuro.

Eccli. 24.

4. O summè venerabilis virgo Maria, æterni Regis mater & filia, omnium ore benedicenda, omni honore veneranda; virginitate candidissima, humilitate profundissima, charitate feruentissima, patientia mitissima, misericordia plenissima, oratione deuotissima, meditatione purissima, contemplatione altissima, compassione suauissima, consilio prudentissima, auxilio potentissima. Tu aula Dei, porta cæli, paradysus deliciarum, puteus gratiarum, angelorum gloria, hominum lætitia, forma morum, virtutum splendor, lucerna vitæ, spes egenorum, salus infirmorum, mater orphanorum. O Virgo virginum tota suavis & formosa, micans sicut stella, rubens tanquam rosa, nitens vt margarita, lucens vt Sol & Luna in cælo & in terra. O Virgo mitis, innocens sicut agna, simplex vt columba, prudens sicut nobilis domina, seruiens vt humilis ancilla. O radix sancta, cedrus alta, vitis fecunda, ficus dulcissima, palma latissima: in te reperiuntur omnia bona, & per te nobis æterna donantur præmia. Omnes ergo ad te confugere debemus, sicut filij ad sinum matris, & orphani ad domum patris, quamdiu viuimus: vt tuis gloriosis meritis & precibus protegamur ab omnibus malis.

Encomiõ  
Mariæ singularissimum.

5. Sed iam audite dicta cuiusdam doctoris, de duodecim stellis in corona beatæ Virginis, quibus fulget domina nostra sancta

Stellæ duodecim in diademate Mariæ.



Apo. 12.

Maria, præ omnibus sanctis in cælis. Iste duodecim stellæ sunt duodecim prærogatiuæ regnantis eius claritatis, quas habet respectu omnium aliorum ciuium supernorum. Respectu enim ecclesiæ militantis, habet quatuor specialia superlucientia dona, misericordiæ operibus plena. Quia præ cæteris omnibus exaudit benignius, condescendit humilius, agit virtuosius, succurrit frequentius, sicut experientia docet in arduis Ecclesiæ causis. Item respectu Ecclesiæ triumphantis, habet istas quatuor eminentes prærogatiuas; quia cæteris omnibus collocatur in celo altius, resplendet lucidius, amatur feruentius, honoratur amplius, sicut dignum est sentire de gloriofis eius meritis. Item respectu summæ Trinitatis beatificantis, habet similiter quatuor prærogatiuas siue stellas cunctis sideribus clariores. Quia præ cæteris omnibus, æternæ Trinitatis gloriam contemplantibus, ipsam sanctam Trinitatem intuetur lympidius, afficitur erga illam iucundius, contemplatur intimius, & fruatur illa super omnes in celo feliciter de quibus nemo dubitare debet amplius.

6. Sed adhuc audite, quid de istis stellis sanctus ait Bernardus, specialis amator beatæ Virginis, dulcis doctor & deuotus monachorum informator. *In capite* (inquit) *eius, corona stellarum duodecim.* Quis illas æstimet gemmas; quis stellas enumeret; è quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominē est, huius coronæ rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ paruitatis, abstinentes à periculoso scrutiniō secretorum, non incongruē forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogatiuas stellarum videamur intelligere, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem inuenire est in Maria prærogatiua cæli, prærogatiua carnis, & prærogatiua cordis. Et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus fortè stellas duodecim, quibus Regine nostræ diadema præfulgeat vniuersis. Mihi sanè rutilat fulgor, primò in Mariæ generatione; secundò in angelica salutatione; tertio in Spiritus sancti superuentione; quarto in filij Dei inenarrabili conceptione. Vestre quidem sedulitatis erit, singula quæque diligentius intueri; mihi verò ex multis verbis, pauca innotuisse, vobis sufficiat. Si quis plenius vult scire sensum stellarum mysticum, legat illum beati Bernardi sermonē, tali themate inchoatum: Signum apparuit in celo, &c.

7. Hęc igitur dilecti fratres, propter singularem reuerentiam & amorem beatissimæ virginis Mariæ, frequenter reuoluite, ore ruminare; & pro gratiarum actione, hymnos & cantica lætitiæ in festis, & in cōmemoratione eius per annum, libentissimè decantate. Præcipuè tamen ante altare Dei, & coram imagine beatæ Virginis,



Virginis, capita vestra nudate & inclinate, genua humiliter flectite: quasi presentem in corpore Mariam videretis cum Angelo loquentem, aut filium sinu tenentem; moxque eleuatis oculis, cum bona fiducia sperandæ salutis, opem misericordiæ à matre misericordiæ affectuosè implorate, & dicite: O clémentissima

Precatio  
ad Mariã.

IN NATALI S. AGNETIS VIRGINIS  
ET MARTYRIS.  
SERMO XXVI.

*De tribus speciosis vestibus beate Agnetis virginis & martyris.*

**I.** *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento letitia ciuicidedit me.* Dilecti fratres, ista leguntur & cantantur de sancta Agnete virgine egregia sponsa Christi, & gloriosa patrona nostra. Cuius diem festum annua reuolutione solenniter celebrare debemus, & eius magnifica suffragia deuotis precibus postulare. Et vtinam dignetur pro omnibus nobis orare, quæ valdè dilecta est à Domino nostro Iesu Christo, & optimè visa coram oculis eius & sanctissima matre sua Maria, ad rogandum pro qualibet pia causa. O vtinam tam deuotas ac acceptabiles Deo preces, pro suis seruulis & amicis, in caelesti regno iam effundere non omittat; sicut quondam pro præfeti filio malè extincto fleuit & orauit, quem à mortuis, Christi gratia donante suscitauit.

2. Notate ergo verba prædicta in principio huius sermonis, quasi ea ex ore felicissimæ Agnetis iam auribus vestris audiretis. Considerate pulchritudinem vestimentorum speciosissimæ virginis, quibus eam induit & ornauit, interius magis quàm exterius, Iesus Christus sponsus eius caelestis. Digna enim fuit à Christo vestimento salutis indui, & stola iucunditatis ornari; quæ omnem ornatum seculi cōtempfit, & pro amore Sponsi immortalis sanguinem fudit, atque preciosam mortem libenter pro vita æterna accepit. Ibi nunc gaudet cū amabilissimo Spōso suo & angelis sanctis, cum gloriosissima matre Iesu & innumerabilibus virginum turmis, constituta in altioribus virginum choris, sequens

sequens



De laudibus S. Agnetis.

sequens agnum quocunque ierit, & cantans dulcia cantica dramaticis, solis virginibus decantanda: quæ omnium organorum sonos, & omnium musicorum melodiam excedunt. Insuper hanc prærogatiuam habere meruit in terris, vt felicissimi nominis sui memoria perpetuis laudibus in Ecclesia recolatur, & deuotissime celebretur, & à cunctis Christi fidelibus magnificè honoretur. Hanc profectò magni & sancti doctores frequenter commendant, excellenter laudant, patenter prædicant, & omnibus nobis ad exemplum amandæ castitatis, textum passionis eius recitant; atque ad amandum Christum, iuuenes & virgines altis præconiis exhortantur.

De vestibus eius.

3. Sed videamus nunc de speciosis vestibus sanctæ Agnetis, quibus fulget præ cunctis artificialibus stolis ab hominibus factis. Valdè enim pretiosa & pulchra sunt vestimenta, quibus animæ sanctorum ornantur ab intra: quæ Christus de cælesti thesauro attulit mundo, natus ex Maria virgine, de regia stirpe, pro salute nostra. Sunt autem præcipuè tria vestium genera, Spiritus sancti artificio cõtexta, quæ Christus dedit S. Agneti Sponsæ suæ pro munere; quatenus nullum amatorem præter ipsum solum amaret, nec aspiceret, nec ad colloquendum admitteret; Ne forte amorè eius minueret, aut offuscaret, aut extingueret, quod valdè indecens esset, & maximè deuotionem orantis impediret.

Agnetem tribus vestibus ornauit Christus.

Vestis alba, virginitas. Iesus, Maria, Agnes, Barbara, Cæcilia, Dorothea, Eugenia, Felicia, Gertrudis, Iuliana, Catharina, Lucia, Margareta, Natalia, Odilia, Petronilla, Q. R. S. Thecla, Ursula.

4. Prima itaque vestis, qua induta est beatissima Agnes, vna de sapientibus virginibus, est alba talaris tunica, vitro clarior, bysso mundior, niue candidior. Et hæc dicitur virginitas inniolabilis, Deo amabilis, Angelis acceptabilis, hominibus multum honorabilis. Hanc sanctam Deo placentè vestem, ab annis puerilibus, immò ab ipsis incunabulis, Agnes castissima induit, & inuiolabiliter conseruauit; quæ inter exordia reptantis infantie, à parentibus Deo oblata, & annulo fidei Christo desponsata fuit, vt ab amore & fœdere cælestis Sponsi, nulla ratione, nulla potentia, nullo terrore, nec blandimento villo reuocari posset; sed virgo in æuum permansit, & pro fide & castitate emori non formidauit. Hæc vestis habet inferiùs fimbriam auream, digito Dei subtiliter contextam; in qua albis literis habentur melliflua nomina Iesus & Maria: nec non omnium aliarum sanctarum virginum ingenua nomina, secundum ordinem alphabeti decenter inscripta ad sequendum beata vestigia Iesu Christi, & benedictæ matris eius, perpetuæ virginis Mariæ exempla, pro cælesti gloria feliciter obtinenda.

Vestis rubea, patientia.

5. Secunda vestis est rubea siue purpurea, precioso sanguine agni immaculati Iesu Christi colorata, & multis albis floribus luculenter ornata. Et hæc vocatur patientia insuperabilis, siue constan-



constantia infatigabilis. In hac veste continentur omnia Domini-  
 nicæ passionis signa & stigmata sancta; quæ etiam cum interni  
 doloris stimulo, per quatuor angulos antè & retro, inveniuntur  
 amanti animæ impressa. Hæc autem sunt diuini amoris signa &  
 inuictæ patientiæ scuta contra diaboli tela: scilicet crux sancta,  
 clauis, lancea, virga, restis, columna, alba vestis, & purpura, fel, a-  
 rundo, sputa, flagella, corona spinea, & alia multa impropria  
 & vulnera dura. Hæc vestis habet etiam fimbriam argenteam,  
 longam & latam, hoc est fidem rectam, claram & firmam, vsque  
 ad mortem: in qua omnium beatorum martyrum nomina, græ-  
 cis, latinis, & hebraicis literis, secundum ordinem alphabeti cõ-  
 tinentur, roseo colore inscripta. Quæ diligenter inspecta & per-  
 lecta, animam tribulatam & tentatam confortant, ad toleranda  
 omnia mundi istius aduersa. Hac nobili & purpurea veste indu-  
 tus est Dominus noster Iesus Christus, Rex martyrum, & Spon-  
 sus virginum, in sua beata ac benedicta passione, portans spineam  
 coronam, & purpureum vestimentum, pro nostra salute, ad con-  
 fortandum pusillorum corda in tribulatione sua, pro qualicun-  
 que contumelia aut iniuria eis facta. Quatenus post leuem &  
 temporalem tribulationem in mundo, recipere mereantur im-  
 marcescibilem coronam in cœlo. Omnis enim tribulatio paci-  
 ter tolerata pro Christo, certam spem facit æternaliter regnandi  
 cum Christo. Hanc sanctam & regalem vestem dedit Christus  
 dilectæ Sponsæ suæ, nobili virgini sanctæ Agneti, tempore perfe-  
 cutis Christianorum in sancta vrbe Romana, ad sectanda sa-  
 cræ passionis suæ vestigia, ad perferendas contumelias & minas  
 impiorum pro fide & castitate, cum magna constantia, exemplo  
 multorum martyrum & innumerabilium virginum, pro nomine  
 Christi innocenter occisorum. De quorum laudabili triumpho  
 & ineffabili gloria Christum nunc laudat, & magnificè iubilat, in  
 toto orbe terrarum sancta mater Ecclesia. Felix anima, quæ for-  
 titer certat contra irruentia vitia, & crebrò suspirat & orat inter  
 diuersa pericula & grauamina, vt possit citius liberari ab omni  
 pressura & miseria.

6. Tertia vestis sanctæ Agnetis est aureum palliũ pro velami-  
 ne virginitatis, de holosericeis factum, quod totum corpus virgi-  
 nis circumcingit, tegit, & ornat. Et vt intuētibus clarius fulgeat  
 & placeat, multis candidis margaritis, multis pretiosis lapidibus  
 ac coruscantibus gemmis intextum decoratur. Et hæc cæteris e-  
 minentior vestibus, Spiritus S. artificio textitur: quæ à doctis &  
 intelligentibus dignè ac rectè vocatur charitas inextinguibilis,  
 de qua per beatũ Paulum dicitur: Charitas nõquam excidit, siue  
 Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia de-

Adrianus,  
 Bonifacius,  
 Cyriacus,  
 Dionysius,  
 Eualdus,  
 Fabianus,  
 Georgius,  
 Hieronym.  
 Ignatius,  
 Kalixtus,  
 Laurècius,  
 Mauritius,  
 Nicasius,  
 Osualdus,  
 Pontianus,  
 Quirinus,  
 Romanus,  
 Sebastia-  
 nus.  
 Tiburtius,  
 Vincētius,  
 Christo-  
 forus,  
 Ypolitus;

Palliũ  
 aureum,  
 Charitas;

1. Cor. 13.

H

strue;



structur. Hac veste induta est beatissima Agnes, quando interrogata de Sponso suo quis esset, fiducialiter respondit: Amo Christum, in cuius thalamum introiui; cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit. Quem cum amauero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. Ista charitas summè necessaria est, ad ornandam virginitatis indumentum: quia sine charitate virginitas Deo placere nõ potest; nec etiam inter prudentes virgines virgo superba computabitur: quæ oleum charitatis & feruentis deuotionis in lampade cordis non habet. Vt ergo vestis virginalis in conspectu Dei & Angelorum clarè resplendeat, castitatis amatrix ab omni superbia mentis & dissolutione oris custodire se debet, ne fortè per negligentiam interiorum, & concupiscentiam oculorum exteriorum decepta, cælestis Sponsi oculos maximè offendat. Ideo omnes sensus suos & sermones, omni loco & tẽpore strictè sub religiosa disciplina teneat, & totum bonum castitatis Deo fideliter & integrè ascribat, qui tam electũ donum ad decorem animæ, ipsi conferre dignatus est. Insuper cũ magna humilitate & quotidiana supplicatione, à Christo desideranter petat; vt vsque in finem casta, sobria, & pudica (sicut virginem Christi decet) constanter perseueret, & vt omnes carnis illecebras vincere & seculi curas abijcere valeat, quamdiu in fragili corpore subsistit, quia inter hostes & pericula multa versatur. Ista charitas est etiam valde necessaria ad ornatum secundæ vestis virginalis, quæ dicitur patientia in superabilis. Quia patientia sine charitate Christi non prodest ad salutem & meritum vitæ æternæ, etiam si ferarum morsus, aut ignem, aut gladium, aut crucis supplicium quis sustineat. Nõ enim poena martyrem facit, sed bona causa sanctum facit martyrem, qui pro fide Christi patitur, aut pro iustitia, aut pro castitate, & præcipuè pro animarum salute. Contulit autem Christus beatissimæ Agnæ has tres preciosas vestes, in signum maximæ dilectionis & perpetuæ desponsationis: quas valde gratanter accepit, & cum magna lætitia intus se ornans, dixit: Induit me Dominus vestimẽto salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me. Et iterum: Induit me Dominus cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. His itaque vestibus sacris cælitus induta, & quasi tribus clypeis munita, processit virgo iuencula Agnes beatissima, contra tres turmas diaboli pugnatura; scilicet, cõtra carnis delicias, mundi diuitias, & contra impiorum hominum minas. Gratias omnipotenti Deo, fortissimo adiutori nostro, regi inuisibili, & immortalis Sponso, omnium rerum creatori, qui cor virginis confortauit, vt vinceret; corpus Sponsæ suæ intactum custodiuit, Agnam innocentem inter flammam illam conseruauit. Et tam vehemẽ-

Absque  
charitate  
virginitas  
& paciẽtia  
manca &  
ingrata  
Deo.



ter cor eius in amorem sui sanctissimi ac mellifui nominis accedit, ut magis eligeret mori, quam caelestis Sponsi sui fidem frangere, cui se deuotum perpetuo foedere famulari.

8. O verè admirabilis constantia virginis, o quam laudabilis patientia S. Agnetis: quæ inter tantas tentationes & persecutiones, inter tot clamores, derisiones, blanditias, terrores, & armatos viros gladios vibrantes, virginitatis propositum tenuit: & Christum sponsum suum esse, palam coram aduersarijs profiteri non timuit, sed cum magna constantia de nobilitate, de pulchritudine, & potestate Christi Sponsi sui, multa magnifica laudabiliter narrando clamauit, dicens: Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo. Et meritò quidem. Ipse enim solus verus est Deus, potens in caelo & in terra: sedens super cherubim & seraphim, intuetur abyssos & abscondita cordis: Ipse humiles respicit & superbos à longè cognoscit. Ipse personam hominis non accipit, sed rectum iudicium in omnibus seruat, tribuens vnicuique veraciter quod debet. Ipse ab aeterno omnia cognoscit, & cum summa prouidentia cuncta gubernat. Ipse electos suos multipliciter probat, & pro multa patientia copiosè in caelo remunerat; reprobos verò, propter eorù malitiam, districtè panit & damnat, seruata in his omnibus magna misericordia cum plena iustitia: Cui aeterna laus & gloria per infinita seculorum secula. Amen.

De cōstātia  
S. Agnetis.

De nobilitate  
Christi.

S E R M O XXVII.

*De aurea corona in capite sanctissima Agnetis virginis & martyris.*

**I.** *ET* tanquam sponsam, decorauit me corona. Dilecti fratres, nunc de corona sanctissimæ Agnetis virginis, qua coronauit eam Christus in caelis, pauca (si placet) audiatis. Corona est ornamentum capitis, & maximæ dignitatis: quæ specialiter debetur regibus, & regum filijs & filiabus, ob nobilitatem generis; aut etiam aliquibus magnis personis, in signum victoriæ, aut doctrinæ, aut sanctitatis, seu eximie virtutis. Vnde de sanctis martyribus specialiter legitur & cantatur: Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis. Sed quis huius coronæ pulchritudinem dignè enarrabit? Æstimo, quòd nemo mortalium scire poterit, nisi cui Deus hoc mysterium reuelauerit, aut eius gratia post mortem ad regnum Dei peruenerit. Ista aurea corona, omnem seculi huius gloriam & decorem, tam regum quam principum, tam nobilium quam præsulum mitras excedit; quia non de terrena materia facta est, sed in caelesti officina à Deo parata, noua semper claritate resulget.

Corona  
S. Agnetis.



Christus  
corona &  
præmium  
sanctorum  
omnium.

2. Et quid melius & dignius, pro nostra imaginatione, per hanc coronam intelligere possumus, quam ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, æternæ gloriæ donatorē? Ipse enim est essentialiale præmium, & corona omnium sanctorum, principium & finis omnium bonorum. Ipse, summa felicitas, summa iucunditas, summa pulchritudo, summa suavitas. Ipse, æterna veritas, æterna sapientia, æterna bonitas, æterna maiestas. Ipse, fons vitæ amoenissimus, qui omnes cæli ciues sua præsentia lætificat & inebriat, & misericordia saluat & coronat; per gratiam iustificat & illuminat; per gloriam beatificat & satiatur. Ipse, omnia ad se trahit, omnia per se implet, super omnia exaltat, & supereffluenter remunerat; tribuens singulis aureum denarium pro laboribus pauperibus; & pro breui certamine auream coronam in vita æterna, cum Angelis potissimum possidendam. Pro hac corona habenda omnes laborare debemus, & certare ut vincamus; sicut omnes sancti ante nos fecerunt, & vicerunt; qui modò cum Christo regnāt, & coronas triumpales pro duri certaminis labore in capitibus portant. Qui tamen sibi victoriā de hostibus non ascribunt, sed cū omni reuerentiā & gratitudine coronas suas ante sedē Dei coram agno deponunt; & cū ingenti exultatione & consona voce psallunt, & dicunt: Benedictio, claritas, sapientia, laus, honor, gloria, salus, virtus, victoria, Deo nostro in secula, qui nos per multas tribulationes perduxit ad hanc gloriosam coronam feliciter obtinendam. Hanc aureā coronā cū aureola percipere meruit Agnes beatissima, permanēs fortis & cōstans in passione sua pro fide, & castitate, tradens semetipsam in mortem, ut acciperet coronam gloriæ nunquam amittendam. Quid hac corona pulchrius? quid iucundius? Quid sublimius? Quid felicius, quam regem Angelorum clarissimè contemplari, cum omnibus Sanctis in cælis?

Adhortatio ad demerendam coronā qui est Christus.

Virtutes  
S. Agnetis.

3. O virgo Christi, contemprix mundi, quæ elegisti Christo in castitate seruire, exhilarere in spe futuræ gloriæ. Si desideras auream coronam, ferre in cælo, fer modò Christum in corde, semper in ore, semper in opere. Averte oculos tuos à mundo, leua animam tuam ad Iesum in cælum. Sis seruens in laude eius, humilis & vilis in oculis tuis, frequens in precibus, prompta in obsequijs, prouida in verbis, patiens in doloribus, tacita in opprobrijs, hilaris in despectibus, simplex in vestibus, pudica in moribus, custodita in omnibus vijs tuis. Noli Christum negligere in aliquo opere vel momento temporis sub cælo, qui nunquam auertit oculos suos à te, in quocumque fueris loco. Attende Agnetem sanctam, quasi in corpore morantem, & castitatis exemplar tibi monstrantem. Tam sancta, tam casta, tam deuota, tam pudica, tam honesta, tam custodita fuit Agnes beatissima in hac vita;

vt



vt nec oculos suos leuaret ad idola Gentium, nec ad spectacula ludorum, nec ad fulgorem auri vel argenti, nec concupisceret decorem aut amicitiam alicuius mortalis viri: sed Deum mente gerens, fide tenens, corde amans, ore laudans, toto animæ desiderio oculos suos erigebat continuè ad cælum; vbi sciebat esse Christum Sponsum suum, cordis sui thesaurum optimum, super omnia desiderabilia amandum & amplectendum.

4. Igitur adhuc pro ampliori deuotione excitanda, contemplari libet pulchritudinem coronæ beatissimæ Agnetis, quæ speciosis ornata floribus, mirandam iucunditatem castis ingerit mentibus. Habet enim tres circulos argenteos, ad honorem sanctæ Trinitatis, continentes tria ferta cõstipata floribus pulcherrimi coloris, & suauissimi odoris. Qui habet aures audiendi audiatur & intelligat, quid mysticè ista significant. Delectantur Virgines in pulchris vestibus & floribus; milites in armis aureis & loriceis; clerici in libris & studijs, monachi in hymnis & psalmis, seculares in terrenis; principes in delicijs, spirituales in diuinis. Nulla tamè delectatio maior & suauior, quàm in Deo & virtutibus veris, ad Dei honorem factis, exultare. Dimissis ergo lubricis & caducis, cum castis & sacratis virginibus, inspiciamus internis oculis, immarcescibiles flores in coronâ felicissimæ Agnetis.

De pulchritudine coronæ.

5. Primus circulus continet fertum ex albis floribus & cãdidis lilijs, in valle humilitatis conceptis & natis. Isti flores designant sanctas & deuotas meditationes de incarnatione Iesu Christi, ex Maria pura & sancta Virgine nati, mundis pannis inuoluti, in arcto præsepio locati, virgineis vberibus lactati; Angelicis laudibus commendati; à deuotis pastoribus visitati; à stella radiante reuelati; à sanctis regibus quæsit, inuenti, & adorati; ab eisdem cū tribus muneribus (auro, thure, & myrrha) oblati dignè venerati, à S. Simeone in vlnis amorosis amplexati, ab Anna vidua corde & ore summè benediçti & confessi. Quid in his omnibus bonis auditis, lectis, & percogitatis aliud reperitur, quàm hortus plenus floribus & lilijs, cum aromatibus multis? Verè omnia hæc nitent, florent & coruscant: flagrant, odorant, & delectant. Isti flores de natiuitate Christi, & perpetua virginitate beatæ Mariæ matris eius, habent tam suauem odorem, tam mirum saporem, tam magnum decorem, tam fortem ardorem; quòd expellunt ab anima languente omnem tentationem & carnalem amorem; omnem iram & indignationem; omnem inuidiam & superbiam; omnem acediam & torporem; omnem duritiam & perturbationem; omnem tristitiam & diffidentiam; omnem nequitiam & fallaciam; omnem turpitudinem & diaboli cã immisionem: siue à viro, siue à muliere, siue à iuvene, siue à se-

Primus coronæ circulus.

Meditari incarnatione Christi quantum iuuet.



ne; siue à diuite, siue à paupere: quia pro omnibus natus est Christus, pro omnibus passus & crucifixus; vt omnes saluaret, omnes à peccatis mundaret, & virtutum floribus adornaret.

2. Cor. 5.

Cant. 2.  
Monialis  
institutio  
atque adeò  
cœnobita-  
rū omniū.

6. Sunt autē in isto sermo quinque lilia pro castitatis custodia, virginibus valde necessaria, scilicet, verecundia, taciturnitas, sobrietas, solitudo, & clausura. Hęc valde muniunt virginis aulam, & clariorem reddunt eius coronam. Audi virgo virginum sanctimoniam commendantem. *Virgo* (inquit) *cogitat, quæ Domini sunt vt sit sancta corpore & spiritu, in Christo Iesu Domino nostro.* Quis est iste Iesus, quem sic amant sanctæ virgines, vt relinquunt etiam parentes? Hic est Iesus Nazareus, Dei Patris vnigenitus, filius Mariæ virginis, Spōsus Agnetis, amator castitatis, custos virginitatis, Hic est cōsolator pauperum, defensor viduarum, susceptor orphanorum, qui loquitur ad virgines in Canticis canticorum: *Ego flos campi, & liliū conuallium.* Ego sanctarum mētium visitator, & inhabitator. Quapropter virgo Christi, si vis celestis Sponso dignè placere, stude flores virgineos & munda lilia intus habere, & omnes sensus tuos foris à deceptionibus custodire.

7. Caue miluum, o simplex colūba; fuge lupum, mitis agnella; caue serpentem tibi appropinquantem, casta puella; ne per fenestras corporis intret ad cubiculum cordis, & corrumpatur puritas conscientia tua; per incautum visum, vel turpem auditum, aut per ceteros sensus tuos, pronos semper ad malum. Idcirco summè cauenda sunt loca, personæ, tempora, colloquia, salutationes, munera, risus, iocus, aspectus, ornatus, conuiuia, cantica vana. Hęc & alia multa carnis blandimenta mūdus habet; quæ (prò dolor) offert suis amatoribus, currentibus caeca mente ad inferni tormenta! Peribunt enim omnia pulchra & delectabilia sine mora, cum mortis venerit hora. Sunt autem ista terrena & carnalia oblectamenta venenosa virginibus, horrenda pudicis, fugienda deuotis, execranda religiosis, summè cauenda iuuenibus, strictè corrigenda in adultis & incautis. Vera namque discipula Christi, & amatrix castitatis, ab aspectibus hominum se abscondit, ne offēdat Deum, ne amittat Spiritus sancti solarium, ne fortè sibi & alijs sit in periculum & scandalum, & diabolo in ludibrium fiat, quæ erat socia Angelorum. Igitur in quāto arctiori manserit custodia, & ordinis disciplina, tanto pulchriora lilia habebit in sua aureola, & aurea corona: Cumque virgo abscondita, soli Deo placere intendens & cupiens, ab omnibus mūdanicis curis & fabulis se elongauerit & mūdauerit; tunc Christi adspirante gratia, suavis ex ea odor bonæ vitæ, sicut odor myrrhæ & thuris, emanabit: Et multæ filia: Siō, adhuc sequa-



lo deditæ, audientes sanctam conuersationem inclusæ monialis, excitabuntur etiam ad relinquendum propter Christum omnem seculi vanitatem, vt apprehendant cum virginibus aureæ coronæ pulchritudinem. O quàm sapienter agis filia Sion, quæ mundum labricum spernis, Angelorum Regi nubere & adherere semper intēdis, & ad celestes nuptias intrare festinas, Intra intra claustrū virginum, vbi discas facere voluntatem Domini Regis tui: & prepara te cum sodalibus tuis, vigilando, orando, & expectando beatum aduentum Sponsi tui de celo. Certè si perseveraueris in eo quod cœpisti; erit sine dubio quod desideranter à Domino Deo tuo sæpè petisti.

8. Secundus circulus huius aureæ coronæ, continet fertum ex  
 subris floribus colligatum, visu pulchrum, odoratu dulcissimum, Circulus  
secundus.  
 auditu mirandum, cordi solatiofum. Istæ rosæ designant carnis castigationem, mundi despectionem, cordis compunctionem, & sacram meditationem, cum intime compassionis affectu erga Dominicam passionem. Istæ rosæ crescunt inter spinas & tribulos, & vrticas, id est, inter varias carnis tentationes & hominum vexationes, qui nunc verbis duris, nunc prauis moribus alios inquietant, & deuotionē modesti hominis sæpè perturbāt. Væ illis, & bene his, qui patiuntur molestias ab importunis. Istæ rosæ ideo dicuntur rubeæ siue purpureæ, quia verecundis mentibus dolorem inferunt & ruborem. Attamen fragrant suauiter, si fuerint duriter confricatæ, quia humiles mentes dulciter respondent & piè, cum fuerint ab iracundis argutæ & despectæ: Et ampliores gratias Deo reddunt, quia à spinis proximorum ledi & pungi meruerunt. Istæ rosæ super ignem positæ & exustæ, dulcem aquam emittunt, pro medicina vtilem: similiter mitis & humiles igne sancti Spiritus accensi, pro iniuriosis & inuidis piè intercedunt, & lachrymas cum gemitu sæpilis fundunt. Reuera magna sunt patientium merita, magna virginum trophæa, magna apud Deum continentium fulgent præconia; quibus æterna merces cum aurea corona reddetur in cœlis, stellis præclarior vniuersis. O virgo mitis & humilis, valde multū potes promereri in presuris, pro Christi nomine sumptis. Etenim quoties verbum durum aut factum læsuum patienter sustines, toties rubeas rosas de spinis gignis & producis, & coronam tuam magis clarescere facis.

9. Istæ rosæ inueniuntur in magna copia apud sanctos martyres & virgines Deo dedicatas; qui fide armati, charitate inflammati, & patientia accincti, roseum sanguinem suum pro Christo largiter fuderunt; & coronas triumphales, rosis ac lilijs emicantes, meruerunt habere perpetuas, summo honore gaudentes. Vn-



Tiburtius  
martyr.

Dorothea  
virgo &  
martyr.

de de sancto Tiburtio, nobili martyre Christi legitur, quod iustus super arduos carbones nudis pedibus incedere, ipse in Domino Iesu confidens, intrepidus accessit, & facto sanctæ crucis signo, super igneos globos stetit illæsus, & gaudenti animo iudici respondit: In nomine Domini nostri Iesu Christi; videtur mihi, quod super roseos flores ingrediar, quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio. Hinc etiam de sancta Dorothea, nobili virgine & martyre, pulcherrimè fertur, quod ante horam passionis suæ, breuiter orans, meruit impetrare, de paradiso caelestis Sponsi sui Iesu Christi, tres florentissimas rosas cū tribus odoriferis pomellis, quas Theophilo viro scholastico, sibi insultati & non credenti, per puerum Angelici decoris, eleganter transmisit. Quibus ille conspectis conuersus est, & fidelis effectus; atque fidei calore accensus; protinus per martyrij palmam Dorotheam sequens, paradysum lætus intrauit, sicut eidem egregia sponsa Christi Dorothea promiserat.

10. Nemo igitur de istis rubicundis rosas acquirendis desperet, quasi longè positas, & difficulter iam inueniendis. Nam possunt ab omnibus Christianis, & præcipuè à deuotis & religiosis personis, tam die quàm nocte, tam hyeme quàm æstate, studiosè quærì, & fructuosè inueniri; sed debent cautè seruari. Legendo enim Christi passionem, & sanctorum martyrum passionès, rosæ rubæ in libris Ecclesiasticis quæruntur; meditando & orando inueniuntur; iustè, sobriè, castè, & piè viuendo, carpuntur & seruantur. Amplius autem istæ rubicundæ rosæ quærèdæ sunt tempore angustia, iuxta montè oliueti in horto secreto à turbis, in quem introiit Iesus, & discipuli eius, vt orarent. Qui tunc à Iudæis captus, ligatus, percussus, flagellatus, coronatus, crucifixus, vulneratus, & quasi toto corpore cruentus; apparuit omni rosæ rubicundior, preciosi sanguinis sui rubore perfusus & purpuratus. O quàm multas rubeas rosas, ex singulis plagis & vulneribus suis, mitissimus Iesus produxit, omnibus aromatis suauiores & pulchriores. Nempe, quanto sapius rosæ istæ aspiciuntur, diutius teruntur, diutius mente reuoluuntur, tanto vehementius fragrant, dulcescunt, florent, rubescunt, crescunt, & dilatantur. Excedunt enim rosæ Iesu Christi Nazarenæ, in rosæto passionis eius ortæ, & in Hierusalem quasi in mortariolo à Iudæis contritæ, omnium sanctorum martyrum ac virginum passionès, dignitate, magnitudine, suauitate, pulchritudine, & omnium gratiarum plenitudine, ab ortu solis vsque ad fines orbis terræ. Sunt autem istæ rosæ valde preciosæ, & ad ornandum cuiuslibet deuotæ animæ coronam habiles & formosæ; ita quod nullo precio mundi valent existimari, nec à mercatoribus comparari, neque



neque in apothecis medicorum inueniri.

11. Vbi ergo possunt discerni, & acquiri? Non in foro, sed in choro; non in platea, sed in Ecclesia; non in bello, sed in cella; nō in tumultu, sed in silentio; non in risu, sed in planctu; non in cō-  
uiuio, sed in ieiunio. Verū specialiter à cōtemporibus seculi, crucem suam quotidie tollentibus, & in passione Christi feriosè meditantibus, citius inueniuntur, & vberius infrā Missam colliguntur. Valde enim recreant tristes animos, & confortant aduersitate depressos. Oportet autem deuotam animam, magnam sibi adhibere custodiam, ne dolosus raptor diabolus, in hunc hortū rosarum, cum figmentis suis pēssimis, subito veniat, & si arcam cordis apertam inuenerit, suaues Christi rosas exinde tollat, & foetidas vrticas & nigros carbones iterum silenter immittat. Vbi est tunc Iesus, vbi crux, vbi clauis, vbi lancea, ad fugandū hostem malignum de arca tua? Surge & vigila, clama & ora, Iesum inuoca, & crucifixum adora. Imprime tibi signum sanctę crucis, contra hostem omnis virtutis. Arripe lanceam Longini militis, cōtra terrorem saui leonis. Claude cor tuum, contra virus serpentis. Confirma illud tribus Domini clauis, quasi tribus fortibus feris, ne callido & rabido hosti pateat tam facilis intrandi locus ad abdita cordis.

12. Tertius circulus continet fertum, ex blaucis & glaucis flo-  
ribus optimè compositum, super omnia agri gramina odorife-  
rum, caelestibus mysterijs plenum. Rectè enim ad decorem vir-  
ginalis coronę huiuscemodi flores pertinēt, qui puritatem cum  
virginibus seruant. Et si bene intelliguntur, non parum religio-  
forum mores ædificant, qui terrena funditus reliquerunt. Igitur  
blauci flores, qui speciem tenent ætherei coloris, designant cō-  
templationem glorię caelestis, & magnum desiderium perfectio-  
rum & inclusorum; qui oblitis omnibus infimis & presentibus  
bonis perituris, meditantur aeterna, inhiantque incessanter ad  
presentiam Dei & Angelorum confortia; vbi omnia sunt tran-  
quilla, iucunda, atque perfecta. Hi in oratione frequenter accē-  
si, cupiunt cum beato Paulo à vinculo corporis dissolui, & cum  
Heliā in igneo curru ad cælum transferri, & Christo in regno e-  
ius feliciter presentari. Vbi semper gaudeant & epulentur in cō-  
spectu Dei, laudando & canendo cum Angelis sanctis, sine omni  
impedimento & labore, altissimas laudes summę Trinitati, in  
perpetuas aternitates. Hi flores, scilicet meditationes de celesti-  
bus gaudijs, valde ornant coronam cuiuslibet sacrę Virginis, &  
animę fidelis, Christum cordialiter amantis, & ad Deū fontem  
vium auidè sitientis.

Tertius  
circulus.

Phil. 1.  
4. Reg. 2.

13. Hi sacri flores, maximè inueniuntur & leguntur in Euāgeli-  
cis



cis pratis & hortulis Saluatoris, meditando de gaudijs dominicae resurrectionis, ascensionis, & Spiritus sancti donis; & de miraculis per Apostolos Christi in primitiua Ecclesia, in nomine Iesu gloriose perpetratis. Simili modo, ex speciali deuotione capiuntur flores caelestis laetitiae, in singulis festiuitatibus beatissime virginis Mariae, & aliorum sanctorum natalitijs, quando de ipsis deuotè in Ecclesia cantatur, legitur, & celebratur, & de aeterna sanctorum gloria desideranter cogitatur. Toties namque flores aetherei splendoris, in anima contemplatiua ad Deum suspensa oriuntur, crescunt, & dulcescunt; quoties ex memoria caelestis gloriae mens compingitur & accenditur, & ad praesentiam Christi & sanctorum suspirat & anhelat. Vnde saepe per feruida desideria sursum respicit, & ex intimis praecordijs cum Elia clamat & orat: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam*; quia melior est dies vna in atrijs tuis, super millia huius vitae gaudia.

3. Reg. 19.

14. Sed rursus considerandum, quod tunc nobiles istae rosae, de corona deuotae animae cadunt, sordescunt, & arescunt, cum in infimis, vanis, & curiosis rebus, mens incipit delectari, aut frivole foris occupatur; & ex quodam torpore pressa, negligit caelestia meditari, omnibus visibilibus praeferenda, & omnibus thesauris mundi meliora. Vnde & beatus Paulus discipulos suos ad florigeram patriam exhortans, ait: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Quare? Quia cito praeterit figura huius mundi; & nihil permanet sub sole, quod potest cor hominis satiare.*

Col. 3.

1. Cor. 7.

Miserationis affectus induendus exemplo Christi.

15. Sunt etiam in hoc virgineo ferto multi pulcherrimi flores, crocei & caerulei coloris, igneam habentes splendorem, aspectu delectabiles, odoratu suaues, tactu lenes & flexibiles. Isti pertinent ad vitam actiuam, & designant copiosius affectus cordis; ad subueniendum debilibus & infirmis, & dulces sermones ex ore prudentis, ad consolandum tristes & grauatos, ne deficient in tentationibus & laboribus quotidianis. Sic enim lex Dei praecipit, & charitas fraterna exigit, ut fortis debilem portet, prudens instruat ignarum, mitis compescat iratum, feruidus excitet torpentem, letus consoletur tristem, maturus corripiat dissolutum, discretus refrenet nimium, humilis reprimat superbum, simplex cohibeat curiosum, stabilis retineat vagum, taciturnus increpet verbosum: ut silentio suo aedificet potius audientes, quam verbis effusis. Ex istis croceis floribus, odor suauissimus saepe manat, qui animos debiles spiritalibus fomentis confortat, ut in virtutibus magis proficiant. Hinc est, quod diuus Paulus, multis virtutum floribus ornatus, ad colligendum charitatis flores discipulos hortatur, dicens: *Per charitatem seruite inuicem, quia sumus inuicem*

Ephes. 4.



*ezm membra.* Et iterum: *Alter alterius onera portate, & sic adim-* Gal. 6.  
*plebitis legem Christi.* Isti flores fraternæ compafsionis & erudi-  
 tionis, inueniuntur plenius in agro dominicæ prædicationis; sci-  
 licet in dulcibus Christi sermonibus & octo beatitudinibus: in  
 myfticis parabolis, & iucundis reuelationibus regni cælestis; in  
 signis varijs, super infirmos & obfefsos: in misericordia, super e-  
 genos & pauperes; in benignitate, super peccatores & pœniten-  
 tes; in mansuetis verbis ad duos & peruersos; in honestis mori-  
 bus, & humilibus obsequijs, & penurijs rerum coram discipulis  
 suis; in fatigatione teneri corporis sui, & longa pernoctatione  
 in orationibus deuotis, in altis môtibus & locis secretis, ad medi-  
 tandum de cœlestibus gaudijs aptis. Ecce, quot sacri sermones,  
 tot pulchri flores: quot mysticæ parabolæ, tot nobiles rosæ. Et  
 quando de regno Dei & Angelis Iesus loquebatur Apostolis, tunc  
 flores æthereos amicis suis ostendit, in cæli secretis. Et quando  
 mandatum nouum eis dedit, vt inuicem se diligere, atque pe-  
 des eorum lauit, tam verbo quàm exemplo eos instruendo; tunc  
 optimi odoris fragrantiam ex croceis floribus, inter eos disperfit.

16. O quàm stupendam signum fecit Iesus, cum seipsum præ-  
 buit omnibus verè humilitatis exemplum? O mirum super om-  
 ne mirum, quòd omnium sanctorum sanctissimus, & omnium  
 dominorum altissimus, fit omnium seruorum suorum seruus in-  
 firmus; quòd summa maieftas inclinauit se sponte, infra homi-  
 nes simplices & pauperes suos commensales: dicens: *Ego in medio* Luca 22.  
*uestri sicut qui ministrat: non enim veni ministrari, sed ministrare.* &  
*ego Dominus & magister vester vestros laui pedes, & vos debetis alter* Ioan. 13.  
*alterius lauare pedes.* Quid plus Domine? Alius pro alio orare de-  
 bet, exemplo instruere, neminem lædere, omnibus benefacere  
 velle. Isti flores fraternæ compafsionis & piæ subuentionis, val-  
 de ornant coronâ virginæ puritatis, & vitam religiosæ cõuerfa-  
 tionis: tam in contemplatione cælestium secretorum, quàm in  
 visitatione languentium proximorum. Tunc enim flores virtu-  
 tum inter fratres suauius redolent & vberius crescunt, cum deuo-  
 tus contemplator Angelicos ordines ad horam deserit; & ad ser-  
 uendum infirmis & egenis lætus accedit, quasi Christum in præ-  
 senti videret. Cum etiam studiosus lector scripturarum, aut dili-  
 gens scriptor librorum, vocatus codicem claudit, & pennam de  
 manu ponit, & ad sonum pulsantis statim surgit, & ad chorum  
 vadit, aut ad communem laborem conuentus incunctanter pro-  
 perat. Tunc noui flores in horto cordis eius, per gratiam sancti  
 Spiritus cum fructibus obedientiæ incipiunt oriri, dilatari, & ma-  
 gnificari, & ipsi ad maximum meritum, & pulchriorem coronæ  
 ornatum computabuntur. Præcauendum tamen amatori solitu-  
 dinis,

Humilitas  
Christi  
miraculū  
omnium  
maximum.



dinis, & deuotæ meditationis speculatori, à leuitatibus & rumoribus; ne per longas occupationes & superfluas locutiones, perdat suauitatem vnguenti mystici, & saporem mellis extinguat leuis infectio fellis & aceti. Quis enim est tã deuotus in oratione, tam studiosus in sacra lectione, tam strenuus in operatione; qui tam citò se recolligit ab intra, quàm facilè labitur ad extra? Quis tam citò consolidat fracta, quàm facilè frangit aliqua? Quis tam citò immunda lauat, quàm facilè in lutum cadit? Igitur, ô Virgines Christi, ô Religiosi serui Dei, state super custodia cordis & oris vestri: ne corrumpantur sensus vestri, per varia desideria mundi, quæ nihil profunt ambulatibus in eis cum magnis periculis & angustijs. Ecce innumeris fallacijs & laqueis mundus est plenus. Ideoque secundum verbum Christi, oportet vigilare & orare, contra tentationes & tribulationes ab omni parte surgentes; & ad bene agendum non deficere, quamdiu vires assunt, & tempora gratiæ promerenda florent. Non enim est corrigiam calceamenti perdere, gratiam Dei amittere, tempus poenitiæ negligere, dies vanè consumere, & vitam æternam pro modico delectamento despiciere.

Luca II.

17. Recogitate immensam bonitatem Christi, super omne genus humanum, quanta bona fecit, quanta mala pertulit, & quam magna præmia electis suis post huius vitæ certamina promisit. Habete bonam fiduciam in Domino semper, & ad auxilium diuinum in omni necessitate recurrite; & in tempore tribulationis nolite desperare, nec ab oratione cessare. Capiatis notabile exemplum patientiæ & perseueratiæ, de sancta Agnete, virgine Christi & martyre: corpore quidem iuuenula, animo cana: statura paruula, meritis magna: sexu infirma, fide fortissima: vestibus spoliata, virtutibus ornata, quæ vt diabolum & comites eius vinceret, ad Christum deuotis & sedulis precibus conuolabat. Cumque humana rabies non cessaret, sed diabolo instigante igne copiosum pararet, ipsa intrepida manens in medio flammarum, expansis manibus orabat, Christum corde & ore laudabat: atque per martyrij palmam, ad Sponsum suum peruenire optabat, quæ super omnia sincerissimo amore diligebat. Plus enim valuit ingens amor Christi in sola fragili virgine, quàm tyrânicus furor armatus gladio & igne. Idcirco speciosissimam hanc auream coronam, cum tribus floridis fertis ornatam, habere meruit. Quia mundum spreuit, carnem domuit, diabolum vicit, tyrannum derisit, præmia calcavit, poenas superauit, & ad Christi gloriam pro Christo moriendo felicissimo fine peruenit. Nunc omnes pariter oremus, & clamemus ad Dominum nostrum Iesum Christum, amatorem castitatis, innocentiæ, & omnis puritatis; vt doceat nos



nos Angelicā vitam in fragili carne imitari: & cum sanctis virginibus, castitatem mentis & corporis, præcipuè amare, venerari, & conseruare. Amen.

*Oratio.*

18. **O** Dulcissime Domine Iesu Christe, flos omnium virtutū, castissimè amator virginum, fortissime debellator demonum, strictissime extirpator vitiorum, fragilitatem meā propitiū respice: & per intercessionem beatissimæ matris tuæ virginis Mariæ, & dilectæ spōsæ tuæ sanctæ Agnetis, virginis ac martyris venerandæ, auxilium mihi supernæ virtutis impende; vt discam terrena cuncta despiciere, & amare cælestia: vitijs resistere, & tentationibus non consentire; virtutibus firmiter adhærere, honores fugere, delicias vitare, peccata commissa plangere, occasiones malorum cauere, à praua consuetudine abstinere, cum bonis conuersari, & in bonitate perseuerare, quatenus dono gratiæ tuæ merear coronam æternæ vitæ, cum sancta Agnete & cum omnibus sanctis, æternaliter in regno tuo possidere. Amen.

*Oratio in  
memoriam  
D. Agnetis.*

*Exemplum.*

19. **F**RATER quidam domus nostræ, capitis dolorem frequenter patiebatur, & ideo nonnunquam exire chorum cogebatur. Habebat autem specialem deuotionem ad sanctam Agnetem, venerabilem virginem, patronam nostram, multæ pietatis dulcedine affluentem. Desiderauit ergo ingenti cordis affectu sacras reliquias eius visitare in Traiecto; quæ ibidem in arca argentea, auro tecta, in ecclesia cathedrali sancti Martini honorificè conseruantur. Contigit ergo vt cum Priore suo pergeret, ad præfatum summæ reuerentiæ locum visitandum: & veniens ad præfatæ cathedralis Ecclesiæ aulam, multis sanctorum reliquijs decenter ornatam, petijt à custode sibi ostendi beatissimæ Agnetis arcam, ob deuotionis suæ instantiam diu desideratam. Tunc sanctarum reliquiarum custos ait: Non facilè licet mihi reserare preciosam sanctæ Agnetis arcam: sed libenter vobis antiquam almæ virginis capsulam ostendam, in qua sacræ reliquiæ eius diu requieverunt, ad Dei laudem & gloriam. Quod frater audiens lætatus est & consolatus, expectans honorabilem sibi loculum præsentandum. Quo viso & aperto inclinauit se reuerenter: & osculans sanctum scrinium, intromisit caput suum confidenter, sperans sibi auxilium meritis sanctæ Agnetis affuturum inhesitanter. His igitur actis, maximas gratias egit Deo, & sanctæ Agneti virgini, quod patentibus oculis suis hæc meruisset intueri. Qui ex hoc tempore & deinceps à pristinis doloribus releuatus est, non solum in corpore, sed etiam ampliori deuotione profecit in mente; atque reliquum vitæ suæ tempus iucundo



aiucundo & felici agone in feruore spiritus bene terminauit.

2. *Aliud exemplum.*

20. **A**LIVS quidam frater, cum in profesto sanctę Agnetis ad refectorium legisset, accidit ei improvise, quod postea solus comedens, os piscis in ore eius frangeretur; & palato tam fixo inhareret, ut acumen eius nec extrahere nec expuere tunc valeret. Quapropter contristatus valde, & timens periculum vocis ex hac læsione sibi imminere, expectavit patienter horam vespertinam, de sancta Agnete solemniter in choro decantandam. Cumque cantor responsorium, Pulchra facie, altius incepisset, & conventus chori latis vocibus, ad honorem sanctę Agnetis, residuum prosequeretur, deuote cantando & laudando; cepit frater læsus pariter concinere, & sanctam Agnetem dilectam & benignam patronam suam suppliciter inuocare; ut in ea hora sibi subueniret, & de ista læsione liberaret. Et, o mira Dei clementia, & quam ineffabilis virtus eius & potentia, qui non deserit sperantes in se, de quacumque tribulatione clamauerint ad eum. Statim namque, cum hæc verba cum conventu caneret; (Intercede pro omnibus nobis,) sensit quendam pruritus in palato gutturis, cepitque parum tulsire, & in instanti cum saliva oris exspuit aculeum piscis, sine dolore sui gutturis. Tunc alacer effectus, gratias egit Deo, & sanctę Agneti virgini, quod tam cito meruisset exaudiri & curari. Finitis autem vespere, mansit silenter in choro, prosternens se humiliter super scabellum pedum suorum, osculando pavementum asserum ex intimo cordis affectu: congratulans in secreto, de tanto beneficio meritis sanctę Agnetis sibi collato. Deinde magis volens certificari de presenti facto, quæsiuit aculeum piscis ex ore proiectum, & inuenit eum in arena prolapsum: Quem secum tollens ad cellam, posuit iuxta sanctę Agnetis imaginem; ob eius specialem dilectionem perpetue recolendam. Cuius sacro patrocinio pius Dominus ab omni periculo nos semper & vbique dignetur custodire, & in bona conuersatione cum omnibus nobis in oratione commendatis conseruare. Amen.

3. *Exemplum aliud.*

21. **F**VIT in ciuitate Svvolensi ciuis quidam, Hermannus de Oeuer nominatus, diues & honestus, pius & misericors super pauperes, atque in hospitali sancti Spiritus, fidelis infirmorum & egenorum procurator. Hic, quadam turbatione orta in ciuitate contra eum & quosdam conciuēs eius, confugit ad monasterium nostrum, in monte sanctę Agnetis virginis, hospitandi gratia. Qui pro sua probitate & mansuetudine susceptus est, & benignè tractatus cum multa charitate & fraterna beneuolentia.

Modico



Modico autem tempore transacto, didicit Confiteor legere, & sacerdoti ad Missam ministrare, licet iam senex esset, & literas penitus ignoraret. Quod cum tanta diligentia & deuotione fecit, ut alijs aliunde occupatis, sæpè bis vel ter vno die sacerdotibus ad Missam libenter & alacriter ministraret. Siquidem venerabili patri nostro VVilhelmo Vormken, tunc temporis Priori domus nostræ, speciali amatori sanctæ Agnetis, frequenter infra summam Missam choro canente, ipse retro in Ecclesia superpellicio indutus, magno cum affectu ministravit.

Accidit autem quadam vice, ut ipse quasdam pecunias ex cella, in qua morabatur, perderet: de quibus vehementer doluit, mirans quis hoc fecisset: (nondum enim sua resignauerat, sed sicut hospes & amicus fidelis inter fratres in ambitu claustrum habitabat.) Nam infra meridianum prædium, quidam alienus & ignotus, latenter per fenestram apertam, cameram eius intrauit, & quantum sibi placuit, furatus est, & citò recessit. Prandio itaque facto, cum Hermannus post gratias dictas cellam suam intraret, pecunias suas querens non reperit: & satis contristatus, vni conuerforum fratri Ioanni de Eme, sibi familiari, cōquerendo dixit; O bone dilecte frater Ioannes, sunt hîc fures in domo? Qui ait: Non utique, bone Hermanne. Tunc ille furtum sibi iam factum reuelauit, dicens: Perdidi pecunias, quas habui in cella, & modò infra prandium sunt secretè furatæ. Cui frater Ioannes, consolando tristem respondit: Non cogites bone amice, quòd aliquis fratrum nostrorum, aut ex familiaribus domus huius, hoc fecerit. Sed fortè aliquis extraneus hospes, qui hortum pomarij intravit, tentatus hoc egit; sicut quandoque præteritis temporibus experti sumus, vestibus occultè furatis. Audiens autem hæc venerabilis Pater & Prior noster VVilhelmus cōtristatus est valde; & omnes fratres de damno boni viri ex confusione furti doluerunt. Tunc quidam fratrum nostrorum, ipsi magis familiares, consolando & ad patientiam hortando dixerunt ei: O Hermanne charissime, sitis modò patientes in isto: quia fortè Dominus Deus noster non vult, quòd occupetis amplius cor vestrum cum pensuistis istis. Faciatis ergo nunc de necessitate virtutem: & offeratis eas Deo & sanctæ Agneti, pro salute animæ vestræ: Et si postea contingeret vos iterum eas acquirere, quòd non velitis inde aliquid retinere: sed ad cultum Dei & ministerium sanctæ Agnetis, omnia prouenire debeant. Fecit bono animo & pia intentione, quod consultum est; vouens sponte omnia Deo plenè, & beatæ Mariæ Virgini, & sanctæ Agneti patronæ Ecclesiæ nostræ, breui tempore consecratæ. Igitur oblatione ista votiua consummata, venit post triduum nuncius bonus de Syvallis, missus

à do-



à Domino Ioanne Haerlem, tunc rectore deuotarum sororum Beguinarum, dicens: Fratres non sitis solliciti & tristes de pecunijs perditis, citò eas recipietis, Deo fauente. His auditis gauisus est Hermannus, & cum eo Prior noster, & totus conuentus. Quis autem fuerit iste fur & raptor, clericus an laicus, hucusque nescitur. Nam speratur, quòd pœnituit, & domino Ioanni secretò, vt ad monasterium omnia remitteret, supplicauit, quòd etiam tacito nomine fideliter fecit. Empta sunt autem & parata de pecunijs illis receptis, ad sancta Agnetis honorem, duo ornamenta sacerdotalia, & calix vnus argenteus deauratus, titulo Hermanni de Oeuer sub pede calicis inscripto.

4. *Aliud exemplum.*

22. **Q**UIDAM frater domus nostræ, celebrans in domo capituli in altari sanctæ Agnetis virginis, diabolo insidiantè subito tentatus est in Missa de fide & sacramèto corporis Christi, in quo sapius habuit cõsolationem & deuotionem magnam. Sentiens ergo grauem influere quæstionem, conuertit se citò ad piùm Dominum Iesum, cum gemitu & recta fidei intentione orando. Moxquæ audiuit diuinum responsum intus sibi dictũ: Crede sicut sancta Agnes, Cæcilia, Barbara, & aliæ sacræ virgines crediderunt: quæ pro Christo passæ sunt, & de nullo verbo in fide dubitauerunt. His auditis cessauit tentatio, & quæstionis dubitatio. Et sapius postea contra diabolicam immisionem hæc verba reuoluit: Crede sicut Agnes, Cæcilia, & Barbara, & nunquam errabis in fide Catholica. Nam tot sunt testimonia vera, quot sunt sancta verba in Biblia.

5. *Exemplum aliud.*

23. **A**LIVS etiam quidam de fratribus nostris infirmus, in eodem loco & altari ex deuotione cõmunicauit: qui diu baculis se sustentas, curuus incedere solebat. Sed post celebrationem Missæ, virtute Christi & meritis sanctæ Agnetis, sic cõualuit, vt baculos suos post Missam ibidem relinqueret, & postea ad chorũ & conuentum lætus & rectus transfret. Mirante autem quodam fratre de isto facto, sciscitari piè cœpit, quid ægrotus egerit, & infra Missam cogitauerit. Respondit sanatus: Cogitauit & reuoluit verba sancti Euangelij, Luca referente de Domino nostro Iesu Christo: Et omnis turba querebat eum tangere, & virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Bona ergo fides & virtus Sacramenti, cum precibus sanctorum, sanare adhuc possunt mente & corpore debiles, vt fiant feruentes in amore Dei, & ad omne opus bonum promptiores, & suis Prælati sine mora obedientes. Hæc sunt æternæ salutis miracula, quæ adhuc frequenter operatur Christus cum deuotis mira clementia.

6. *Aliud*



24. **A**ccidit quodam tempore in quadragesima, quòd quidam frater rogatus fuit celebrare Missam manè circa horam quintam, pro hospitibus & tota domus nostræ familia: sicut confectum est fieri pro bona custodia laborantium in officiis, & pro itinerantibus in via propinqua vel remota. Frater autem ille piè annuit, & ex charitate libenter fecit, pro quo rogatus fuit. Erat tunc festum sancti Gregorij Papæ, quem frater speciali affectu diligebat; quia in eius festo, scholas ad discendum alphabetum, cum aliis pueris primitus intrauit. Cum ergo accessisset ad altare, cœpit cogitare qualem Missam vellet legere, de ieiunio vel de S. Gregorio. Statim venit ei ad mētem: Tu nondum legisti Missam in hac hebdomada de sancta Agnete, pro speciali causa tibi commissa. Lege ergo modò de sancta Agnete, cum collecta de sancto Gregorio, & postea cantabis Missam de eo in choro, cum toto conuentu, corde iucundo. Fecit sic in nomine Domini cum bona fiducia, soluendo vota sua de sancta Agnete patrona nostra, Christo summè dilecta. Omnibus igitur in ecclesia ferè congregatis & Missam audientibus, contingit periculum incendiij in domo agriculturæ nostræ, nemine adhuc sciente. Sed pius & misericors Deus optimè providit, quòd incendium citò extinctum fuit. Nam laicus quidam donatus noster Matthias nomine, post eleuationem de ecclesia exiens superuenit, & fomitem ignis extinxit. Quod meritis sanctæ Agnetis confidimus ascribendum, de qua tunc specialiter legebatur Missa, ad rogandum pro pia causa Dominum. Deus enim, qui beatam Agnetem in medio flammaram, expansis manibus orantem, illasam conseruauit: ipse illo die domum nostram cum omnibus suis utensilibus incombustam, precibus & meritis eius, clementi bonitate custodit. Vnus enim laicorum ad audiendam Missam, cum aliis intrauit ecclesiam, & neglexerat sub tecto domus lucernam extinguere; quæ combusto ligamine, cecidit super segetes ibi iacentes, & accendit. Sed pius Dominus omnia videns, & inopum preces misericorditer attendens, huic periculo per alium ( vt prædictum est ) tempestiuè subuenire concessit. Audiens autem deuotus & prædilectus Pater noster, frater Theodericus Cliuis, tertius domus nostræ Prior venerabilis, periculum incendiij accidisse, & Dei gratia citò cessasse, primò satis expanit, nec mirum. Deinde consolatus est, & gratias egit Deo, quod tam graue periculum non processit, sed repente dissipatum fuit. Cum ergo tumor incendiij ad aures aliorum peruenisset, frater, qui de sancta Agnete missam eodem die celebrauit, secretè ad Priorem patrem suum accessit, & humiliter ei indicauit: Dilecte Pater, gratias



agamus Deo & sanctæ Agneti patronæ nostræ; quia Missa de ea hodie lecta fuit pro speciali causa: & spero, quod fideliter pro nobis oravit, & ab incendio isto nos Dominus liberauit. Tunc bonus pater & pius pastor, congaudens magnificè, utpote castus amator sanctæ Agnetis, iniunxit speciales orationes fratribus; atque largiores eleemosynas distribui iussit pauperibus, pro tam euidenti protectione ab incendio præfenti, & ab omni malo futuro, Amen.

*Aliud Exemplum.*

25. **V** Ir quidam furatus est equum, ex pascuis monasterij nostri montis S. Agnetis, quem secum duxit ultra milliare à monasterio nostro situm: putans se esse securum, & ad propriam domum cum præda prosperè rediturum. Veniens ergo ad villam quandam, ligauit equum cum resticulo ad stipitem cuiusdam sepi in biuio, & intrans hospitium sedit ibi ad bibendum, & modicè quiescendum. Interim verò equus solus foris stans, & nullum adesse videns; quodammodo impatienter motus, quòd in loco alieno esset, & à domo suæ habitationis violenter abductus, cœpit caput suum frequenter hinc inde agitare & pedibus calcitrare. Et tandem lorum, quo ligatus erat, hac illacque distraxit, donec penitus solueret ligaminis nodum. Cumque se liberum & enodatum iam sentiret, & sessorem suum diu expectando non perciperet: & quia naturale est animali ligato diligere libertatè, & ad suum tendere stabulum consuetum, statim vertit caput suum ad viam rectam, qua venerat; & solus (Deo ducente) fortiter currens, ad portam monasterij saluus peruenit. Ibi que morosè stans & expectans in loco sibi noto, à portario & colono nostro bene cognitus est & latanter introducitur, de quo Deus æternaliter sit benedictus. O beatissima Agnes semper honoranda, cuius hoc meritis deputamus; quia in multis necessitatibus nostris tua patrocinia experti sumus. Ideoque Christum in te prædicamus, & deuotè inuocamus & laudamus: gratias agentes Deo semper, pro omnibus bonis suis misericorditer nobis sæpè collatis, Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

SERMO XXVIII.

*De quinque luminaribus Templi.*

*Matth. 21.  
In festo  
dedicationis  
Ecclesie  
sermo.*

1. **D** Omus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus. Dilecti fratres, hodie est solennis festiuitas dedicationis ecclesie nostræ, quæ ab omnibus in hoc loco habitantibus debet deuotè & iucundè celebrari: & mentes celebrantium, ad superna Angelorum gaudia incitare. Ad hoc enim omnis ecclesia construitur & dedicatur; ut in ea diuinæ laudis obsequia agantur: & orationes fidelium in loco sancto citius & plenius à Deo exaudiri mereantur.



tur. Valde autem ecclesia Dei ornatur & illuminatur, si hæc quinque seruitia in ea seruantur; & tâquam cæli luminaria, vt in templo Dei luceant, sollicitè custodiuntur. Primò, inter cætera diuini cultus obsequia emicat, & domum orationis illustrat, atque ingredientibus ecclesiam ad orandum excitat, & in diuino amore corda fidelium accendit; cum sacerdotes sacris vestibus induti, ad altare reuerenter accedunt, Missas deuotè celebrant; & pro se & communi populo sacrificium Deo summè placitum offerunt, & piè intercedunt.

Templo  
Dei quin-  
que sunt  
ornamen-  
to.

2. Secundò, domum Dei præcipuè ornat & illuminat chorus clericorum, cum quotidie horæ canonicæ ab ecclesia institutæ, à clericis & religiosis personis; temporibus suis debite persoluuntur: & omnia cantanda & legenda ad honorem Dei, modestè & honestè sunt & complentur, & omnis leuitas, strepitus, & confusio, pro posse strictè vitantur.

3. Tertio, domum Dei maximè ornat & illuminat, cum verbum Dei, frequenter à sacerdotibus, pastoribus, & doctoribus; populo Christiano, regibus & principibus, senibus & iuuenibus, paruulis & magnis, strenuè prædicatur; & quasi tuba cælesti, ne peccent, supplicis terrentur: & ne desperent, æternis premiis consolantur. Magna enim præmia habebunt sancti sacerdotes & prædicatores, qui vita & doctrina multos erudiunt, & ad virtutes frequenter admonendo trahunt & accendunt. Vnde de sancto patre nostro Augustino glorioso sanctæ Ecclesiæ doctore legitur & cantatur, quod verbum Dei vsque ad ipsam suam ægritudinem, imprætermisè, alacriter & fortiter, sana mente sanoque consilio, in sancta Ecclesia prædicabat. Qui Deo auxiliante diu vixit in virtute, pro multorum salute scribens libros, & docens inscios, sanctam Ecclesiam multitudine librorum suorum magnificè ditauit, ornauit, & illuminauit. Quem, ob meritum suorum dignitatem, laudare oportet, & filiali amore semper honorare & suppliciter exorare: vt recto itinere eum sequi valeamus ad Christum regnantem in cælis; quem tam ardentè amauit & laudauit in hymnis & psalmis, dum esset in terris.

4. Quarto, domum Dei profectò ornat & illuminat frequens visitatio Ecclesiæ ad audiendum verbum Dei, & ad custodiendam legem vitæ & disciplinæ, perducentem ad patriam claritatis & pacis æternæ. Qui enim ad cælestis regni gaudia post mortem peruenire feliciter desiderant, modò dum sani sunt & viuunt, debent domum Dei frequenter visitare, & prædicationem libenter audire, cõfessiones sapè facere, indulgentias quærere & impetrare. Tempus breue est, & incerta mortis hora. Qui ergo modò non poenitet, nec se emendat, post clausum ianuam foris stabit, & mis-



ricordiam non impetrabit: clamabit dolens, nec exaudietur plorans. Beatus populus & laudabilis nimis, qui relictis vanis spectaculis, properat tempestivè ad domum orationis & prædicationem diuini sermonis; gratias agens Deo de beneficiis acceptis, atque pro futuris ampliùs orans. Pulchrum spectaculum, videre templum Dei fidelibus vbique repletum, & forum à negotiis seculi esse quietum.

5. Quintò, Ecclesiam Dei ornat & illuminat, frequens & communis oratio multorum, tam cleri quàm totius populi Christiani ad Deum instanter supplicantis, pro diuersis causis & necessitatibus omnium indigentium, sanorum & infirmorum, viuorum & defunctorum. Ista quinque luminaria sunt valde necessaria & vtilia, in omni ecclesia, quæ domum orationis optimè ornant: & tanquam quinque ardentes lampades templum Dei illuminant, & rectam viam ad supernam Hierusalem & cælestem mansionem demonstrant. Vbicunque ergo in ecclesia ista, deuota & sancta officia debitis temporibus reuerenter & diligenter fiunt; ibi Deus habitat, ibi præsidet, docet & gubernat, sicut in Apocalypsi beatus Ioannes ait: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis.* Omnibus igitur tumultibus & fabulis cum iocis exclusis, nil aliud in domo orationis & loco sancto fieri decet & debet, nisi quod Deo maximè placet & proximos ædificat, & ad diuinum officium specialiter pertinet.

Apoc. 21.

6. Quæ ergo ad deuotionis gratiam, & ad canticorum dulcedinem, & verborum intelligentiam iuuant, hæc corde pensare debent, & læto ore ad laudem Dei proferri. Omnia vitiosa & otiosa colloquia vbique vitanda sunt: sed præcipuè tamen in templo Dei, in aula summi Regis, in sanctuario Spiritus sancti, in conspectu angelorum & cælestium ciuium supernorumq; spirituum præsentia Summè igitur venerabilis est locus iste, à Deo ab æterno præuisus, & ad seruiendum ipsi cum eius ministris & sacris vasis, electus & deputatus; & in tempore præfinito per manus Pontificis, cum multis sanctorum reliquiis, consecratus & ornatus. In quo quidem loco humana iunguntur diuinis, ima summis, terrena cælestibus per sacramenta Christi, quæ ibidem tractantur & celebrantur à sacerdotibus in Missis.

7. Quod agunt sancti Angeli in cælis, hoc etiam agere debent fideles in terris: scilicet laudare & benedicere Deum totis viribus, & magnificare cum præ omnibus Sanctis & creaturis, pro donis & beneficiis suis. Et si non tanta dignitate & alacritate sicut Angeli, tamen pro posse suæ infirmitatis quilibet debet niti facere & aptare se, vt Deum perfectè cum angelis semper laudet, super omnia amet, & in omnibus benedicat. Si non potes labijs  
oris

In templo  
Dei faciat  
quisque  
quod pos-  
sit.



oris resonare, debes suspiriis cordis ad Deum clamare. Si fueris raucus vel dissonus, noli cessare à laudibus, nec te subtrahere à diuinis officiis: sed ausculta, quid cantatur & legitur ab aliis, & congaude bene cantantibus. Si non vales tam pulchrè cantare sicut alauda & philomela, canta & lauda lugubre sicut corui & rana in palude: qui cantant sicut Deus dedit, & natura concessit. Noli extolli monedula de clamore vocis, quia nescis quamdiu durabis, & altè cantabis. Vox quippe humilis & contriti cordis, bene sonat in auribus Dei omnipotentis, omnia audientis. Canta & lauda Deum, in voce exultationis, memor tamen propriæ vilitatis, cum timore futuræ tribulationis. Canta humiliter cum sancto Dauid in Psalmo: *Latetur cor meum, vt timeat nomen tuum Domine.* Quis sicut Dauid fidelis, in omnibus pergens ad imperium regis: qui miles fuit in die fortiter bellando, monachus in nocte alacriter surgendo, & deuotè orando?

8. Si non potes cum sancto Ioâne Euangelista, sublimia & diuina contemplari, prociide cum Maria Magdalena ad pedes Iesu humiliter veniam petendo, & pro peccatis lachrymando, vt dimittantur tibi etiam peccata multa, quibus Deum sæpè offendiſti. Si non vales cum sancto Paulo ad tertium cælum euolare, maneat cum eo apud Iesum Christum crucifixum; non in carne gloriando, sed carnem cum vitiis & concupiscentiis suis crucifigendo. Si non habes alas Aquilæ volantis ad cæli sidera, habeas pennas simplicis columbæ nidificantis in petra, meditando quotidie sacrosancta Iesu vulnera. Plus enim sanctitatis & dulcedinis inuenit humilis Franciscus in passione Christi, quàm subtilis Astronomus in speculando sidera cæli. Relictis ergo curiosis & infructuosis rebus, stude in vita & in passione Christi, & proficiet tibi magis, quàm omnes artes mundi. Si vis consolari cælitus, fuge homines & sæculi rumores. Esto libenter cum Domino solus, & quære solatium intus in deuotis precibus & meditationibus sanctis. Nihil salubrius, nihil iucundius & dulcius, quàm Deum laudare in hymnis & psalmis, & habere cor sursum cum Angelis in cælis, infirmis neglectis. Talis dicere potest in raptu spiritus: Memor fui Dei solius, in iubilo cordis. Verè Dominus est in loco isto: non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Aperite mihi portas Angeli sancti, & laudabo vobiscum nomen Domini Dei mei, in seculum seculi.

9. Vt autem illi, qui scienter cogitat vana inter diuina, & iniuriosa reuoluit mente peruersa. Vt, qui idola imaginatur immunda, & negligit preciosa Christi vulnera, nec inferni timet pati tormenta. Vt, qui ibi tacet & dormit, vbi vigilare & orare deberet. Vt pigris & dissolutis, & tardè venientibus; qui vagis oculis

*Psal. 85.  
1. Reg. 18.  
Dauid rex,  
miles &  
monachus*

*Luca 7.*

*1. Cor. 12.*

*Galat. 5.*

*In oratorio nihil aliud quàm oretur.*



parietes aspiciunt, & dulces psalmos non aduertunt. Væ, qui de cibo & potu frequenter cogitant, & de pœnis animarum in purgatorio parum pensant, & raro plorant. Si quis ibi fuisset per horam, nunquam sentiret in choro tœdium, nec in ieiunio tristitiã, nec in labore grauedinem. Benedicti omnes religiosi & deuoti serui Dei, alacres in diuinis, studiosi in libris legendis & scribendis: qui se & alios compefcunt à verbis leuibus, & fideliter orant pro benefactoribus suis, & omnibus tribulatis & tentatis; quorũ magnus est numerus, Deo melius quàm hominibus notus. Quicumq; ergo gratus & fidelis fuerit in modicis & præsentibus donis, dignus erit ampliora recipere à Deo in cœlis. In diuino officio negligenter aliquid agere, impunè non ibit. Caueat & timeat, ne eleemosynæ clamet contra vos; quia malè sunt expensæ, & horæ negligenter sæpius lectæ & perfolutæ. A quibus malis Iesus Christus nos liberet, omnes offensas nobis dimittat, & ad cœlestia regna, post huius vite pericula, feliciter perducatur, Amen.

## S E R M O X X I X.

*De ornamentis & moribus ministrorum, in templo Dei.*

1. Mach. 4.

1. **O** Rasauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Domino; & facta est letitia magna in populo. Dilecti fratres ista leguntur Machabæorum libro primo, de templo Dei renouato, & cantantur etiam à nobis in Ecclesia, tempore consueto. Sicut ergo illi antiqui sancti fuerunt alacres & deuoti in templo materiali, laudando Deum in hymnis & organis, pro victoria data eis de cœlo contra aduersarios, ita & nos multo deuotiores esse debemus regratiando Christo, qui nos eripuit de tumultibus seculi, & laqueis diaboli; & dedit spem perueniendi ad festiuitatem cœlestis Hierusalem, & ad dedicationem templi immaterialis, in quo habitat Deus cum omnibus sanctis suis. Quaratis in litera spiritualem sensum, & in cera mel absconditum; & delectetur anima vestra in Deo viuo, & in omni verbo quod procedit de ore Dei, sicut angeli & omnes sancti in calo. Tunc enim poterit anima vestra per scalam sanctorum verborum, ad alta cœlorum ascendere: quando negligit exteriorem ornatum attendere; & ex intimis præcordiis recordatur Domini Dei sui solius, quantum datur ipsi sapere ex gratia supernæ visitationis, in statu humane fragilitatis.

Mysticè  
quæ ad tē-  
plum Dei  
spectant,  
describit.

2. Fratres, ibi est magna festiuitas dedicationis Ecclesiæ, vbi est puritas innocentis vitæ, libertas bonæ conscientiæ, iucunditas spiritualis lætitiæ, prædicatio S. doctrinæ, observatio regularis disciplinæ, recordatio regni cœlestis, obliuio omnis gaudij secularis. Ibi est vera pulchritudo templi, & ornatus ecclesiæ, cum ramis & floribus bene redolentibus; vbi est vera contritio cordis,  
humi-



humilis confessio oris, & digna satisfactio pro peccatis commul-  
 sis. Ibi est lata dedicatio noui altaris, vbi est nouus feruor deuo-  
 tionis, cum gratiarum actione in iubilo cordis pro beneficiis ac-  
 ceptis. Nemo vacuus apparere debet in conspectu Domini, sed  
 semper aliquid offerre in altari ad honorem Dei. Ille vitulum  
 offert & hircum, qui carnis petulantiā frangit per ieiunium. Ille  
 bouem mactat & taurum, qui superbiam mentis & duritiam pro-  
 prii sensus, redigit ad nihilum per humilitatem & sapientis con-  
 siliū. Ille agnum immaculatum Deo dignum offert, qui passio-  
 nem Christi quotidie deuotē commemorat, & se ei per patientiā  
 & mansuetudinem conformat. Ille arietem immolat, qui totam  
 virtutem & fortitudinem suam Deo ascribit, & nil boni sibi at-  
 tribuit. Ille renes, cor & pectus in altari cremat, qui omnes car-  
 nales affectus, sancti Spiritus feruore refrenat. Ille columbam of-  
 fert, qui simpliciter ambulat, & de alienis rebus tacet; qui cum  
 dolentibus gemit, & pro sibi contrariantibus orat. Ille turturem  
 Deo offert, qui castitatem diligit & solitudinem quærit: & cum  
 solatium terrenum perdit, ad cœleste palatium liberius volat.

3. Ille passerem immolat, qui a garritu verborum inutilium  
 abstinet, & in secreto cellæ solus residet; vt maiorem pacem ha-  
 beat, & nulli onerosus loquendo existat. Ille verò faciem templi  
 coronis aureis ornat, qui præclara gesta sanctorum libenter legit,  
 scribit, & prædicat; & ad incitamenta virtutum, eorum præmia  
 aliis denunciât, ne in tentationibus deficient. Ille aureos clypeos  
 in Ecclesia pro ornatu suspendit, qui veteris & noui Testamenti  
 Patres, quantis virtutibus fulgeant, proximis suis ad ædificatio-  
 nem narrat: Qui Martyrum certamina, ad tolerandum aduersa  
 recitat; labores Confessorum ad abstinendum cōmemorat; tro-  
 phæa virginum ac viduarum continentiam, ad castigandum cor-  
 pus beatificat; libros doctorum & sermones prædicatorum, ad  
 studendum, legendum, scribendum, dignè commendat, & alio-  
 rum bona opera, ad laudem Dei & decorem sanctæ Ecclesiæ re-  
 plicat & expandit. Ille pulchras imagines pingit & ornat, qui vi-  
 ta & moribus proximum ædificat. Ecce tot aurea scuta fulgent in  
 Ecclesia, quot sunt sanctorum nomina, quot festa, quot sacra  
 verba, quot bona videmus exempla.

4. O quàm magna festiuitas celebratur, in dedicatione ecclesie  
 triumphantis; vbi omnibus deuictis hostibus, cuncti simul gau-  
 dent sancti cum Angelis, amicti stolis albis, & coronati coronis  
 aureis nunquam perituris. Ibi quippe æterna laus & gloria, sine  
 cessatione mansura. Ibi vox dulcis sine rancore, cantus altus sine  
 labore, pax ingens sine timore, lætitia sine mœrore, amor sine  
 hiuore, scientiâ sine errore. Ibi abundantia sine defectu, dignitas

Felicitas  
 in cœlesti  
 Hierusalē  
 quanta.



sine despectu, sanitas sine interitu, iucunditas sine fletu, securitas sine metu, voluptas sine vitio, satietas sine tædio, claritas sine nubilo, veritas sine ambiguo, puritas sine piaculo, libertas sine obstaculo, conscientia sine scrupulo, summa felicitas sine termino, omnia bona in Deo. O quàm festiuè gaudent ibi sanctorum animæ, à vinculo corporis absolute, ab omni labe peccati purgatæ, Deo intimè coniunctæ, sine medio vnitæ, per ambitum cæli volantes liberè, canentes & gratias agentes Deo lætissimæ: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

*Psal. 123.*

5. Quoties ergo adest aliqua festiuitas sanctorum in ecclesia, recordari debemus qualis & quanta sit in cælesti patria, & despiciere omne, quod delectat in hac vita. Beati religiosi, qui à secularibus turbis remoti, à tēporalibus curis liberi, à passionibus tranquillissimi, ad cælestia oculum mentis dirigunt: & præ dulcedine amoris intimi, quem sentiunt, dissolui & esse cum Christo concupiscunt. Beati, qui ad cælestem dedicationem & ad cœnam agni vocati sunt: & ita se student præparare, vt cum electis digni sint intrare. Vox vera: Nemo potest hîc gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo. Amœna prata, stultos ducunt ad hospitia praua. Et qui modò delicias & honores semper quærunt, post breue gaudium inuenient æternum ignem & luctum.

*Phil. 1.*

*Apoc. 19.*

*In profanantes festa.*

6. Heu miseri & insensati amatores seculi, qui festa Christi & Sanctorum honores in conuiuia ciborum & ludos cōuertitis, vbi manebitis? Vt vobis, qui Iesum deseritis, & mundum requiritis: Sanctos negligitis, & vagos ac lubricos vobis associatis: Angelos offenditis, & demones lætificatis. Væ, qui simplices deridetis, & fallaces commendatis: rosas virtutum conculcatis, & spinas peccatorum colligitis: præsentia bona aspicitis, & futura mala non præuidetis, nec timetis. Cur stulti vosipsos decipitis, & ad rectam viam non reditis? Timete Deum, nequando irascatur Dominus, & pereatis citò de terra cum impiis: & recipiatis infernum pro deliciis, quas amastis. Dignus est enim operarius mercede sua, siue bonum, siue malum fecerit in hac vita.

7. Habet etiam felix & sancta mater ecclesia, pro magno solatio & decore domus Dei, multa sanctorum corpora in bona custodia, omni honore digna. Ad quorum aspectum, multi fideles excitantur sæpe ad amorem Dei & fletum, desideranter petentes quotidiana suffragia: vt per eorum sancta merita mereantur peruenire ad gaudia æterna. Quæ est enim Ecclesia vel capella tam pauper & modica, quæ non habet vel procurat habere aliquas sacras reliquias, pro ornatu oratorij sui, ex deuotione erga animas Sanctorum regnantium cum Christo in gloria? Nam sacra ossa sanctorum humiliter venerari, Christum est honorare; in quibus habita-



habitavit Spiritus sanctus: à quibus victus est mundus, & diabolus per fidem Christi confusus. Sperandum igitur indubitanter, quòd libenter orabunt pro nobis amicis suis in terra degentibus, quos viderint in oratione ferventes, & oculos crebrò ad cœlos cum gemitu levantes, & omnia propter Christum ex animo relinquentes.

8. Iuvat etiam non modicum infirmos animos ad lætitiã cordis, si in festis, melioribus vestibus & cappis, sacerdotes & ministri induantur, pro diuino officio decentius celebrando. Si floribus & frondibus altaria & loca sacra adornentur; quatenus per externa signa, torpentium corda ad meditandum cœlestia bonacitiùs accendantur. Nihil tamen in his caremoniis, cultibus, & ornatibus, inaniter pro humana laude & propria complacentia fieri debet; ne Deus, qui corda humilium respicit, vanis clamoribus & vagis moribus offendatur: ne festum temporale in vitium animæ ex aliqua leuitate aut curiositate conuertatur. Non enim est speciosa laus in ore superbientis, nec placent Deo labia sonora, vana gloria fœdata, vel discordi voce prolata. Dicat ergo grates Deo omnis deuotus orator, iubilet Domino laudes omnis ardens amator, cantent & laudent Deum omnes animæ sanctorum cum Angelis in cœlo, cantent & laudent Deum omnes Ecclesiæ terrarũ cum fidelibus in hoc mundo, dicētes: Te decet laus & honor Domine, pro tua maxima dignitate, in secula seculorũ, Amē.

SERMO XXX.

*De quatuor conditionibus, ad ædificationem & decorem domus Dei pertinentibus.*

1. **D**omum tuam Domine, decet sanctitudo, in longitudine dierum. *Psal. 92.*  
Dilecti fratres, sitis circumspecti & custoditi in omni loco & tempore, maximè autem in Ecclesia, in choro, & in diuino officio, vbi à multis potestis considerari. Vos estis templum Dei, *2. Cor. 6.* vos estis domus Dei, vos elegit Deus in hæreditatem sibi, quibus promisit dare regnum Dei. Notate ergo conditiones quatuor, ad decorem domus Dei pertinentes, & ad sanctitatem veræ religionis perducentes. Omnis bona domus debet habere fundamentum firmum, parietes rectos, fenestras claras, & tectum integrum.

2. Primò, debet domus animæ nostræ habere fundamentum profundæ humilitatis, ne totum ædificium cadat ab alto clatioris, in barathrum æternæ damnationis. Idcirco multi ceciderunt de statu religionis, in varias tentationes diaboli & vitia carnis; quia non habuerunt nec steterunt super firmum fundamentum veræ humilitatis, quæ hominem custodit ab innumeris diaboli insidiis & casibus. Felix anima, quæ honorem temporalem non

Quatuor ad sanctitatem veræ religionis perducent. Humilitas, ædificij spiritalis fundamentum.



appetit, sed omne commodum pro posse vitat, & despectum pro maximo lucro reputat. Dixit quidam deuotus: Qui me laudant, sapè decipiunt; & qui me vituperant, bonum mihi sapè faciunt. Vnde Dauid sanctus orat: *Non veniat mihi pes superbia.* Quare? Ibi enim ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare. Et quare non potuerunt stare? Quia superbi fuerunt, & Deo gratias non egerunt. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Nemo quippe secure & iuste laudatur, nisi verus humilis: cui sordescit mundus, & omnis gloria eius. Qui ergo vult bene & firmiter stare, fundamentum humilitatis teneat, ab humilitate non recedat, quantumcunque laudatus fuerit & honoratus. Caueatis fratres, ne totum præmium laboris vestri perdati per superbiam & vanam hominum laudem; ne cum diabolo cadatis in damnationem & ignem æternum. Transiit citò, tanquam fumus omnis delectatio carnis, omnis honor & gloria temporalis, sed non citò transiit poena infernalis, immo in æternum durabit ignis ille sulphureus, impiis præparatus.

Quatuor  
Euāgelia.  
quatuor  
sunt pa-  
rietes do-  
mus Dei.

3. Secundò, debet domus animæ nostræ habere quatuor parietes rectos & firmos, sursum erectos & coniugatos, non de curuis lignis & asseribus ruptis, sed de lapidibus preciosis, artificiosè quadratis & bene politis. Hi sunt quatuor sancta Euangelia, de incarnatione Christi veraciter conscripta, toti mundo ad rectè credendum, & iustè ac piè viuendum, salubriter destinata. Isti parietes sunt sicut muri fortissimi, & sicut turres Hierusalè cum propugnaculis suis; qui cadere non possunt, nec in æternum perire, quia veritas Domini ab æterno, & vsque in æternum permanebit. Quantumlibet ergo sæuiat mundus contra fideles, humiles, & deuotos, aut tentet diabolus, aut persequatur tyrannus, aut rapiat auarus: non tamen conturbabitur iustus, in Domino confidens. Etsi maledicat malignus, irideat paganus, deludat Iudæus, arguat astutus, reprobet philosophus, dubitet incredulus, erret hereticus, latret blasphemus, clamet obsessus, terreat gladius iratus, mordeat dentibus insanus, semper tamen præualebit contra mendaces homines veridicus Christus, & vincet cum eo fidelis Christianus, veris verbis eius confortatus: *Nolite timere pusillus grex. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarii vestri.* Nam facilius est cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Qui ergo sequitur Christum, & rectè credit, ac bene viuit, sicut Euangelia docent, & sancti doctores planè exponunt, habet quatuor parietes rectos & firmos diuina charitate connectos, qui templum animæ suæ valde muniunt, & omnes dubita-

Psal. 99.

Christus  
veritas  
vincet.  
Luca 12.  
Luca 21.  
Luca 16.



tiones ex animo repellunt. Sic enim sunt in homine fidei & deuota anima, sancti Euangelij verba diuinitus inspirata: sicut aurea scuta, contra ignita diaboli tentamenta, & carnis blandimenta: sicut preciosi lapides in pectore Aaron sacerdotis, contra mundi errores: sicut candidę margaritę in corona virginis, contra cogitationes iniquas: sicut lampades ardentes in medio Ecclesię, ante Dominum cęli & terrę clarissimę lucentes; & sicut columnę ærę argento decoratę, totum ædificium templi sustentantes.

Exod. 28.

4. Felix anima, cui placet & sapit omne verbum, quod de ore Dei procedit, & quicquid in Euangelio Christi audit & legit. Quanto enim sapius quis euangelica verba audierit & legerit, atque attentius cogitauerit & ruminauerit; tanto in virtutibus plus proficiet, & domus anime eius firmitus stabit, pulchriusque fulgebit. Multum quoque in fine gaudebit, qui Iesum intimę diligit, & specialem gratiam ab eo, ob eius memoriam, obtinebit. Ipse enim ait ad dilectos discipulos suos, in mundo exulantes; *Manete in dilectione mea. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Si vultis ferre fructum multum, & augere meritum laborum vestrorum, tunc eatis per arctam viam, relinquendo propriam voluntatem vestram propter obedientiam, quę ducit recto itinere in vitam æternam. Si vultis etiam scire summam omnium librorum, tunc studeatis sequi Christum per crucem & contemptum omnium mundanorum, & inuenietis requiem animabus vestris, & aperietur vobis regnum cęlorum. Purgetis proinde agrum cordis vestri à tribulis & spinis vitiorum; & recipietis gratiam Christi, & amicitiam omnium sanctorum Angelorum. Orientur enim profectò vobis laborantibus in vinea Domini, multę in anima virtutum species: scilicet, pro lappa superbie, nardus humilitatis; pro vrtica libidinis, lilium castitatis; pro absinthio iracundię, ficus mansuetudinis; pro spina inuidie, rosa charitatis; pro tribulo tristicię, botrus spiritualis lætitię; pro zizania discordie, balsamum suavis concordie; pro iunipero læfionis, oliua fraternę compafsionis; pro fabula dissolutionis, myrrha deuotę meditationis.

Ioan. 15.

5. Tertiò, debet domus anime nostrę habere septem fenestras claras, ad recipiendum lumen cęli, Deo semper apertas, sed contra diaboli tonitrua & fulmina clausas. Istę fenestrate sunt septem dona Spiritus sancti, quę illuminant animam per veritatis cognitionem, & accendunt intus per amoris feruorem. His donis acceptis & accensis fugantur tenebrę peccatorum, & deliciae sensuum exteriorum; quę excæcant oculos stultorum, respicientium vanitates mundanorum; qui negligunt (heu) gloriam beatorum



beatorum in regno cęlorum. Cauendum ergo valde, ne fenestra animę nostrę obscurentur fumo iracundię, aut nebula tristitię, aut puluere vanę glorię, aut turpi imaginatione, aut longa confabulatione. Vitandum præcipuę, ne fenestrę nostrę, illuminatę spiritu sapientię & intellectus in scriptoris, rumpatur duris verbis: aut luto malę suspiciõis inquinentur, aut temporalibus curis nimis implicentur, & sic à superni luminis claritate distrahantur; & cęlesti consolatione sæpę priuentur. Cautę igitur omnino custodiendę sunt fenestrę domus nostrę, in omni loco & tempore, ob fragilitatem humanę vitę; quę de facili declinat à deuotiõis feruore ad terrenas occupationes, pro recreatione, aut sub specie vtilitatis alienę. Sed fallit sæpę Deo vacantem angelus fatanę, sub specie recreationis externę. Ideoque deuotis precibus amplius est insistendum, & sacris meditationibus fenestrę domus nostrę fortius sunt muniendę, ne diabolus locum intrandi habeat per euagationem mentis, & hoc maximę in tempore orationis & studio sacrę lectiõis. Venit enim Satanus occultę per ostium visus vel auditus, cum phantasiis externis, quærens rapere psalmũ vel verbum ex ore legentis, aut suadens exire chorum ex tadio mentis. Quapropter magnopere satagendum, & ad interiora tempestiuę reuertendum; quatenus Christo veniente & ostium pulsante, statim ipsi aperiatur, & lux gratię eius dulciter influat, & totam domum mentis illuminet, purificet, & sanctificet; & ab omnibus irruentibus vitiis, cautiũs custodiat & defendat.

6. O benignissime Domine Iesu Christe, misericordia mea & refugium meum in omni tribulatione & angustia mea. O vtinam digneris quandoque cum cęlesti numine, comitantibus Angelis, in domum animę meę intrare; & cum aureo thuribulo aromatibus pleno, omnia interiora mea thurificare; & cor meum in templum sancti Spiritus consecrare; cruce sancta signare, oleo gratię inungere; auream vrnã cum manna ibi reponere; & librum legis tuę, lateri meo fixę applicare, vt in eo studeam ac discam cęlestia ac diuina mandata tua die ac nocte, quamdiu dego exul in terra. Debet etiam domus animę nostrę habere quatuor fortes trabes, ne elationis vento parietes moueantur, aut maledictiõis iaculo aliquis percussus, à veritate Euangelię, & sanctitate humilis vitę recedat. Omnia enim sine humilitate & firma custodia, periculis patent & ruinis. Teneat ergo anima fidelis trabę iustitię, nulli inferendo iniuriam. Teneat trabem fortitudinis, pię sustinendo aliorum malitiam, teneat trabem temperantię, refrenando carnis petulantiam, teneat trabem prudentię, cauendo erroris fallaciam. Fili à iuuentute accipe doctrinam, discite à sapiente sapientiam, vt sis prudens; est enim ignorantia mater erroris.



roris. Noli etiam esse negligens, quia negligentia est perditio multi boni operis & temporis. Quis facile recuperabit tempus amissum? Vna hora silentij cum Deo expensa, plus latificabit conscientiam, quam tres horæ vanis fabulis consumptæ. Sitis ergo charissimi diligentes in opere, custoditi in ore, simplices in malo, prudentes in bono; deuoti Deo, benigni proximo; alieni mundo, propinqui cœlo.

7. Quartò, debet domus animæ nostræ habere tectum solidum & integrum, contra pluuiam & ventum; ne opus bene inceptum pereat, ante finem completum; & incurrat scandalum, qui reliquit ex incuria tegere domum bene fundatam. Dicit Sponsus in Canticis, *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.* Ex duobus lignis sunt tigna, quæ in vertice domus sunt iuncta, & inferiùs diuisa, sed clauis parietibus affixa. Habeat ergo anima constantiam in principio conuersionis suæ, ad proficiendum in virtutibus. Teneat etiam perseuerantiam boni operis, vsque ad exitum vitæ de ergastulo corporis; vt consequatur pro breui labore certaminis, præmium æternæ beatitudinis. Cum istis duobus lignis constantiæ & perseuerantiæ, construitur & perficitur tectum animæ fidelis, quæ facta est ad imaginem sanctæ Trinitatis. Multi feruenter incipiunt, sed paulatim tepescunt; ad exteriora se vertunt, & negligunt perficere, quod inceperunt. Horum domus, sanum tectum non habet: ideo cogitationes malæ sæpè intrant, quæ conscientiam maculant, & deuotionis gratiam perdunt. Tandem vento tentationis duriter flante, aut cadunt à bono proposito, aut cogitant recedere à loco suo instigante diabolo. Isti ergo, nisi consilio Prælatorum acquiescant, diu cum bonis perseuerare non possunt. Noli homo fragilis, à statu religionis & à sancta congregatione recedere: sed sustine per modicum tempus, propter spem æternæ retributionis in cælestibus gaudiis. Sta in bono proposito firmiter, acquiesce consilio humiliter: certa quotidie viriliter, labora diligenter, ora frequenter, sustine patienter, indulge libèter, expecta longanimitè, spera confidenter, perseuera constanter, & coronaberis à Deo corona gloriæ indubitanter. *Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Constantia  
& perseuerantia  
tecti domus Dei.  
Cant. 1.

Matth. 24.

8. Vtile est etiam domum nostram tegere lapidibus petrinis, ne ventus elationis inflet, aut imber carnalis delectationis conscientiam maculet. Tegula petrinæ sunt exempla & verba Christi, quæ nos docent diabolo resistere: & contra prauas suggestiones, bonas meditationes assumere; & die ac nocte, in oratione vigilare. Felix anima, quæ vitam suam, ad bonum perseuerantiæ finem perducere meretur; vt post multos labores corporis & dolores cordis, possit dicere in fine, quod Christus dixit in cruce:

Cor-



Ioan. 19.

*Consummatum est.* His paucis ad laudem Dei de domo & templo animæ dictis, multa gratiarum actiones Deo referendæ sunt, etiã pro minimo verbo & cogitatu bono desuper inspirato.

Beneficia  
multa in  
domo Dei  
Christia-  
nis confe-  
runtur.

9. Debet ergo omnis sacer locus, à nobis in reuerentia semper haberi, propter multa beneficia, quæ ibidem orantibus solent deuotis præstari. Ibi namque peccator pœnitens & orans, accipit veniam; iustus gratias agens, meretur gratiam. Ibi pauper gemens & orans accipit eleemosynam; diues compatiens & tribuens, meretur Dei misericordiam. Ibi sacerdos celebrans offert Deo sacrificium, omni sacrificio dignius, pro se & aliis multis orans, & genua flectens. Ibi Missam audiens sæpè compungitur, vsque ad lachrymas intimè dolens. Ibi deuotus orator, infra Missam cogitat sacrã Christi passionem. Ibi peregrinus viator, ambulaturus per terram & aquam accipit benedictionem, & boni itineris ducem Iesum Christum amicum fidelem. Ibi minister Sacerdotis supplet Angelorum locum, per obsequium maximè Deo gratum. Ibi communicans recipit sanctissimum corpus Domini, Angelorum cibum, præ omni dono dignissimum. Ibi iturus ad laborem per diem, accipit à Deo confortationem, tristis consolationem, timidus fiduciam, compunctus deuotionem. Ibi tentatus inuenit remedium, anxius consilium, defectuosus auxilium. Ibi sanus accipit lætitiã, infirmus medicinam, moriturus ab hoste in via tutelam, defunctus à pœnis liberationem per Missarum celebrationem. Bonum est ergo domum Dei intrare, ecclesiam visitare, Missam audire, cœmeterium circuire, pro mortuis orare, sacra loca & altaria adornare, reliquias conseruare, imagines sanctorum honorare, super omnes sanctos & sanctas sacramentum Christi suppliciter adorare, alta non discutere, difficilia nolle penetrare, secreta humiliter venerari, profunda Deo cõmittere. Nam veritas neminem fallit, omnipotens Deus omnia potest. Qui vult bene stare, & Deo placere, debet de omnibus malis præteritis multum dolere, etiam de bonis neglectis, & peccatis confessis. Salus animæ sæpè gemere, sæpè orare, sæpè confiteri, sæpè communicare. Deuotionis signa sunt, sæpè bona proponere, sæpè bona cogitare, scribere, legere, hymnos & psalmos ruminare: nunquam otiosi, friuola vitare, fructuosa operari, corde Deum amare, & ore deuotè laudare.

10. Fratres, modò est tempus gratiæ, modò debemus quærere, petere, & pulsare, & omni conatu ad recipiendam Dei gratiam nos aptare. Modò possumus omni die & in omni loco æternum regnum promereri, & æternas euadere pœnas, si per Dei gratiam veram agimus pœnitentiam. Nondum clausa est porta cœli, iasua patet; qui parati sunt, intrent: qui non sunt parati adhuc,  
melius



mélius se studeant præparare, & vitam perfectiùs emendare: vt Christo veniente & vocante, digni sint cum iustis lætanter intrare. O fidelis & humilis anima, considera, quàm magna est misericordia Dei super te, in omni vita tua? quia non statim se vindicat: sed diu expectat, & ad se piè reuocat. O felix mater ecclesia, verè apud te est Deus absconditus, thesaurus infinitus, copiosa redemptio, & salus æterna. Oculus humanus non vidit, nec videre potest: nec intellectus aliquis capit, nec ratio fragilis penetrat, qualiter Deus in sacramento verè totus sit; manducatur, & tamen integer semper manet. O quàm magna mirabilia agit Deus in Sacramento, cui nihil impossibile est facere, quodcumque voluerit in cælo & in terra, pro sancti nominis sui gloria, & æterna memoria. O salutaris hostia, quæ cæli pandis ostium? Quàm mirabilia dicuntur de te. Quàm ineffabilia sunt omnia quæ latent in te. Quàm piè & veraciter creduntur de te, & inuisibiliter operantur per te. Hæc nobis proponuntur fideliter credenda, reuerenter celebranda, desideranter sumenda, suaviter gustanda, incessanter recolenda, ardentè amplectenda, & quotidie pro omnium salute gratissimè Deo patri offerenda. Nam quoties Missa celebratur, & hostia verbo Dei consecratur: toties Deus noster ad homines venit, pro hominibus de cælo descendit, cum hominibus manere desiderat: quos creauit & redemit, ac in æternum beatificare intendit, sicut promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* *Matth. 28.*  
 O solatiofum verbum. O pium & fidele testimonium. O magnum & indubitabile diuinumque promissum; Deum habere secum in sacramento præsentem, quem Angeli habent & adorant in cælo regnantem.

II. Quando ergo sacra hostia in altari, sacerdotis manibus leuatur, & hominibus adoranda ostenditur; tunc Christus pro nobis passus & crucifixus, sub mystico velamine præsentatur, verè adoratur, deuotè inuocatur, dignè honoratur. Quicumque igitur voluerit templum Dei intrare & orare, aut legere, aut cantare, aut Missam audire, vel celebrare; debet priùs se præparare, & cum pia intentione ita se disponere ac cogitare, quasi ad summum Pontificem & Imperatorem esset iturus, in necessaria causa aliquid petiturus pro se & amicis. Iuuat enim orantem & psallentem, in omni loco & tempore cogitare Deum quasi præsentem, & se cum sanctis Angelis feriosè claris oculis respicientem. Qualem autem quisque ante orationem se disposuerit, talem se postmodum in oratione frequenter inueniet. Vagus vagè orat, leuis leuiter cantat. Attende homo fragilis reuerentiam Dei, & cum sancto Dauid ingredi in locum tabernaculi admirabilis, in timore  
*Psalm. 47.*  
 sancto.



Luce 18.

sancto. Non præsumas de teipso, sed cum publicano pete misericordiam & veniam in præsentis exilio, vt in futuro merearis cum Lazaro habere æternam requiem & gloriam in cælo. Quam nobis omnibus præstare dignetur Iesus Christus Dei filius, ex Maria Virgine natus, pro nobis crucifixus & immolatus, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Luce 16.

SEQVNTVR QVÆDAM EXEMPLA,  
ÆDIFICATIONIS GRATIA.

1. *Exemplum.*

12. **Q**uidam religiosus frater domus nostræ, intēdens celebrare Missam, prius ex charitate visitauit alium fratrem grauius ægotantem. Rogauit ergo infirmus, vt pro eo Dominum in Missa fideliter oraret; vt si Domino placeret, iterum conualesceret. Tunc sacerdos misericordia motus, satis affectuosè & instanter opus charitatis implere cupiens, pium Dominum pro salute fratris orabat. Missa verò finita, statim ad infirmum iteratè accessit, & qualiter secum esset, interrogauit. Respondit infirmus: Deo gratias, scio me melius habere ex virtute Missæ, quàm pro me hodie legistis ex charitate. Post paucos dies frater ille infirmus recoualuit: & in sancta religione multum in deuotione proficiens, & deuotos libros & orationes sanctorum libenter legens, Deo disponente tandem post paucos annos ad prioratum electus est.

2. *Aliud Exemplum.*

13. **F**rater quidam senior in conuentu nostro, quodam tempore graui dolore viscerum torquebatur; vt nec sedere, nec quietè dormire posset præ dolore, quem intus patiebatur. Cumque per totam noctem, & ferè vsque ad meridiem sic grauaretur, nunc iacens, nunc se erigens, leuamen quæreret, nec remedium inueniret; venit ad eum quidam laicus deuotus visitandi gratia, & compatiens ei dixit consolando: Surgatis & veniatis mecum ad ignem, spero quòd vobis proderit, sicut etiam expertus sum in meipso & in aliis, hac passione grauatis. Acquieuit ilico frater monitis, & descendit de dormitorio doloribus nondum mitigatis. Veniens ergo ad ianuam chori, aperuit ianuam, cupiens inuocare auxilium Domini. Intrauit itaque chorum, & prostrauit se flexis genibus ante summum altare super scabellum, in præsentia Sacramenti. Cumque cœpisset orare in conspectu Domini, & ante sacras reliquias in altari conclusas; paulatim dolor quieuit, & accepta fiducia, prolixius orabat, donec omnis dolor cessaret. Tunc surgens, gratias egit Deo, & Sanctis eius, & S. Pantaleoni martyri Christi, cuius tunc festum erat, & quem sincero corde diligebat. Postea cum lætitiâ mentis altare circuiens, & ostium Sacramenti deuotè osculans, descendit ad reliqua altaria in Ecclesia posita,



posita, orans, & gratias agens : in tantumque conualuit, vt cum fratribus ad laborem & ad chorum eodem die transire posset.

3. *Aliud Exemplum.*

14. **L**aicus quidam familiaris in quadam domo ordinis nostri, venit ad Ecclesiam causa deuotionis, vt oraret : sed diabolo tentante & pigritia præualente, cœpit ibidē dormire. Cumque ad quiescendum deorsum se collocasset, vidit in somno reuerendam Dominam sibi assistentem, & hæc verba dicentem : Si vis dormire, surge hinc, & vade ad lectum tuum. Non enim locus iste factus est ad dormiendum, sed ad vigilandum & orandum in eo. Qui ex visione pauefactus, statim surrexit ; & culpabilem se cognoscens, aliis ad cautelam emendationis, ne in domo orationis dormitarent, ista narrauit.

4. *Aliud Exemplum.*

15. **P**auper quædam muliercula, diligens quæ Dei sunt, frequenter Ecclesiam visitabat, & verbum Dei libenter prædicare audiebat. Quædam ergo vice de Ecclesia veniens, interrogata est, quid boni de sermone retinisset ? Quæ breuiter respondens ait : Nescio vobis multa dicere, sed hoc bene audiui & retinui, quoddam de cætero nolo peccare. Bene & prudenter respondit, quæ fructum boni sermonis secum portauit, ne amplius peccaret. Vnde Saluator noster in Euangelio deuotæ mulieri ait: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Lucæ ii.

# SERMONES IX.

## AD FRATRES.

### Sermonum ad Fratres argumenta.

<b>D</b> e abnegatione sui ipsius, & contemptu consolationum terrenarum.	Sermo 1.
De mœrore & consolatione animæ in Deo.	2
De duplici compunctione animæ, pro cœlesti patria.	3
De laudibus preciosa margarita castitatis.	4
De custodia castitatis.	5
Contra carnalia tentamenta.	6
De bono solitudinis, exemplo Christi & Sanctorum Patrum.	7
De bono silentij, & fructu eius.	8
De solitudine cordis, in qua supra se leuatur anima.	9



## SERMO I.

De abnegatione sui ipsius, & contemptu consolationum terrenarum.

Luca 14.

I.



*VI non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Isthis verbis Dominus Iesus videtur illos arguere, qui perfectionem quam inchoant, vsque ad consummationem, non sequuntur. Initium enim dum quidam arripiunt, relinquendo exteriora quæ possident, ad hoc quod perfectius est, (scilicet seipsos relinquendo, voluntates proprias frangendo) non assurgunt. Et ideo multoties ad priorem statum reuertuntur. Quia ex quo partim aliquibus renuntiant, neque iuxta sententiam Domini cuncta terrena perfectè deserunt; adhuc laqueos, quibus capiuntur & relabuntur, in se retinent. Sed omnis verus Christi discipulus, tã se quàm sua, propter eius amorem contemnat, nihil de terrenis tenere velit; ne impediatur in itinere, quò tendit. Discat seipsum, per ardorem virtutum & gratiam S. Spiritus vincere; qui antea potuit eius inspiratione mundana contemnere. Beata mens, quæ omnibus renuntiare nititur, quæ in umbra huius vitæ florere videntur.

2. Hæc perfecta est renuntiatio, seipsum ex corde relinquere, nulliusque creaturæ solatium querere: quia dum temporale aliquid inordinatè appetitur, vera abdicatio non habetur. Et quando ad contemptum præsentium Christi seruus non nititur, parum de diuina consolatione percipere meretur. Qui enim foris sequitur, quod appetit; in Dei amore & in sancto proposito refrigerat. Sed pensare sapius & meditari talis debet, quàm citò perit, quicquid charum & magnum æstimatur, tam de hominibus quàm etiam de vniuersis mundi creaturis. Hoc corde pertractet, quia in vno statu non manent; sed mutantur omnia & deficiunt. Ergo ibi solatium quærat, vbi solius veritatis & eternitatis plenitudo est. Et ex indeficiente fonte, ad refrigerandum seu consolandum animam suæ, haustum aquæ viuæ petat: quia nobilior est guttula vna diuinæ dulcedinis, quàm puteus plenus voluptatibus terrenis. Fallitur omnino, quicumque in hoc tempore solatiari amat. Perit ab eo veri gaudij solamen, quisquis mundi huius sequitur fallacem amorem.

3. Quàm felix & sancta anima, quæ solius Dei pascitur amore, & sanctarum virtutum trahitur odore; cuius tantum propositum est, vt visibilia contemnendo, inuisibilibus & diuinis saginetur. Talis multū sapiens esse liquidò demonstratur, quia pro modicis immensa, pro transitorijs perpetua, pro vilibus preciosa, pro deformibus



formibus pulchra, pro miseris iucunda, pro amaris suauia, & (quod sublimius est & verius) pro nihilo vniuersa mercatur. Ista enim iam in terris caelestem Sponsum quærit, cuius amore præsentia fastidit, futura diligit, & aduentum eius præstolatur, vt audire ab eo mortis tempore possit: *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* Hæc calibem agit vitam, & angelorū sequitur formam, atque Christo soli exhibere se curat illibatā. Vult ergo interim cunctis carere solatijs, vt ab eo mereatur cōsolari plenius. Et deflet omne quod mentem de terrenis afficit desiderijs, alioquin illius non posset munda præsentari aspectibus. Vnde etiam tanto rigore se constringit intus, vt quicquid de cætero extrinsecus se applicauerit, indignando potius quàm probando expellat. Nec mirum. Timet enim, ne angustia illi fieret vnus amor, quem diligit. Optat soli adherere, quem cum multis perfectè casteq; nequit diligere. Hinc est, quòd vna ex his loquitur: Illi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo.

4. Habet tamen in exilio præsentis vitæ solatium, sed nõ gaudium plenū. Suscepit Sponsi arrham, sed nõ ipsum. Legit epistolam de nuptijs scriptā, sed nondū venit hora eius. Et cum venerit, tunc introducetur, nec mora erit. Vestes & ornamēta per legatos accepit, sed tunc duplicibus vestietur. Solatium namque eius, memoria Christi est, & amplius illi solatiū fit, quia diu hic non erit; quia statim ipse veniet, ostiumq; pulsabit, & dicet: Surge, & veni. Sed quid ipsa? Nõne ad hanc vocem euigilabit? Surgat itaque, prospiciat per fenestram, si ipse est, quem diligit: & cum iterum atq; iterū pulsauerit, sine mora arripiat, & illi dicat: *Ecce ego, quia vocasti me.* Si me quæris, præsto sum Domine. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Non me permittas Domine diutius separari à te, sed in bonitate tua suscipe me. Et quantū lætabitur, si tale aliquid à Domino audire mereatur: Sequere me, tempus est, vt pariter epulemur? Eamus iam, non ad vineam excolendam, sed ad vinū optimum bibendū. Eamus, non iterum in Iudæam, sed in patriam meam. Ascendamus ad diem festū hunc, quia magnus iste dies festus angelorum & hominum.

5. Sed quid de te, o anima mea in corpore peregrinante, & iam diu expectante, & quotidie in oratione tua dicente. Adueniat regnum tuum? Quando videbo? Putas, de me recogitet? Putas, obliuiscetur misereri Deus? Quando apparebit, & quando veniet? Sed fortè in cubiculo est, & dormit. Nunquid tu dormies, & cor tuum non euigilabit? Clamabis igitur, si dignetur audire, & pulsabis cordis voce, dicens: *Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem.*

6. Sed fortassis secretiori adhuc consilio & saniori iudicio



Psal. 33.  
2. Cor. 5.

Dominus differt, quòd tu (ò anima) magis impetu quàm discretionem facis. Pausabis igitur parum, sed sub umbra eius, nec in æstibus mundi quiesces. Melius tibi mori est, quàm mundo vivere. Felicius tibi lugere, quàm de iis, quæ non sunt & videntur, gaudere. *In Domino consolabitur anima mea, audiant mansueti & latentur.* Quamdiu enim sancta anima viuit in corpore, peregrinari se à Domino dolet: sed quia voluntas eius est, peregrinationem patienter sustinet. Ut interim tamen alium dilectum non quærat vel eligat, illius amore certare fortiter necesse habet: quia multi aduersarij, multi ad decipiendum parati. Et ideo districtè castigare debet, quicquid foris se finxerit amabile. Nec alicui quantumlibet blandienti credat, ne delicti amicitiam fraude capta perdat: *Qui dum Sponsus abest, lugere magis eius absentiam debet, & viduitatis tempus cognoscere: donec veniat, & eam ad se in æterna tabernacula perducatur.* Ibi enim requiescunt sanctorum animæ, non in umbra, sed in præsentia; & serenissimam iugiter specularunt faciem Dei Patris, quem cum filio eius vnigenito dilexerunt in terris, & secuti sunt relictis omnibus.

## SERMO II.

*De mærore & consolatione animæ in Deo.*

1. **S**olet anima deuota, quæ Christum diligit, de eius absentia dolere, & de ipsius spiritali visitatione plurimum consolari. Hoc tamen magnæ dilectionis Christi signum est, non ipsius meritum, quotiescunque ab illo consolatur. Bonum ergo ei est, si se dignam non putet; sed exiguam & insufficientem, ad donum gratiæ eius percipiendum. Quæ est enim anima, quæ tantis beneficiis respondere valeat, etiam si iugiter gratias rependat? Certum est, quòd nulla inuenietur, dato quòd omnium esset repleta sanctorum meritis. Soli namque Deo conuenit præ omnibus sanctis, honor, virtus, & gloria. Animæ autem diligenti Deum magnum est, si pro suo modulo laudare vel exiguum possit, & in sanctis eius mirabilem eum prædicare: Aut si id agere non sufficit, satis imparem laudibus Dei se sentiens, saltem non omittat propriam de flere miseriam. Et istud fortassis multo vtilius proderit, quòd non tam altiora sapere, quàm minora quæque beneficia amare videatur.

2. Congruus ordo ascendendi ad Deum est, ab inferioribus studiis, ad potiora tendere; & rursus ad pristinam infirmitatem, humiliter se reflectere. Ibi igitur maneat diutius, vbi tutior probatur esse locus. Quòd si ascendere ipsam delectat, cum omni humilitate & timore perficiat. In descensu tamen suo, non penitus deiicia-



deiciatur : quoniam humilibus sedes regni cælestis promittitur, sed libentissimè ibidem commoretur. Et si natura horret, & inferior videri non vult carnalis homo, pondere futuri iudicij terreatur, vbi omnes elati confundentur. Beata nimium anima, quæ locum in hoc tempore eligit nouissimum, & sese deflet per momenta singula, quoniam magna eius miseria existit.

3. Multam dolendi materiam habet, quam nec perfectè valet cognoscere, nisi se à terrenis consolationibus exuat, & ad externa bona, fide non ficta transferat. Etenim ex propria fragilitate, quantum ad hæc ima premitur, fidelis anima deprehendit; quod si sine Christi gratia, nequaquam stare, sed neque se eleuare ad cælestia potest. Ideoque indiget, vt à Christo Iesu, per visitationem spiritualem & consolationem internam, sustentetur frequentius; ne absorbeat aliquam delectatione temporalium, aut fallaci suggestionem diaboli auertatur à sancto proposito. Multiplices sunt enim insidiæ & immisiones diabolicæ, quæ caueri absque speciali etiam gratiæ luce non possunt. Diuersæ tentationes, & inopinabiles tribulationes occurrunt plerumque hominibus sanctis, sed benignus Dominus cuncta facit prodesse bonis, super quo benedictum sit nomen sanctum eius. Debet autem Deo deuota anima inter labores, quibus in hoc peregrinationis loco affligitur, de futura sanctorum meditari requie, ne sub onere deficiat: quamuis sæpe tristanti, luctus solet esse solamen. Videns namque ineuitabilem miseriam, quid mirum, si doleat? Considerans quoque grande exilium, quomodo lata erit? Sentiens abesse sæpius, quem intimè diligit, notum est amantibus, quale incommodum patiatur. Verum, qui non amant, ista nesciunt, nec quo dolore anima sancta concutitur: quæ venditis omnibus terrenis, ad quærendum inuisibilem Sponsum se contulit. Talis enim Christum præ omnibus consolationibus, qui Sponsus est & amicus dulcissimus, sui pectoris desiderat habere solatium.

4. Complures terrenam & vanam dilectionem habentes, grauius ferunt dilationem aut ablationem alicuius rei corruptibilis, quam sibi vtilem existimant; gaudentque de prouentu illius, & quotidiano aspectu consolantur. Si sic agitur in insipientium cordibus, fortius flagrare debet anima deuota in amore summi conditoris. Cum ergo per gratiam Christi visitatur, mox noua letitia in ea nascitur, ac æternorum spe erigitur: exultat quoque in desiderio cordis sui, omni que affectu virium internarum, ad hanc gustandam vertitur dulcedinem. Et vt crassius per verbum internum reficiatur, in quo tanta dulcedo exuberat, aperit os suum, & attrahit spiritum, dicens: *Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.* Deus meus, Deus meus, dulcedo non fallax, dulcedo



cedo sola reficiens, virtus & decor animæ meæ, quàm bene mihi in hoc visitationis tempore. Non meis meritis, non meis votis, sed tuæ bonitati ascribo hanc horam, Domine, qui es verus & vnicus omnium mœrentium & te diligentium consolator animarum. Amen.

## SERMO III.

*De duplici compunctione animæ, pro caelesti patria.*

Iob 6.

1. **Q**uis det, ut veniat petitio mea; & quod expecto, tribuat mihi Deus? Magnum desiderium fidelis animæ, præsentis verficulo innuitur; quæ non terrenas res, sed contemptis illis cum concupiscentijs suis, æterna bona sibi largiri deposcit. Illa enim sunt, quæ fidelis anima expectat, pro quibus laborat quotidie tolerando certamina. Verumtamen finiri laboriosam vitam citius optat, & venire beatam requiem, quam expectat, cordialissimo affectu comprecatur. Antequam ad Deum conuersa esset, & cum huius mundi delectationes eam adhuc tenerent, non illa quæ in cælis promittebantur, querere curabat; sed aut ignorans, aut parvipendens inuisibilia bona, satiari visibilibus, & diu illis frui summopere intendebat. Nunc verò ad Christum conuersa, & præsentia nihili pendit, & futura ardentius concupiscit. Simili quoque desiderio ardebat illa prophetalis anima, quæ dicebat:

Psal. 26.

*Vnam petij à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.*

2. Duplici autem stimulo compungitur anima, vt tam instanter & ardentè querat transire ad patriam. Interdum quippe præsentium malorum vrgetur incommodis. Videns namque tam in se quàm in alijs, multiplices tentationes, graues labores, diuersaque occupationes, in quibus multi periclitantur; & pauci illæsi euadunt, prudenter sibi consulens, & alijs compatiens, quamdiu proposito sancto feruet, à miseris istis liberari suppliciter desiderat. Timet enim, ne fortè iterum ad secularia aut carnalia trahatur, aut in alios errores morum, vel leuitates animi iuducatur; quia etsi modò plenam voluntatem Deo placendi habet, non tamen securitatem sic perseverandi accepit. Vnde non immeritò timida, & infirmitatis suæ conscia, patriam supernam petit, & omnibus votis tolli ex hac miserabili vita sanius sibi fore sentit, priusquam (quod absit) nouissima sua, peiora prioribus fierent. Ibi enim omni timore sublato, cum voluntate perfecta, securitas etiam perfectè stabit. Ex hoc ergo stimulo quasi sinistro calcari, equus sancti desiderij valenter instigatur, quo anima cursu incepto, ad patriam pergit caelestem, quia in præsentia non habet manentem ciuitatem, sed nec requiem quidem.

3. Quan



3. Quandoque verò Deo deuota anima, non tribulatione maiorum & dolore afficitur, ad exeundum de carcere suo, sed nobiliori modo, videlicet desiderio visionis diuinæ accensa, trahitur vehementer ad superna. Fitq; ei nimis angusta præsens vita: quia adhuc copia sibi plenitudinis negatur, quæ de fonte magis satiari appetit, quàm sobrijs haustibus refocillari. Valdè autè distat iste stimulus à priore. Nam dextro iam calcari impulsus equus desiderij, tantò expeditiùs fertur ad anteriora, quanto amor plus valet quàm dolor efficere. Huic animæ pulchrè & digniùs aptatur, quod de patriarcha Iacob Scriptura commemorat: *Quia* (inquit) *Gen. 29. seruiebat Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine.* Sic etiam omnis labor paruus videtur amanti Deum, & desideranti claritatem vultus eius inspicere, nec ieiunia horret, nec labores diurnos ponderat, neque elongari ab amicis & proximis triste ducit: sed neque aliquid estimari aut promoueri in hoc mundo, huiusmodi anima curat. Ideo omnia parui pendens præsentia, & vnum super omnia desiderans, eius amore frequentissimè vulneratur, quia quod summè desiderat, adhuc in dies & dies differtur. Quocumque tamen istorum modorum, anima compungitur, tamen in excessu mentis posita, præsentis versiculo desiderium celestis beatitudinis complectitur, ac sapiùs eundem reuoluendo enutrit deuotionem, quam de supernis cõcepit, dicens: *Qui det, ut veniat petitio mea; & quod expecto, tribuat mihi Iob 6. Deus?* Væ ergo omnibus ambulanti bus in desiderijs carnis, qui nec consideratione miserix temporalis oculos ad cælestia leuant: nec magnitudine æternæ felicitatis, ad ea percipienda vitam suam disponunt.

4. Sed nihil tibi & illis, anima fidelis; sine eis agere quod volunt, & implere omne quod delectat; absque dubio constat, quia non diu, neque in perpetuum durabit. Tu verò, sicut nunc audisti, & gauisa es in pollicitatione patriæ cælestis; ita in eius quæso amore, spes tua magis ac magis roboretur, donec brauium laboris tui merearis accipere. Insta diligenter pro virtutibus, passionibus fortiter vince; charitatis & castitatis dona, in custodia humilitatis, sub clausura diuini timoris collige & reconde; ac contra spirituales nequitias arma orationis induc, & semper diuinæ bonitati plusquam propriæ industriæ, in cunctis confide.

## SERMO IV.

*De laudibus pretiosa margarita castitatis.*

1. **L**Oquamur aliquid de laudibus castitatis, & ad decorem eius primò habitorem illius consideremus. Spiritus namque sanctus auctor est principalis innocentis vitæ, & consecrator



Sap. 1.

Castitas  
peculiare  
donum  
Dei.

totius castimonia. Quoniam in maleuolam animam non intro-  
ibit sapientia, & in corpore subdito peccatis Spiritus sancti non  
permanebit gratia. Absque eius speciali munere, castus nullus  
fuit: & nisi illo misericorditer protegente in hac gloria, virgo  
nemo permansit. Gloriosa siquidem continentia virtus, victo-  
riosa castitatis palma, insignis & laudabilis flos virginum inuio-  
labilis. Quanta sit virginum continentiumque gloria, indicant  
ipforum magna certamina; & vincantium perseverantiumque  
paucitas, facit eminentiam huius virtutis lucere magis. Deposita  
omni spe propria, nihil de nostra industria, sed totum de immen-  
sa Dei confidamus misericordia, quæ numquam aberit dilectis  
suis in hac mortali vita. Nam supra nos est hæc virtus, & confer-  
tur tantum diuinitus, neque tamen ingratis aut elatis, sed humi-  
libus & contritis corde, clamantibus quotidie in oratione, & di-  
centibus: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua  
in visceribus meis.* Speremus igitur eius pietate hanc nobis virtu-  
tem ab ipso tribui, quem constat sanctorum lachrymis posse pla-  
cari; cuius etiam inspiratione cupimus de tam admirabili mar-  
garita pauillum loqui.

Psal. 50.

Matth. 13.

2. *Simile est enim regnum calorum homini negotiatori quaerenti  
bonas margaritas: inuenta autem una preciosa margarita, dedit om-  
nia sua, & comparauit eam.* His verbis Christus Iesus Ecclesie  
Sponsus, præmonet & hortatur nos ad amorem castitatis, ada-  
quans illam rebus optimis per figuram preciosi lapidis. Quia ergo  
nemo nobilium inuenitur, qui non velit preciosorum lapidum  
gloria fulciri, dummodo illi facultas assit, ac vestibus valde bo-  
nis non affectet indui, ne vilescat hominibus: multo magis nos  
versa vice, Deo placere studeamus. Sed quæ est ista temporalis  
gloria, & qualis vestium corruptibilium decor esse poterit; cum  
homo exigui temporis sit, tanquam fumus & vapor pertransiens?  
Proinde sit nobis indignum & confusum valde, quod nobis Deo  
consecratis, non est sollicitudo tanta pro immortalis ornatu ani-  
mæ, sicut inesse plerumque cernitur stultis mundi amatoribus,  
pro vili corporis indumento. Nunc ergo, hortatu Saluatoris no-  
stri, demus omnem curam ad comparisonem huius nobilissi-  
mæ margaritæ, si volumus in sanctorum forte splendidi appare-  
re. Minus enim in conspectu summi regis gloriosi erunt, qui cæ-  
teris licet honestantur virtutibus, hanc in se gemmam non ha-  
buerint.

3. Antequam Saluator de caelestibus descenderet, latebat hæc  
virtus; & quantæ esset dignitatis & gloriæ, perpauca innotuit.  
Sed nouus Rex, nouam produxit de caelesti thesauro gemmam,  
& quoniam Sponsus hic erat; contulit hanc ecclesie, & accepit  
eam



eam in suam. Et sic affinitate coniunctus est ei, & ipsa eius sponsa dicitur, propter castitatis fidem & charitatis indissolutionem. Erat satis inaudita prioribus seculis, vox turturis in terra nostra; quando non benedicebantur beatæ steriles, sed recensebantur per Moysen filiorum generationes. Nec tamen omnino videbatur abscondita Prophetis, quamvis non predicabatur popularibus. Quod satis liquet in hoc, cum quidam ex Prophetis more castissimæ turturis, ita insonuit: *Latere sterilis, qua non paris; decanta laudem, qua non pariebas; quoniam multi filij deserte magis quam eius, qua habet virum.* Et in altero quodam loco contemplatus vitam continentium beatissimam, & eam seruantibus à Domino donari specialem gloriam, prophetauit dicens: *Hac dicit Dominus Deus Eunuchis; Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint que volui, & tenuerint fadus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis, locum & nomen melius, à filiis & filiabus.* Ecce non tantum Domini voce commendatur castitas, sed etiam precedentium patrum oraculis est magnificè declarata. Quàm bene decuit, ut vtriusque Testamenti auctoritas, hanc nostris commendaret pectoribus; qua possumus Deo fieri viciniore, & supernis spiritibus semper chariores. *Incorruptio enim, ut scribitur in libro Sapientia, proximum facit esse Deo.*

Virginitas  
& castitas  
neque o-  
lim sub le-  
ge ignota.  
Exod. 3.  
Num. 1.  
Esai. 54.

Esai. 56.

Sap. 6.

4. Quàm splendida & speciosa facta es, ô beata castitas, ut digna videaris ad Agni intromitti nuptias. Hæc est formosa columba, ac singularis amica Creatoris omnium; quæ contemnit confortia mortalium, detestatur omnem carnis saniam, & ad cælestem properat amatoré. Ipsa lilio assimilatur cædidissimo, byssino figuratur mundo, & species eius semper placuit Altissimo. Huius candore reficiuntur sanctorum oculi, & odore famæ eius, trahuntur ad Christum innumerabiles virginum chori. Odor enim nimius est in vestimentis eius, quia castitas spargit vbique fragrantiam sui intacti corporis. Cuncti namq; reuerentiam castis deferunt; & inuenitur etiam inter eos laudabilis, qui nunc munditiam seruant incorruptionis. Contulit hanc gratiam castitati Christus, per inhabitationem sui spiritus; ut sit benedicta ab omnibus, quæ transcendit limites humanæ fragilitatis. Nil sic hominem super propriam fragilitatem eleuat, sicut virtus castitatis, quæ cælis etiam vim infert. Dum enim quis seruat per gratiam in terris, quod per naturam Angelici spiritus in cælis, nonne vim infert cælestibus? Talis enim in Domino gloriatur, & dicit: *Domine, exaltasti super terrâ habitationem meam; & pro morte defluentis depresso sum, & liberaasti corpus meum à perditione.* Cui meritò debetur diuina responsio; *Hac est, qua nesciuit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Et rursus in generali,

Castitas  
cunctis a-  
mabilis.

Ecli. 51.

Sap. 31.



Matth. 22.

nerali, Sponsus congratulatur cælestis: *Ha sunt, qua non nubent, neque nubentur; sed sunt sicut Angeli Dei in caelis.* Iam patet clarior, quia castitas de cælis sumpsit originem, & à confortibus nobilissimis traxit progeniem, cum sit filia cælestis Hierusalem, & cognata supernorum ciuium.

5. In germine & fecunditate eius exultat Spiritus sanctus; nam non præterit tempus, quo deficiat fructificare castas generationes Deo multum acceptabiles, quæ sunt deuotæ orationes, sanctæ meditationes, & mundi cordis affectiones. O quàm pulchra est ergo casta generatio cum charitate, quæ cælum replet incorruptionis suauitate, & fecundat terram conuersationis sanctitate. Tam suauis denique odor inerat castitati, vt æterni regis filius de sola nasci dignatus sit Virgine; consecrans hanc in matre, quam detulit postmodum in dotem sanctæ ecclesiæ.

Virtutum  
plenitudo  
in Maria  
ex gratia  
processit.

6. Non tamen propter solam fatemur virginitatem, quoniam virginitas sola non est, nec sola placuit Christo. Nec angelus inquit, Aue castitate plena, sed aue gratia plena: vt virtutum plenitudo potius referatur gratiæ, quam castitati vel innocentia. Per solam quippe gratiam possidentur, castitatis, humilitatis, charitatis, ceterarumque virtutum charismata. Refulsit namque in Maria præ cunctis excellentius decus virginitatis, cum eius vita (vt ita dicamus) sola castitas & immaculata virginitas extiterit. Sed habuit etiam gratiam perfectissimæ humilitatis, per quã de summo cælo filium Dei ad se traxit. Vnde & de ea scribitur in

Cant. 1.

Canticis: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Est itaque Deo munus valdè gratissimum, habere perpetuæ incorruptionis gaudium, & acceptabile sacrificium cunctis temporibus vitæ suæ, seruire continentia propositum. Stupet natura, mirantur Angeli, lætantur Archangeli, exultat quoque omnis Sanctorum cuneus, in obtutu & pulchritudine huius virtutis. Occurrit etiam Iesus Christus, amator castitatis, conseruator pudicitia, salutans animam quam sibi adoptauit in sponsam, iubilans & modulans in ipsius aduentu carmina quædam ex Canticorum Canticis: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.*

Ibidem.

7. Quid ad hæc dicetis homines corpore & mente corrupti? An non demulcent aures vestras hæ voces gratulabundæ, hæ delicia mundis & castis reseruata? Et si vultis recipere & verè intelligere, seruite munditiæ, studete sobrietati, & mundas manus vestras conseruate. Et veniet à Deo vobis lætitia, & inenarrabilis exultatio; quam soli percipiunt, qui mundi luxus despiciunt, & mentem ab omnibus delicijs eius suspendunt. Eia charissimi, nunc omnes erigamus aures nostras intentius, quoniam venit nobis



nobis Sponsus de caelestibus. Et vos Christi Virgines, ferte lampades iam ardentes, oleum simul deferentes. Ecce ianua patet, quæ parata sunt, intrent. Intremus, intremus per portas, quas aperuit Dominus, ut cum omnibus Sanctis mereamur illum benedicere & laudare in secula seculorum. Amen. Matth. 25.

## SERMO V.

*De custodia castitatis.*

I. Sermone præcedenti, in laudem castitatis quædam diximus, sperantes quod hæc virtus multorum erit grata cordibus, quæ iure nil in se habet offensionis. Et si sunt, qui offenduntur: suæ potius hoc obscenitati, non eius sanctitati imputent: nam castitas velut quidam carbunculus, in sanctorum vita semper emicuit. Confidimus igitur, quod tanto charius amplexabitur ab omnibus, quanto splendidior effecta videtur sacrarum laudum præconijs. Alta profectò laus eius, quæ non ex hominibus sed à Deo procedit, & Sanctorum abundantius declaratur exemplis. Præcesserunt nos multi continentia armis amicti, & fuso sanguine proprio reliquerunt, quid sit agendum nobis de corpore nostro; quia sanctitati, non corruptioni nos optant famulari. Concurrunt etiam hodie sacratissima vtriusque sexus multitudo, ad regales nuptias filij Dei, optans pro illecebris carnis adimpleri Spiritus sancti fructibus, qui sunt, pax, patientia, modestia, continentia, castitas. Et quia tam excellentis est dignitatis, non est mirum, si tepidi in eius deprehendamus laudibus; cum ipsa locum habeat celsiorem, & materiam loquendi ministret copiosam magis peritis. Silere tamen de illa non oportet omni modo, quam tam necessariam nobis agnoscimus: sine qua, nec sanctitatis perfectionem valemus assequi; pro qua in Sanctorum omnium remuneratione, translato laboris onere, in perpetuum beari non dubitamus. Perscrutemur ergo diligentissimè qualiter seruari possit castitas, quibus etiam iuuari remedijs debeat incontinens animus. Ad virtutem quippe castitatis absque labore & certamine non peruenitur; sine timore Dei & sui custodia, nulli in ea perseverare donatur.

2. Grandis quædam custodia, ad conservationem perseverantiamque castitatis, est utique instituenda deuotis; ne videlicet loqui, audire, legere, aut talia intueri velit affectio carnis, unde postea generari queat aliqua occasio tentationis. Verum hi, qui Spiritu sancto irrorante, ab æstibus carnis aliquantulum temperati sunt, & magno iam castitatis munere præcincti videntur, si foris adhuc per sensuum custodiam se non muniunt, periculo rursus & casui appropinquant. Foris enim per

sensus



sensus hauritur, vnde mens casta deturpari, & delectationum for-  
didarum veneno, ad mortem nonnumquam solet infici.

3. Dehinc valdè est necessarium, cordis cubile sollicitibus ob-  
strui; ne visa aut audita prius phantasmata irruant; ne illa, quæ  
videbantur obliuioni tradita, propter hominis incuriam reuer-  
tantur, & pacem cum tranquillitate conscientia de corde tollant,  
sicque de castitatis beatitudine cogitare prohibeant. Cæcatur  
protinus mens pura, si sollicitudinè intimam cum disciplina cor-  
poralium sensuum amiserit, & quæ gaudio perfundi poterat, in-  
dubitanter amaritudini & dolori admiscetur. Quid mirandum, si  
tradatur ludibrio diaboli, quæ pratermisit fidelissimum pactum  
immortalis Sponsi? Auertat benignissimus Saluator Christus,  
talem iudicij sententiam à cordibus nostris; sed dignetur potius  
conferre vberiore spiritus sui gratiam, qua intus sanctificari &  
confirmari, aduersus carnis bella mereamur. Flagitemus ab ipso  
remedia salutaria, quibus concupiscentiæ fomes sopiatur, & ca-  
stitatis augeatur refrigerium, vt simus sanctificationis templum;  
& sicut decet Sanctos, immaculati perseueremus cum Christo,  
quemadmodum Propheta in Psalmo loquitur: *Domum tuam de-  
cet sanctitudo in longitudine dierum.*

*Psal. 92.*

Otium &  
deliciæ  
pædones  
castitatis.

*Ecclesi. 24.*

4. Valet maximè ad castimoniam decus promerendum sobrie-  
tatis virtus, quæ deliciores respuit cibos, & potum effluentem  
refecat: vigilijs sacris atque ieiunijs cõprimere carnis lasciuiam  
suadet, laborare prædicat, occupari semper in Dei opere adhor-  
tatur, quia otium & deliciæ, pædones sunt castitatis. Beatissima  
verò castitas, totius gratiæ & sanctitatis amatrix, sapienter qui-  
dem admonet renuntiare terrenis affectibus: ne cælestibus frau-  
demur muneribus, & ne sanctorum consortijs simus indigni, ita  
iniciens: *Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & magnitudinis,  
& sancta spei. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à gene-  
rationibus meis adimplemini. Qualis ipsa est, tales fieri & alios desi-  
derat.* Nam ipsa liberrima existit, & nulla peccatorum contagio-  
ne violata, manet in innocentia vitæ. Nullis carnalibus resolu-  
tur æstibus, refugit brutorum subdi actibus, & sulphureis consu-  
mi flammis contremiscit, propter creatoris sui reuerentiam. In-  
genua (inquit) sum, & speciosissima in genere meo, vt omnis a-  
ctio, vox, & sermo, index pudicitia protestatur. Ideo obscœnis  
nimium dedignor circumueniri negocijs, solis delector sinceris  
& probis sodalibus interesse. Vox etenim mea in Canticis est:  
*Fulcite me floribus, stipate me malis; quia solias conditoris amore lan-  
gueo.* Talibus incitamentis, ex Spiritus sancti vnctione fluenti-  
bus, confortatur castitatis amator, ac contra immisionem sata-  
næ & concupiscentiæ motum fit constans bellator.

*Cant. 2.*

5. Hic



5. Hic non pugnatur armis aut ferro, sed patientia, oratione, & humilitate: nam ita subiugatur facilius omnis motus libidinis. Donum enim Dei est, & misericordia in electis illius, posse corruptibilis carnis concupiscentiam compescere; ignem quoque in sinu proprio ferre, nec tamen prævalere aduersus mentem. Verissimæ gratiæ Dei est hoc priuilegium, & nullius hominis meritum. Merito ergo Moyses famulus Domini miratus est, quare rubus ardebat, & non comburebatur, atque ait: *Vadam, & videbo visionem hanc grandem.* Quis ex nobis est, quem stupor non apprehendat, quomodo in carne fragili, in vase fictili fieri possit, ut homo carnali grauatus pruritu, frequenti vexatus tentationum impulsu, nunquam præstet voluptuose cogitationi consensum? O quàm mirabilis Deus in Sanctis suis, qui talem virtutem & fortitudinem contulit seruis suis, benedictus in æternum Deus. Opus namque magnæ fortitudinis est, talem in seipso experiri rebellionem, & continuò per gratiam Dei de se conari habere victoriam.

Exod. 3.

6. Ut verò certior sit hæc victoria, fuga est assumenda; his tanto magis, qui infirmiores se cognoscunt. Nec imputandum inertiam hominis & pusillanimitati talis occultatio, cum utique magnanimus dicendus sit, qui festinus effugerit, & cautiùs ignes lubricos declinando deuicerit. Hoc in Ioseph patriarcha castissimo adolescente factum legimus, cum impudens femina oculos in lucidissimum pudicitiam speculum iniecisset: quia fugit Ioseph, & exiit foras. Multum itaque circumspectus, & pauidus esse debet, qui in carne fragili beatiùs castiusque viuere disposuit. Paueat, & se custodiat omnis iuuenilis animus; quoniam magnæ insidiæ & multa pericula consurgere aduersus eum consueverunt. Incerta victoria, & molestiora probantur certamina.

Fuga con-  
ducit ad  
custodiam  
castitatis.

Gen. 39.

7. Nulla ætas, nullus quoque sexus libertatem sibi castitatis audeat polliceri. Cogitandus est frequenter Sansonis sanctificati hominis lamentabilis laqueus; qui cum funibus & catenis vinciri non posset, vnius mulieris blandimento superatus est, & hostibus traditus. Qui statim eruerunt oculos eius, & vinctum perduxerunt in ciuitatem suam; quia mens carnis dissoluta blanditiis, potestati traditur diabolicæ ad illudendum; ac illi per suggestionem cupiditatum & voluptatum sæcularium, eius spiritualem euertunt intentionem; cordis scilicet oculum, & vinctum ad sæculum pertrahunt, aut (quod desperatius est) Tartari tandem claustris mancipant. Dolcamus, & timore solliciti de nostra infirmitate nunquam erigamur; quando sanctus Dauid rex & propheta Dei deiectus est voluptate carnis: & qui terrena mente pura sæpissimè calcabat, flebiliter (ut dicimus) ad illicita opera quando-

Judic. 16.

Samson  
captiuus,  
vinctus &  
excepatus  
quid si-  
gnificet.

2. Reg. 11.



2. Reg. 15.

1. Reg. 12.

3. Reg. 11.

6. 16.

Matth. 20.

quandoque cecidit. Pro qua enormitate criminis, aduersa illi multiplicia suscitauit omnipotens Deus, iuste puniens hoc grande facinus, ad terrorem cuiuslibet prauaricatoris. Sapientissimi quoque Salomonis lapsus profundius intueamur, ampliusque diuinum metuamus iudicium, quod talis ac tantus vir (de quo legitur, quod Dominus dilexit eum, & appellatus sit amabilis Domini, & quia fecit illum excelsum præ omnibus regibus Israel) ad hanc corruit mentis insaniam, ut idola adoraret, quia mulieres euerterunt sensum eius. Quis igitur non pertimescat de se, etiam si fuerit iam castus & sanctus in operibus suis, audiens viros tam fortes & illustres cecidisse? Idcirco nemo se fiducia non bona erigat, quamdiu eum grauat corruptibilis huius vitæ incertitudo; sed tanto magis se humiliet & deprimat, quia qualis illum tentatio apprehendere possit, ignorat; & quis eius finis sit, præscire non valet. Multi enim sunt vocati: pauci vero electi. Adhibenda est ergo cautio magna, pro perseverantia & custodia castitatis; ne vniquam calido tentatori, foris aut intus, pateat vel minimus accessus.

8. Nullus tamen quamuis imbecillis frangatur laboribus aliquibus, aut tentationibus perturbetur; sed meminerit, quod tanto illi erit corona preciosior, quanto fuerit in resistendo conflictus maior. Neque videri posset, cur castitatis victoria haberetur meritis maior, & laude sanctorum insignior, si non grauioribus ac tantis probaretur tentationum incursum. Lætificare ergo nos debet, illa beatissima felicitatis æternæ repromissio: & erigere ad laborem certaminis, spes coronæ immarcescibilis; qua laureatæ letantur sanctorum animæ cum Christo sine fine, pro leuissimis laboribus. Ad quam nos exules perducere dignetur Iesus Christus, spes & corona sanctorum omnium, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## S E R M O VI.

*Contra carnalia tentamenta.*

1. D E re quidem necessaria & utili sapius tractare, nec superfluum putari debet, nec infructuosum. Quid ita necessariū, quid tam utile saluti omnium, sicut mortiferis mederi passionibus animarum? Nil itaque sic morbidum, sic contagiosum inuenitur in homine; sicuti concupiscentia carnalis & indomita libido, quæ totam corrumpit animæ pulchritudinem. Supra namque pauca de laudibus castitatis egimus; deinde subsequenti sermone de eius obseruatione nonnulla remedia protulimus: restat ergo nunc adhibere aliquod salutiferum cauterium: ut qui neque decore



decore neque amore trahuntur castitatis, vel terribili metu gehennæ terreantur ab æstu libidinis. Diuersis diuersa conueniunt, & non omnes vno ordine imbuendi sunt.

2. Aduerte igitur detestabilis assensor libidinis: Proferam contra bestialem vitam tuam, cælum & terram; inducam iudices damnationis tuæ, Angelos & Archangelos; dabo testes verissimos concremationis tuæ, vniuersum cœtum sanctorum. Nouissimè ipse creator & rector omnium seculorum, sententiam inferet incommutabilem: & armabitur vniuersitas creaturæ, in vltionem pessimæ turpitudinis tuæ. Sed & ipsi maligni & teterrimi spiritus, incentores & fautores tui, rugient super te, & cruciabunt carnes tuas ignitis fuscinulis suis; & parabunt focum sulphure & pice plenum animæ tuæ, qui in æternum non extinguetur. Reuelabunt cæli iniquitatem tuam, quia cum illi legem naturæ, qui sine sensu sunt, numquam amiserint; te, qui legem Dei transgressus es, & preciosam imaginem eius maculasti, iudicabunt, & suis coniungi habitaculis nequaquam patientur. Itaque cælo indignus eris, immundissime peccator. Clamabit etiam aduersus te terra, inter alia elementa humillima, quia cum illa fructum suum reddere mortalibus consueuerit, tu carni obediendo factus es indignior terra, vt pote, qui fœtorem libidinis festatus es, pro sanctitate. Non ergo te terra suscipiet, nisi ad operiendum miserabile corpus tuum; eritque cibus vermium, donec in nouissima tuba tremefacta illud eiciat, vt in inferno submergatur cum anima tua. Ibi erit habitatio tua, & clauderis velut in puteo bullienti, à quo nulla erit redemptio. Ibi cruciaberis die ac nocte pro delectationibus tuis; & nemo tibi propitiabitur, quia corrupisti corpus tuum, & confudisti animam tuam. Gloriosos amicos Dei & luminaria cælorum, angelos videlicet & archangelos, erubescere fecisti. Quia cum illi præcipuo puritatis candore fulgescant, tu omni tæbe fœculentior, turpissima facie denigrata, longè ab eorum aspectibus detraheris: & flammigeris dæmonum fornaculis sociaberis, quorum facies super nigredinem carbonum & fauces infatigabiles, & oculi proterui & horribiles nimis. Propter indomabilem libidinem tuam & abominabilem concupiscentiam, quam voluisti ad tempus exercere, cogeris sine tempore infernalibus tormenta pati. Nam ignis infernalis ardebit in amatores libidinis; ita vt neque mare, neque omnis aquarum abundantia illam flammam sufficiant extinguere. Quapropter exhorresce peccata carnalia, si vis æterna euadere incendia. Noli perdere preciosam animam tuam, quam Christus redemit sanguine suo. Noli contristare Angelos sanctos, & Deum inhonorare. Metus Domini, & carnem tuam ne ita dilex-

Impudicum omnia damnant.



Rom. 8.

dilexeris, vt pro illa perpetuam damnationem incurras. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. O quàm citò transit delectatio, & quàm longa instabit cruciatio! O quàm citò pœnitebit stultè egisse, quàm grauis remorsus erit pro scelere.

Matth. 25.

3. Eia, quantum latabuntur, qui non consenserunt operibus nequam? Quanta etiam fiducia expectabunt iudicij diem, qui non inquinauerunt vestimenta sua! Tunc stabunt iusti, qui piè, sobriè, casteque vixerunt, in magna constantia aduersus demones: qui tunc eos tentabant, & ad opera nefaria instigabant; & aduersus omnes, qui eis occasiones criminu præstruebant. Tunc item stabunt ad sinistram iniusti, adulteri, incestuosi, incontinentes, qui deliciis & comestationibus vacabant: atque præ nimia confusione contremiscent à facie iudicis coeli & terræ, ab auditione illa seuerissima: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Tunc eiulabunt, & clamabunt: *Vr, quid vnquam egimus? Vt quid nosipfos in tam breui momento perdidimus? Ah ah, damnati sumus. Heu, quòd vnquam nati fuimus. Tardè, tardè iam pœnitemus, frustra est clamor & dolor noster: quia sine mutatione manebit sententia, quam accepimus. Nulla suffragia Sanctorum, nulla nos valebunt adiuuare beneficia amicorum. Ecce æternæ nocti & perpetuæ obliuioni traditi sumus.*

Rom. 6.

Iacobi 1.

Isaia 33.

4. Speculamini igitur vos, ó filij hominum, in damnatorum pœnis & opprobriis, ne fortè veniat repentina mors, & calamitas inferni vos opprimat, & non sit qui liberet. Convertimini & agite pœnitentiam, qui cum morte fœdus inistis. State innocentes, & pugnate iuuenes contra libidines; ne dederitis membra vestra arma iniquitatis peccato, quia peccatum cum consummatione fuerit, generat mortè. Æternum ignem cogitate, & de cordibus vestris concupiscentiæ ignem exufflate. *Quis ex vobis habitare poterit cum igne deuorante? Præmia sanctorum considerate, & æternam gloriam perdere pro immunda delectatione dispicite. Sensus & oculos vestros ab impudico visu claudite, & Deum gemitibus exorate; vt vos intactos custodiat, & perseuerare vsque in finem laudabiliter concedat, Amen.*

## SERMO VII.

*De dono solitudinis, exemplo Christi & sanctorum Patrum.*

1. **F**ons & origo profectus spiritualis, est libenter in cella reside-  
dere, & in solitudine sub silentio se tegere, vt possit Dei ser-  
uus seculo mori, & Christo tantum viuere; & cum Apostolo  
dicere:



dicere: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et iterum ab eodem audire: *Mortui enim vos estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Solitudo corporis & cordis pariter quaerenda est & custodienda. Nam corporis bona est & tuta, sed cordis melior & tutior. Qui tamen primam abijcit, alteram non inueniet; quia vna est alterius custodia, & hec duo confouentur mutuo. Hęc solitudo est verè deuotis singulare confugium. Hęc docet ( vt iam dictum est ) mori sæculo, & exterioris curæ non inquinari forde, atque sanctis inhærere meditationibus, etiam cælestibus nonnunquam appropinquare spiritibus.

2. Hanc Christus verbo & exemplo docuit, quando in nocte solus in oratione pernoctauit, & orantibus cubiculum intrare iussit. Est enim nocturnum tempus aptum sæpe pro deuotione, & pro sacra meditatione non paruum subsidium. Maximè autem formam vitæ solitariae exhibuit, quando quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, & in deserto eremita fuit, ibique ( vt Euangelista refert ) cum bestijs erat. Quod propter nos agere dignatus est, vt etiam nos ipsi libenter soli simus, & quãtum in nobis est, illi semper vacare velimus. Hanc amauit Propheta, qui dicebat: *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Et alius quidam sedebat solus & tacebat, & leuabat se supra se. Verè in solitudine aliquid magni latere videtur, quæ à plerisque sanctis tam ardentè est amplexata. Nam ipsa solet incipiētibus, à multis esse protectio periculis, & diuersis vmbra tentationibus. Perfectis verò & spiritualibus, quorum conuersatio est in cælis, qui etsi corpore in terris sunt, in bonis æternis tamen mentem ardentè figere cupiunt; solitudo quasi locus & paradysus voluptatis est, & tanquam hortus deliciarum amœnissimus. Quodammodo enim serui Dei seipsos inueniunt, cum in cubiculo solitarios se conspiciunt.

3. Cunctis igitur proficere cupientibus, amor solitudinis videtur utilis, & satis necessarius. In illa sæpe dolore cordi tacti præterita mala plangimus, præsentia discernimus, & futura cautiùs prouidemus. Itaque apparet, quia in solitudine salubrè animæ fructum afferimus; modò mala nostra deplorando, modò cõtra tentationes & vitia nos exercendo; modò remedia passionum exquirendo; modò in profectu virtutum nos consolando.

4. Ibi etiam deuotionem cordis faciliùs accendimus, & ne tepescat vel extingatur, meliùs custodimus. Verumtamen, ne grauis vel magna videatur nobis nostra solitudo, ad sanctorum patrum pergamus interioris solitudinis loca. Queramus Paulum primum eremitam: queramus Antonium vel Macharium, si fortè occurrat aliquis, qui hominem infra annos viginti vel

Gal. 6.  
Coloss. 3.

Luce 6.  
Matth. 6.

Matth. 4.  
Marci 1.

Psal. 34.  
Thren. 3.



triginta vel amplius non viderit; & tunc, quàm exiguum sit tempus, quo latere solemus, apparebit. Et si adhuc plures cernere delectamur, videbimus non modò viros, sed & feminas atque virgines huius solitudinis consortes, & tam ardua vite & verè spiritualis militia seruasse semitas. Horum igitur omnium exèplis edocti, amplius nostræ solitudinis latibula adanemus; & apparere foris, qua possumus diligentia, deuitemus. Et erit nobis tanto Christus familiarior, cordibus que nostris ipsius amor suauior, quanto huius seculi aspectus atque affectus fuerit rarior. In qua solitudine nos dignetur custodire, qui solus in corpore potuit sine culpa viuere, Iesus Christus Dominus noster. Amen.

## S E R M O V I I I .

*De bono silentij, & fructu eius.*

*Thron. 3.*

*Psal. 38.  
Solitudo  
silentij pa-  
rens &  
alumna.  
Ibid.  
Marth. 5.*

**S**ilencium, amica solitudinis est, sicut quidam custos eius sapiebat, & dicebat, *sedebit solitarius, & tacebit*. Nam rarò bene, nisi in solitudine custoditur, sed & faciliùs ibidè tenetur, quia absentia occasionis multoties est victoria tentationis. Istud silentium obseruare cupiebat sanctus, qui dicebat: *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*. Et rursus orabat: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis*. Sed & Dominus noster Iesus Christus, silentium nos amare docuit, dicens: *Sit sermo vester, est est, non non; quod amplius est, à malo est*. Quibus verbis disertè nos instruit, vt necessaria tantum & vtilia loqui curemus, superflua verò & inutilia declinemus. Non enim seruus Dei silentium ita reputare debet, quasi loquendum nunquam sit, sed suo tempore & loco verba sua, sicut dispensator bonus, distribuere sciat. Vnusquisque perpendat, quid sibi salubrius existat, quia quibusdam magis expedit silentio intendere, alijs econtra, non nimium taciturnitati se dare.

*Maria tan-  
tū quater  
in Euāge-  
lio locuta.  
Luca 1.  
Ioan. 2.*

**2.** Qui autem silentio vult studere, inspiciat Christum, quomodo ab iniquis accusatus, nihil respondit: ita vt Pilatus miraretur vehementer. Vnde & iterum scriptum est: *Iesus autem tacebat*. Sed & beatissima mater eius virgo Maria, paucis utebatur verbis. Et sicut dicit beatus Bernardus, quater eam (vt ex Euāgelio colligitur) locutam fuisse legimus. Propter hoc nobis valdè expedit, quatenus tam exemplo eius quàm filij eius, obseruemus omnia verba hæc, conferentes ea in cordibus nostris. Igitur sit omnis seruus Dei velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & feruidus ad proficiendum. Attende, si non silentium totius boni interioris custos est & incrementum. Vide etiam, si non thesaurus



thesaurus caelestium bonorum in his cordibus requiescit.

3. Beatus, qui silentium diligit & custodit: nam in custodia illius, magnæ deuotionis fructum sibi accrescere sentiet, dummodo in alijs sollicitus & ipse fuerit. Parum enim valet custodia oris absque custodia cordis, & diligentia cuiuslibet boni operis. Propter hoc, qui silentio & luctu salutari gaudent, hi præcipuè sciunt precium eius, quia virtus & sanitas eorum versatur in linguis eorum. Et profectum quem inde sentiunt, sæpiùs experiuntur, quia leuitatibus subdi noluerunt. De his aptari potest, quod in Psalmo legitur: *Non est ruina maceria, (scilicet spiritualis ædificationis,) neque transitus, neque clamor in plateis eorum:* hoc est, in latitudine cordis eorum, non est vllus sæcularium actuum concursus, nec inutilium etiam cogitationum strepitus. Et quia Deo intus coniuncti sunt, ideo à mundanis desiderijs sapè flescunt. Beatum ergo dixerunt populum, cui hæc sunt, quia Dominus Deus protector eius est.

*Psal. 143.*

4. O si daretur famulo Dei, interdum experiri silentij ac solitudinis suæ spirituales delicias, quàm meritò ex abundantia suauitatis earum in hæc verba prorumpèret! Ecce quàm bonum & quàm iucundum est, sedere solum, & tacere, & leuare se supra se, & aduentum præstolari dilecti amici Iesu Christi? Quis talem dubitet fore felicem, & optimã cum Maria partem elegisse? Qui potest accipere, capiat, sed non omnes ad hoc tendunt, neque per sanctum desiderium ad interna bona se accendunt. Qui sunt de mundo, (ait sanctus Ioannes) de mundo loquuntur, & mundus eos audit: & qui est ex Deo, verba Dei audit. Verè preciosum, verbum nunquam proferre ociosum: & valdè iucundum, in cunctis verbis suis fore sollicitum. Vnde beatus Iacobus hunc asserit perfectum, qui verbo non offendit, quia linguam nemo hominum domare potest. Sed quia apud Deum omnia possibilia sunt, id quod proprijs viribus non valemus, eius munere fieri potest; quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Sed nos miserè nosipfos decipimus, quia remediã contra consuetudines malas non quærimus.

*Lucæ 10.*

*Iacobi 5.*

*Marci 10.*

*Lucæ 1.*

5. Quis non est expertus, quàm graue sit silentij claustrum intrare, post inutiles aut prolixas fabulationes? Beatus, qui malæ conscientia flagellis, pro incontinentia silentij edoctus, de cætero cautior inuenitur, ne in idipsum, aut in deterius rursus corruat. Amator verò silentij & custos castæ conscientia, bonum quod intus sentit, non ignorat, quia in pace factus est locus eius. Et si est interdum conflictus ei, vt se comprimatur, succedit tamen postea pax magna, quia hostibus restitit, & sibi ipsi vim intulit. Timet etiam frequenter iste, ne inuentum thesaurum per incu-



riam aut leuitatem amittat, quem magis abscōdere quā effundere Domini cōsilio debet. Videte ( inquit Christus ) ne quis sciat. Vnde sicut auarus nūmos, ita religiosus verba sua trutinare debet; ne inutiliter aut sine lucro, verbū aliquod dicat. Religiosorum etenim & deuotorū est, vacare, silere, orare, & præter Deum nil velle scire. Locus enim in quo religiosus stat, sanctus est. Vt quid etiam terram hanc optimam occupat, si fructus bonos non germinat? bonus homo, ait Dominus Iesus, de bono thesauro ( hoc est, de puro corde ) profert bona, & malus similiter mala. Loquamur ergo de Deo, si tempus fuerit, aut differamus propter Deum: de mundanis omnino rebus taceamus.

*Apoc. 8.*  
Lucifer  
quia silen-  
tium non  
tenuit, cor-  
ruit.  
*Isaia 41.*

6. Nec sit tibi graue ( homo Dei ) paruo tempore in hoc saeculo silere; quia si feceris, cum Angelis poteris in eternū gaudere. Hoc igitur modò age in terris, quod sancti Angeli seruauerunt in caelis. *Factum est* ( ait Euangelista Ioannes ) *silentium in caelo.* Hoc Lucifer quia non tenuit, propterea cū omni comitatu suo, de cælo cecidit. Dixit enim: *In caelum conscendam, ponam sedem meam ad aquilonem: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* O miser, quid loqueris? Vt quid cogitationes istæ ascēdunt in cor tuum? In illo summo monasterio, vbi perpetuum silentium ab omni malo, statutum est ab illo supremo abbate: tu quomodo loqui nō timuisti? An nesciebas, quia in his, quæ præcepit tibi Deus, oportet te esse? Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris? Turbasti cælum superbia tua, non seruasti disciplinam Dei Patris, sed transgressus es statuta summi abbatis. Meritò proinde expulsus es, nec potuisti stare, quia silentium in caelesti monasterio confregisti. Cauendum omnino à tali præsumptione & locutione: & ad illud properandū silentium, quod à tantis casibus potest præseruare animum. De quo scriptum est: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.*

*Psal. 33.*  
Nunquam  
silendum à  
laude Dei.  
*Isaia 62.*

7. Est tamē quoddam silentium, quod tam Angelis quā hominibus non conceditur, immo & nusquam admittendum videtur, hoc est, silere à laude Dei, à deuotione, & gratiarum actione. De quo Propheta ita meminit: *Vos, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.* Et ne viderentur inobedientes, clamabant voce magna dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra, maiestate eius.* Et nos similiter clamemus in cælum, & miserebitur nostri. Laudemus etiam eum in terris, quem laudant omnes Angeli in caelis. Sed quia longè sumus ab illo loco, vbi nemo verbo offendit, reuertatur vnusquisque ad cor suum, fileat à malo, fileat etiam cum Propheta quandoque à bonis propter melius.

*Psal. 38.*

8. Ad exemplum silētij, propone tibi ( serue Dei ) sæpe facta antiquo-



antiquorum patrum. Perge si vis, perge mente ad tabernacula illorum, si forte inuenire possis abbatem Agathonem, qui iam tribus annis lapidem in ore, pro rigore silentij portauit. Et magnū illum Arsenium si inueneris, illo tacente loqui forsitan non audebis. Et alios per quā multos si quaeris, in cubiculis & in speculis terræ, solitarios & silentio deditos, potius reperies, quam foris vagantes. Propterea non illud segniter debes tenere, unde tam preciosa religionis studia possunt tibi oriri. Quia per solitudinem & silentium, multi sanctorū ad quietem cordis perducti sunt; & inibi multoties didicerunt, quicquid alijs salubriter tandem prædicauerunt. Sic Antonius primò latuit, post verò gloriosus & magnus monachorum pater apparuit. Sic Benedictus abbas; sic fecit in monasterio suo sanctus Gregorius; ita & consequenter deuotissimus Bernardus, cum multis alijs uiris perfectis. Et horum vitam si inspicias, inuenies, quid imitari debeas. Nam uiuendi speculum, opere & uerbo facti sunt.

Patres Ere-  
mi prodigi-  
ose taci-  
turnitatis.

Sancti in  
solitudine  
didicerunt,  
quod alios  
post do-  
cuerunt.

S E R M O IX.

*De solitudine cordis, in qua supra se lenatur anima.*

**1.** DE interiori solitudine, iā pauca uideamus. Hanc quærere & amare debet, quisquis uiri Deo cupit. Hæc mētis solitudo dicitur, & longè dignior & utilior corporis solitudine esse creditur. Hæc enim nisi menti in se dederit, corporis etiam solitudo multitudo fit. Hæc est, quæ totū interiorem hominem, ab omni seruat uitio purum; & contra suggestiones Satanæ, reddit cor valde securum. Nam quamuis diuersis cogitationibus mens ista concutitur, introire tamen hostis aut præualere ultra cōsensum, propter hanc solitudinem, non permittitur.

2. Laudabilis & prædicanda ista solitudo, quia magna mentis est fortitudo, qua cuncta superantur in hoc seculo. Hæc est, quæ in multitudine multa nescit: quia alibi occupari se potius debere dicit, cū citò pertranseat, quicquid hîc stare aut florere uidetur. Et ubi cuncta moribus suis inseruiunt, hæc uiri immobiliter quod tantum necessarium est, inhærere summopere querit. Qui hanc intrat solitudinem, quamuis foris laboret, eius tamen mens intus orare non cessat. Et si horam inde uidetur distrahi, mox in idipsum redire festinat: quia intus habet, qui quotidie clamat: Redi ad cor: ecce adsum: ecce uenio citò. En sto ante ostium, & pulso; aperi mihi soror mea, quia concupiui speciem tuam. Beata anima, quæ ad hanc uocem semper uigilat, quia super omnia bona præsentia constituitur.



3. Idcirco enim vox dilecti hanc inuitat ascendere, ne in finis rebus possit in debito amore retineri. Qui istis caducis tenetur, valde intus distrahitur; & ad solitudinem cordis, in qua Deus hominibus loquitur, tardius venit: ideoque visitatione eius multoties carebit.

4. Hanc discipuli illi in monte Thabor intrauerant, qui neminem nisi Iesum tantum, post mentis excessum videbant. In hanc quoque Moyses ascendit, quando solus in monte cum Deo, quasi vir cum amico suo loquebatur: vbi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, sine humano solatio fuit. De qua, plura dicere quis poterit, nisi vberius expertus, & ab omni seculari strepitu alienus? Nam dulcius est, longeque nobilius, interiora bona experiri, quam inde quicquam definire, vel à quocunque iusto tantum labiorum vocibus percipere.

5. Qui tamen hæc experiri desiderat, cor à face secularium desideriorum emundet, concupiscentias proprias mortificet, de terrenis consolari rebus metuat; sed in Domino Deo consolari & gaudere semper querat. Et tunc cognoscere potest, quoniam suavis est Dominus; Beatus vir, qui sperat in eo. Tunc etiam in solitudine interiori libens commorabitur, & de bonis sempiternis frequenter meditabitur.

TOMI




# TOMI PRIMI PARS ALTERA,

ANTE PRIMAM EDITIONEM  
typis non euulgata.

*In hac parte secunda Tomi primi, continentur tum conciones, tum meditationes admodum utiles & pie. Conciones sunt eiusmodi, ut meditationes esse videantur. Similiter meditationes ita scripte sunt, ut ex ijs conciones haberi possint.*

## CONCIONES ET MEDITATIONES XXXVI. UTILISSIMÆ. PRIMA.

*De Incarnatione Christi secundum testimonia sacrarum Scripturarum, veteris & noui testamenti.*

I.  *Crutamini Scripturas, dicit Dominus. O dul-* Ioan. 5.  
*cissime Domine Iesu, cōcede mihi indigno*  
*famulo tuo, incarnationis tuæ mysterium*  
*deuotè pensare, sagaciter inuestigare, subli-*  
*miter intelligere, nō intellectam humiliter*  
*venerari, & tibi semper gratias agere, pro*  
*dignatione tanta & charitate tam ineff. bili. Hoc enim mysteriū*  
*me magis delectat considerare, & inter cetera mirabilia tua sua-*  
*uius sapit, vehementiūs afficit, fortiūs astringit, & totum spiri-*  
*tum meum in te rapit. Da ergo mihi in hoc frequentius versari,*  
*& qualiter à sanctis Prophetis præcognitum ac prædictum fue-* Psal. 118.  
*rit, diligentius speculari. Reuela oculos meos, & considerabo mira-*  
*bilia de lege tua. Tu etenim cōditor legis: Tu inspirator & instru-*  
*ctor Prophetarum, quorum oraculis miris & multiplicibus mo-*



dis prænuntiatus es & præfiguratus; nunc aperte, nunc obscure, sicut euidenter inspecta tota veteris Testamenti series protestatur. Nil quippe in ea vacat à mysterio: sed tam diuinitatis tuæ quam etiam humanitatis, fidelissima ibidem testimonia continentur. Et quamuis hominis testimonium tibi necessarium non fuerit, qui veritas es: & homines, cum volueris, Prophetas facis: propter nostram tamen eruditionem & fidei confirmationem longè hæc antè voluisti, per sanctos tuos prædici & conscribi, atque tantam etiam auctoritatem illorum eloquijs tradere, quibus nulla ex parte auderet quis contradicere. Quatenus & cum præsens adesses in carne, Rex Israel, & Saluator mundi posses agnosci, quem tot scripturæ commendauerant aduenturum. Et hoc est, quod præsentialiter legis doctoribus non credentibus, sed curiosè te obseruantibus & callidè tentantibus, respondisti: *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere. Illa enim sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

Ioan. 5.

Patriarchæ.  
1. Abrahâ.

Gen. 22.

Marci 16.

2. Perhibent Patriarchæ, perhibent Prophetæ, & cæteri iusti testimonium incarnationi tuæ. Nam Abraham Patriarcharum primus, ob fidei suæ meritum & perfectæ obedientiæ opus, tale suscepit promissum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* In quo nimirum semine, tu designatus es & prophetatus, qui de Maria Virgine natus, veram de carne Adam, veramque de stirpe Abraham originem duxisti. Qui etiam cunctis per orbem Gentibus, hanc benedictionem transmisisti, dicens: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hæc inquam benedictio non terrena, sed cælestis est promissio: non transitoria vbertas, sed perpetua felicitas, vita immortalis cum Angelis, non longiturnitas temporalis. Quæ sicut fidei Abrahæ promissa est, ita & per te ipsi donata est, & omnibus veram fidem sectantibus. Non enim, qui secundum carnem ex Abraham nati sunt, hi tantum filij promissionis censendi sunt: sed qui vestigia fidei eius imitantur, in benedictione deputantur: siue ex eo carnaliter editi, siue ex gentibus cæteris spiritualiter fuerint regenerati. Et ideo dictus est pater multarum gentium, non Iudæorum tantum, sed omnium in te credentium per orbem nationum.

2 Isaac.  
Gen. 21.

3. Perhibet quoque præclarum testimonium tibi Isaac filius Abrahæ gestis suis. Eius siquidem natiuitas ab Angelo prædicta, tuæ natiuitatis gerit præfagium, quæ longè tamen superexcellit omnium natorum modum. Ille per promissionem Angeli de sterili matre editus est, sed tu ab initio mundi promissus, pro salute nostra ineffabili ordine, de virgine matre natus es. Ille genitus gaudiū fecit parentibus & amicis: tu verò natus gaudium magnum Angelis fecisti & hominibus. *Dat credulitatem magnam*  
Virginæ



Virginei partus, ipsum miraculum factum in utero senectutis. Qui ergo hoc egisti in seruulo tuo, profecto mains potuisti in remetipso. Conditor enim cum sis naturæ, omnia sub potestate habes, nec vllius lege stringeris aut iure. Lucet etiã in eo passionis tuæ figura, quando à patre iussus est immolari, diuino ad se responso per Angelũ prius facto. Ille ligna portauit holocausti; tu lignum crucis baiulasti, ad delendum chirographum primordialis delicti. Ille ligatus mox aræ imponitur; tu ligatus & fortiter casus, tandem in cruce ex altaris, vt omnia ad te ipsum trahe- res. Ille obediens fuit Abrahæ patri suo: & tu obedisti vsque ad mortem crucis Deo Patri tuo. Ille immolatur, sed nõ occiditur: quia ille figura, tu veritas: ille signum, tu verum sacrificium. Ille mori non debuit, quia redemptor mundi non fuit: tu verò mori debuisti: non tamen ex proprio, sed nostro pro delicto; quia verus Redemptor mundi in hoc natus fuisti, & hoc mandatum à Patre accepisti.

4. Perhibet quoque Iacob Patriarcha, testimonium verissi- 3. Iacob.  
mum tibi. Hic prophetico spiritu doctus, multa filiis suis ventu-  
ra prædixit. Nam tribum, de qua nasciturus; & tempus quo ef-  
ses aduenturus, innotuit, cum benedicens Iudam filium suum,  
inter alia diceret: *Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, & dux* Gen. 49.  
*de femoribus eius; donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expecta-*  
*tio Gentium.* Quod quidem testimonium sanè intellectum, con-  
stat sine dubio in te completum, qui de tribu Iuda ortum dignif-  
simum habuisti: & illo in tempore hanc lucem mundi intrasti,  
quando legitimus dux in Iudæa defecerat, & rex externæ natio-  
nis Herodes, illuc arcem principatus tenebat. Non ergo expecta-  
ris, vt delirat Iudæus, sed iã venisse crederis in carne Deus, sicut  
profitetur Christianus, vt docet catholica fides. Defecit certè  
dux in Iudæa, desijt lex in ea, sacerdotium conticuit, tēplũ ceci-  
dit, regnum periit, gens illa dissipata est per mūdum: vt cognos-  
cat totus mundus, quia tu saluator Israel, expectatio gentium, Gen. 49.  
& desideratus earum aduenisti. Cessare igitur lex vetus debuit, Agg. 2.  
postquam noua grãtia & veritas te apparente illuxit. Quoniam  
omnis illa anti qua institutio, ad perhibendũ tibi testimonium,  
ministra fuit.

5. Huic concordant voces Prophetarum, qui aduentum tuum Propheta.  
præcipientes, dies gratiæ in quibus stamus prænuñciarunt. Dicit 1. Moyses.  
namque Moyses, legislator & doctor populi Israel, testimonium  
credibile nimis: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut* Deut. 16.  
*me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Rudi populo locuturus  
Moyses simpliciter te Prophetã nominauit, qui fortassis altius de  
te capere nomen nequid idoneus inueniebatur. Quod etiam ex  
Euange-



Joan. 6.

Euangelio satis colligitur, vbi facto signo de quinque panibus & duobus piscibus, vox populi talis ferebatur: *Quia hic est verè Prophetas, qui venturus est in mundum.* Nos verò certiori iam veritate & altiori intellectu fidei imbuti, non solum Prophetam, sed & Dominum te Prophetarum verumque Dei filium, veraciter confitemur & credimus. Nec mirum, si illi populo multa per Moysen seruum suum obscure, & nobis per te ipsum plura manifestius sis loquutus: quia sic congruebat ordini iustitiæ, sic legi, denique & gratiæ. Hic itaque Moyses, desiderio aduentus tui, orauit & dixit: *Obsecro, Domino mitte, quem missurus es.* Iste est Moyses, qui ad liberandos filios Israel in Ægyptum dirigitur: cui etiam potestas faciendi signa & prodigia pariter condonatur. Fecit magna & insolita, quæ audita vel lecta, admirationem non paruam habent. Sed mysticè intellecta, & ad te debite relata, pijs ac fidelibus mentibus altiolem sensum & salubriorem fructum ingerunt. Ille eduxit filios Israel de terra Ægypti: tu electos tuos de vita veteri, de captiuitate diaboli, de claustris inferni exemisti. Ille per mare rubrum, submerso Pharaone, eos fecit terram ingredi promissionis: tu fideles tuos per aquam baptismi, extincto originali peccato, regnum facis intrare supernæ mansionis. Ille in monte Sinai legem decalogi in Tabulis lapideis exaratam suscepit, ac populo custodiendam tradidit: tu noui Testamenti mediator effectus, legem gratiæ discipulis in monte prædicasti, quam & eorum cordibus per amoris spiritum arctius impressisti. Ille quadraginta annis in deserto, cum filijs Israel ambulauit, multis signis & prodigijs inter eos emicuit: tu triginta & tribus annis in terris visus & cum hominibus conuersatus, tam multa signa diuinæ potentiæ tuæ exhibuisti, vt ea vix capere mundus sufficeret, si cuncta scripta fuissent. Ille agebat tanquam fidelis seruus: tu operatus es sicut Dominus, & vnicus patris filius, cui Pater omnia dedit in manus. Ideo nec ille potest comparari tibi, sed nec quisquã Angelorum vel hominum. Omnibus enim datus est spiritus ad mensuram, tibi autem cum Pater manet æqualis semper potestas: Manet & longè à cæteris sanctis, secundum humanitatem, excellentia singularis dignitatis, nulli creaturæ communicabilis. *Cui enim Angelorum aliquando dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Aut quis sanctorum Patrem loquentem sibi audiuit: *Sede à dextris meis?* Magnum est Angelo, vt sit minister. Magnum cui libet sanctorum ad mensam sedere, in regno Patris tui: tibi autem data est omnis potestas, in celo & in terra. Etsi in substantia nostræ carnis, mortalis apparuisti; es tamen super omnia Deus incommutabilis, nostra suscipiens & propria non amittens.

Indubi-

Joan. 21.

Joan. 3.

Hebr. 1.

Ibid.

Psal. 109.

Matth. 28.



Indubitanter ergo & constanter te constemur Christum, Dei unigenitum, mundi saluatorem, ac sanctum sanctorum in lege promissum, à Patriarchis desideratum, à Prophetis prævisum & prænuntiatum. Quorum testimonij si quis credere hesitauerit, seipsum veritatis luce priuat, non seruans fundamentum, quo fidei pedem ponat: nec intendens lucernæ lucenti in caliginoso loco. Lex enim lux est, & prophetia preciosa lucerna, perducens nos ad te verum animæ lumen, in quo credentes, per fidem salui fiunt. Sine fide namque & agnitione nominis tui, nulla spes vitæ, nulla acquisitio salutis inuenitur. Tu equidem salus nostra, spes & redemptio nostra, quem expectabant priores sancti, qui hanc acceperant promissionem.

6. Multis autem rerum significationibus, multis & mirandis etiam visionibus, salus hæc de te promissa, diu precessit & latuit: Sed celebrato incarnationis passionisque mysterio, hæc secreta patefacta sunt, & completa. Te igitur, agnus ille paschalis, qui singulis annis in memoriam priscae liberationis ex Ægypto, iussus est immolari, præsignauit. Te vitulorum & arietum oblatio: te thymiamatis incensio: te varia sacrificiorum celebratio ac sanguinis crebra aspersio præfigurauit. Tu in candelabro aureo, septem lucernis ornato: tu in Pontifice magno, qui in sancta sanctorum semel ingreditur in anno, mysticè præsignaris. Sed hæc omnia legis sacrificia, vnico corporis tui sacrificio, semel in ara crucis oblato, plenè consummasti. Ideo nec vlla iam in priorum cultu remanet vtilitas: quia quod illa significabant, innotuisti nobis æterna veritas. Leguntur autem à fidelibus doctoribus spiritualiter discussa, & ad ædificationem nostram vtiliter proferuntur: placetque eorum intellectus mysticus, sed obseruantia literalis non admittitur. Et si olim tibi placere talia sacrificia, hoc occulta egit fides, quæ reuelanda erat. Sed nunc vetera illa finem acceperunt, quia verum sacrificium iam venit, quod fidei deuotione, sancta per orbem frequētat Ecclesia. *a* Te etiam petra, dulces aquas sitienti populo manans. *b* Te manna pastum miserabilem esurientibus præbens. *c* Te serpens æneus exaltatus, infectos à morsu sanans. *d* Te virga Aaron sacerdotis florens nucisque producens, pulchrè præmonstrauit. *e* Te Iosue, nobilis actu & nomine. *f* Te Gedeō victoriosissimus, Te Sampson fortissimus. *g* Te Samuel Propheta fidelissimus. *h* Te Nazæorum & Iudicum singulorum laudata virtus, mirificè expressit.

7. Te Dauid Rex & Propheta eximius, electus secundum cor Dei, egregiusque psalmista patenter canit, deuotè exorat, ardentèque desiderat dicens: 1. \* Domine inclina calos tuos, & descende.

Exona

Hebr. 11.

Figura de Christo.  
 Agnus Paschalis.  
 Exodi 1.  
 Vitulorum oblatio.  
 Exodi 29.  
 Candelabrum aureum.  
 Exodi 25.  
 Summus Pontifex.  
 Hebr. 9.  
 a Petra deserti.  
 Deut. 8.  
 b Manna.  
 Deut. 8.  
 c Serpens æneus.  
 Num. 21.  
 d Virga Aaron.  
 Num. 17.  
 e Iosue.  
 lib. Iosue.  
 f Gedeon.  
 lib. Iudicum.  
 g Samuel.  
 1. Reg.  
 h Nazaræorum.  
 Iudices.  
 Num. 6.  
 Prophetæ.  
 1. Dauid.  
 \* Psal. 145.



a Psal. 79.

b Psal. 84.

c Psal. 88.

a *Excita potentiam tuam, & veni ut saluos facias nos.* b *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* c *Vbi sunt, misericordia tua antiqua Domine, sicut iurasti David seruo tuo?* His & alijs deprecationibus, desiderium pectoris sui psallendo saepe aperit. Sed & altiora horum reuelatis cordis oculis, in testimonium tibi asserit. Hic est David sanctus, cui incerta & occulta sapientiae tuae manifestati: & quod de eius stirpe incarnandus esset promisisti. Hic est David forma decorus, manu validus, consilio prouidus, sapiens in verbis, in iniurijs mansuetus, in oculis suis humilis, cultor sacrae legis, praecentor Euangelij, verax testis aduentus tui. Hic de natiuitate, passione, resurrectione, & ascensione tua plenissime vaticinatus est. Tu es ergo, de quo ait:

Psal. 50.

*In sole posuit tabernaculum suum; & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit ut gigas ad currendam viam, à summo caelo egressio eius; & occursum eius usque ad summum eius.* Tu veritas de terra orta. Tu iustitia de caelo prospiciens, quae nos Deo Patri, post lapsum reconciliauit. Tu speciosus forma, praefilijs hominum: in cuius labijs diffusa est gratia, imò à quo omnibus misericordia profluxit & gratia. Tu Deus rex noster ante secula, qui operatus es salutem in medio terrae. Tu homo natus in Iudaea, cuius nomen permanet ante secula. Tu sicut pluuia in velus descendisti in Mariam: & sicut stillicidia stillantia super terram, salutarem Euangelij sparsisti doctrinam. Tu ex Patre ante

Psal. 18.

*In sole posuit tabernaculum suum; & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit ut gigas ad currendam viam, à summo caelo egressio eius; & occursum eius usque ad summum eius.* Tu veritas de terra orta. Tu iustitia de caelo prospiciens, quae nos Deo Patri, post lapsum reconciliauit. Tu speciosus forma, praefilijs hominum: in cuius labijs diffusa est gratia, imò à quo omnibus misericordia profluxit & gratia. Tu Deus rex noster ante secula, qui operatus es salutem in medio terrae. Tu homo natus in Iudaea, cuius nomen permanet ante secula. Tu sicut pluuia in velus descendisti in Mariam: & sicut stillicidia stillantia super terram, salutarem Euangelij sparsisti doctrinam. Tu ex Patre ante

Psal. 84.

Psal. 44.

Psal. 73.

Psal. 71.

Psal. 109.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Luciferum genitus, & vestes nostrae mortalitatis indutus, Sacerdos manes in aeternum, secundum ordinem Melchisedech, à Deo constitutus. Tu de torrente in via bibisti, pro nobis indignam mortis passionem, sicut verus viator patiendo. Propterea in die resurrectionis, indutus es fortitudinem & decorem. Nec nostro more vidisti carnis corruptionem; sed ipsam eandem in qua passus es carnem, resuscitasti ad vitam immortalem: cum qua latantibus Angelis ascendisti in iubilo, reuersurus in voce tubae, die nouissimo. Sicque impleta sunt carmina David fidelia, in diuersis psalmodum passibus conscripta.

2. Isaias.

Isaia 7.

Isaia 9.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

Isaia 11.

8. O Iesu, vnicum desiderium Prophetarum: Tu es Emanuel, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum permansit. De quo Isaias luculento sermone prophetauit: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus eius super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Tu radix Iesse, qui stas in signum populorum, quem Gentes deprecabuntur: cuius sepulchrum usque hodie cernitur gloriosum. Tu flos de radice Iesse ascendens, super quem requiescit spiritus sapientiae & intellectus,



lectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Tu agnus dominator terræ, *Isaia 16.*  
 sus de petra deserti ad montem filia Sion. Tu mons domus Do- *Isaia 2.*  
 mini, preparatus in vertice montium, eleuatus super colles: ad  
 quem omnes gentes confluunt, vt de plenitudine tua accipiant.  
 Tu lumen Hierusalem & gloria Israel, cuius ortus & splendor *Isaia 60.*  
 illuminat mundum. Tu lapis probatus, angularis, preciosus, *Isaia 28.*  
 fundatus in fundamento Sion. Tu germen Domini in magnifi- *Isaia 4.*  
 centia, & fructus terræ sublimis: sedens nunc ad dexteram Dei  
 Patris, subiectis tibi principibus & potestatibus vniuersis. Hæc  
 Isaias, qui spiritu magno vidit futura, & consolatus est omnes  
 lugentes Sion aduentu tuo; vnde & dicit, *Isaia 49.*  
*Consolamini, consolamini popule meus, dicit Dominus Deus vester: quia ego ipse, qui lo-*  
*quebar, adsum.* O quam ardenti desiderio optauit impleri pro-  
 missum incarnationis tuæ, cum impletus spiritu audaciæ clama-  
 ret: *Utinam disrumperes calos & descenderes, à facie tua montes de-* *Isaia 64.*  
*fluere.* Qui ardorem desiderij sui temperare non valens, sed  
 omnibus palam insinuare curans, rursus aiebat: *Propter Sion non* *Isaia 62.*  
*tacebo, & propter Hierusalem non quiescam: donec egrediatur ve-*  
*splendor iustus eius; & saluator eius ut lampas accendatur.* Et quis  
 indagare sufficit omnes mysticos eius sermones, quos de tua  
 præcipuè incarnatione, passione, glorificatione, & iudicij ex-  
 pectatione, nec non de Gentium vocatione, & sancti Euange-  
 lij prædicatione, digessit? Sic narrat futura, quasi essent præ-  
 terita: & sic singula enumerat, tanquam oculis cõspexisset vni-  
 uersa. Veruntamen vidit, sed intellectualibus oculis, non car-  
 nalibus. Spiritualibus enim oculis cernuntur diuina mysteria,  
 quæ animalis homo percipere non potest. Vnde Pharisei, qui  
 solum exterius considerabant præsentiam in te corporalem, non  
 potuerunt ad diuinitatis maiestatem assurgere. Sed Isaias cali-  
 tus illuminatus & subleuatus, de vtraque natura protulit testi-  
 monia veritatis. Nam de diuinitate sic dicit: *Vidi Dominum se-* *Isaia 6.*  
*dentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat omnis ter-*  
*ra maiestate eius.* De humanitate verò sic: *Vidimus eum, & non* *Isaia 52.*  
*erat aspectus. Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à* *& 53.*  
*Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est, propter iniquitates*  
*nostras, attritus est propter scelera nostra.*

9. Similiter & Ieremias Propheta sanctissimus, testimonium *3. Iere-*  
 tibi perhibet, cum magnum hæreditatis mysterium, hoc modo *mias.*  
 describit: *Quia creauit (inquit) Dominus nouum super terram, fe-* *terem. 31.*  
*mina circumdabit virum.* Quid tam nouum Domine Iesu, sicut  
 conceptio tua de Spiritu sancto, natiuitas ex virgine? Hæc est  
 nouitas à sæculo inaudita: quæ nec primam similem visa est,  
 nec



nec habere sequentem. O verè beata nouitas, qua vetus expulsa est iniquitas, & noua introducta sanctitas. Eia noua mater, gaude Maria: Tu es benedicta illa femina, de qua loquitur ista propheta, quæ & huius nouitatis felicissimo partu lætificari meruisti. Eum namque, quæ omnis creatura non capit, tu omnibus creaturis celsior facta, immaculata aluo circumdedisti. Et quamuis paruulum ac teneris indutum membrum, intra virginea viscera diu clausum gestasti, erat tamen vir etiam Iesus nondum natus, sed virtute non corpore; perfectione sapientiæ, non ætatis dimensione: imò mox vt conceptus est, plenus gratia & veritate. Sic ergo intelligendò, magnum fuisse probatur mysterium, ex ore Ieremiæ prædictum.

4. Baruch.  
Baruc. 3.

10. Hinc & in Baruch, illud memorabile testimonium ponitur: *Hic est Deus noster, & non estimabitur alius aduersus eum. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

5. Ezechiel.  
Ezech. 1.  
Ezech. 9.

11. Ezechiel Propheeta, qui multa de cælestibus viderat, hoc notanter de te commemorat, dicens: *Et super similitudinem throni, quasi aspectus hominis desuper.* Et item: *Vir quoque vnus in medio eorum, vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius. Tangit & sacratissimæ natiuitatis tuæ mirabile sacramentum, cum de porta orientali, diuinum meruit audire responsum. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa principi.* Tu es Princeps iste, Maria quoque clausa porta, quæ in concipiendò & pariendò, mansit semper virgo intacta.

6. Daniel.  
Dan. 2.

12. Daniel vir desideriorum, & sublimium secretorum cognitor, cum Regi Nabuchodonosor somnium suum prudenter edidisset, tuum profectò aduentum fideliter prædicit: *Videbas, inquit, ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, qui percussit statuam in pedibus eius ferreis & fœtilibus, & comminuit eos. Lapis autem, qui percussit statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Tu per lapidem istum signaris, qui de monte, hoc est de regno Iudæorù abscissus es: sine manibus, id est, sine maritali opere de virgine procreatus. Qui percussisti statuam in pedibus eius, qui statum mundani culminis, ad obediendum fidei, verbis & signis, etiam inter bella persecutionum mirabiliter incuruasti. Et factus es sicut mons magnus, implesti que vniuersam terrã. Quia qui prius apud Iudæam paucis notus eras, postmodum coruscante Euangelij gratia, toti mundo teipsum reuelasti. Aliud testimonium idem Daniel profert dicens: *Aspiciebam in visu noctis, & ecce cum nubibus quasi filius hominis veniebat: & usque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & lingua*

Dan. 7.



lingua ipsi seruiant. Potestas eius potestas aeterna, qua non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Quid hoc clarius testimonio, in quo uterque aduentus tuus in carne & ad iudicium, manifeste praedicatur.

13. Micheas tale dat testimonium, quod neque Scribe & Pharisei requisiti poterant reticere. Nam sciscitatio ab eis Herode rege, ubi Christus nasceretur? Illi responderunt, secundum verba huius Prophetae: *In Bethleem Iuda*. Sic enim ait idem beatus Propheta: *Et tu Bethleem Euphrata paruula es in millibus Iuda. Ex te enim egressus est dominator in Israel. Et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* In quibus plane verbis, utriusque natiuitatis tuae contextitur veritas: dum vnus egressus aeternus ex Patre, alter temporalis ex matre denunciat.

14. Abacuc Propheta super custodiam suam stat, & gradum figit, ut audiat, quid sibi de futuris dicatur, ac te in cruce speculetur. *Quia adhuc, inquit, visus procul, & apparebit in fine, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Et de passione tua sic: *Splendor eius, ut lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors.* *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Iste praeceteris Prophetis, specialiter exprimit dulcissimum nomen tuum, quod est super omne nomen, ita inquit: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

15. Sophonias consolatoriam textit prophetiam, & ad spiritalem latitiam erigit mentem, longa expectatione iam fessam. *Latere, inquit, filia Sion; iubila tu Israel. Latere & exulta in omni corde filia Ierusalem. Rex Israel Dominus in medio tui, ipse saluabit.*

16. Aggaeus quoque praedixit: *Adhuc unum modicum est, & ego commouebo calum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus.*

17. Zacharias latibundo corde, & quibusdam rerum indicijs testimoniū perhibet, dicens: *Lauda & latere filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.* Et iterū: *Exulta satis filia Sion, iubila Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinā, & super pullum filium asinae.* Hanc prophetiam tunc implesti, quando Ierolimam humilis aselli tergo infidēs perrexisti. Et ne dubitet quis de te ista praedicta, additur, vnde nō sit dubitandum, quia iam tenetur eius experimentum. *Et loquetur, inquit, pacem gentibus: & potestas eius, a mari usque ad mare.* Quod per praedicatores sacri Euangelij fideliter actum constat, qui pacē annunciauerunt his, qui propē, & his qui longē erant. Dehinc ad passionē se conuertit, ostendens quia sanguine tuo redempturus es es mundum. *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti viuos*



*tuos de lacte, in quo non erat aqua.* Et alia quidem multa idē Prophetā & ceteri Prophetā protulere testimonia, ē quibus non pauca nouo sunt inserta Testamento. Nec infideliter mouere debet legentem, si interdum aliter apud Euangelistas & aliter apud Prophetas, quædam audiat testimonia recitari. Euangelistæ etenim breuiter & clariùs asserunt, vtpote liberiori Spiritus sancti institutione formati, quod Prophetæ longo sepe sermone & obscurè prælibarunt.

Contra  
Iudæos.

18. Tantis igitur auditis assertionibus veritatis, noli ultra diffidere Iudæe vel Gentilis. Agnosce Christi incarnationem, per ora Prophetarum predictam & completam. Et si nostris literis non credis, tuos consule codices, & profectò ita inuenies. Tantum carnalem remoue intellectum & nudam literam noli infans ausu defendere, spiritum inquire, & ad mysteria Christi cor conuertere, si vis sanam in scripturis sanctis habere intelligentiā. Alioquin, si præter Christum in lege gloriaris aut Prophetis, inanis est gloriatio tua: & cæcus intellectus, quem sequeris. Non tibi proderit Moyses, si Christum non audis, de quo scripsit Moyses. Nec Prophetæ tibi proficiunt, si Dominum Prophetarum non receperis. Frustra per legem iustificari quæris, quando & multi patres ante dationem legis intuenti sunt iusti. Ex fide Noë dictus est iustus. Et Abraham credens Deo, etiam ante circumcisionem iustitiæ laudem accepit. Non igitur te iactes de nobilitate generis, non de patrum virtutibus, nec de diuinis tibi traditis eloquijs cælestibus promissionibus refertis; quia Deus corda humilium respicit, & fidem rectè credentium attendit. Atque idcirco gloriosus, & Deo acceptabilis eris, si in Christum credendo, priorū patrum fidem moresq̄e fueris imitatus. Qui utique iustitiæ meritum, non de legis obseruantia, non de multitudine victimarum, nec de proprijs actibus sperabant, sed de sola gratia saluatoris nostri Iesu Christi. Sic enim promisit Deus per Isaiam

Isaia 52.

Prophetam: *Gratis venūdati estis, & sine argento redimemini.* Respice Iudæe, respice, & ad verum lumen mundi Iesum Christum

Malach. 3.

conuertere. Ipse est dominator Dominus & Angelus testamenti, sicut ait Malachias. Ipse venit ad saluandum omnes gentes, tibi specialiter missus. Sed proh dolor, à multis filijs tuis nec agnitus nec susceptus. Enimvero si credis, quia venit, saluaberis: si non credis, veniet contra te, & damnaberis. Ait enim: *Si non credideritis, quia ego sum moriemini in peccato vestro.* Quam excusationē poteris asserre, ad defensionem erroris tui? Habes legem & Prophetas, sed accusatores potius quàm defensores, qui contra te stabunt in testimonium, quia credere noluisti. Moyses dicit:

Ioan. 8.

*Audite rebelles & increduli. Adhuc enim viuere me, & ingrediente vobiscum,*

Num. 20.

*Audite rebelles & increduli. Adhuc enim viuere me, & ingrediente vobiscum,*



*vobiscum, semper cōtentionē egistis contra Dominum, quanto magis cū mortuus fuero? Perseuerat hæc obduratio vsque hodie in te, & in semine tuo. Cū conuersus autem fueris, repropitiabitur tibi Deus, sicut & ceteris Gentibus. Conuertere, conuertere ad Dominum Iesum Christum Israel, & non eris vltra opprobrium in Gentibus. Duo sunt enim, quæ te præcipuè in perfidia detineat, amor temporalium, & carnalis sensus in scripturis. Attamen, leua Hierusalem in circuitu oculos tuos, & vide Israel numerum Christi fidelium, per totum mundum dilatatum: & erubescere nonne semper inueniri, qui credendo poteris perpetuam salutem adipisci. Non te offendat multitudo malè viuētium, qui penitendo possunt citius corrigi: sed bonorum magis Christianorum exempla intueri, quorum millia etsi humanos oculos latent, nunquam tamen in Ecclesia deficient.*

Cause per-  
fidia lu-  
dæorum.

19. Sed iam dimissa turba Iudæorum, ad Christum conuertere anima mea, quia ipse salus & redemptio tua. Si credere nō vult Iudæus, tu fide sta: quia est filius Dei, cui testimoniū perhibent omnes Prophetæ, diuinitus præmoniti & inspirati: quibus si crederent Iudæi, crederent & Euangelio Christi, sicut illis dicebat: *Si crederetis Mōysi, crederetis forsitan & mihi: Ille enim de me scripsit.* *Ioan. 5.*  
Sed non mirum, si credere ei detrectant carnales, sola visibilia sequentes, cū lex spiritalis sit, & neminem ad sui intelligentiam, nisi spiritalem intromittat. Quia verò humilis venit Dominus Iesus Christus, non est cognitus ab eis: quāquam & taliter venturū legant in Prophetis. Sed offenderunt miseri in lapidē offensionis, & petram scandali; humilem contemnentes, ac diuina operantem blasphemantes. Hæc audiens anima mea, esto velut apis prudentissima perfidorum vesaniam detestando, & piorum semper fidem humilibus gressibus sectando. Nec te terreat multorum prauitas, & paucorum pietas; cū Domini sententia sit, *Matth. 20.* multos esse vocatos, paucos verò electos. Nec ad te pertinet ista inuestigatio, quia solius Dei est hæc discretio. Ad te oculos reflecte, & quanta tibi à Deo donata sint, attende: atque pro tua vocatione & illuminatione, quibus vales grātijs referendis insiste. Latere, & toto corde exulta in Deo salutari tuo, qui te visitare dignatus est, oriens ex alto. Nam totum gratiæ fuit, & eximiæ dilectionis indicium, quòd sic venire voluit, qui potuit subuenire. Etsi debitorem in promittendo se fecerat, non tamen liberalitatis gratiam sibi idcirco abstulit: quia sine omnibus præcedentibus meritis, eius dona extiterunt.

20. O verè magnū venerandumquæ mysterium, à seculo absconditum, multis præcurrentibus testibus promissum, diu expectatum, ardentè desideratum, & tandem mundo exhibitum, &

M

fideli-



fideliter commendatum! Hoc magnum incarnationis sacramentum, pauci vulgares intellexerant: & penè soli Prophetæ visi sùt penetrasse intima eius, quibus de speciali reuelationis munere concessum est, prænoscere & scribere. Illi enim, sicut electi amici Dei, tam cælestis cõsiliij secretum intrare sunt permixsi: vt intelligerent humanum genus ob primæ præuaricationis culpam, in tantam cecidisse miseriam, quæ aliter aboleri nequibat, nisi per mediatoris gratiam; quo incarnato & passo, redemptionem acciperet homo. Hoc lucidè aures populares, quibus omnia in figuris contingebant, comprehendere non valebant. Ipsi magnum erat, si quod terrenæ promissionis donum acciperet. Prophetis nil magnum & letabile videbatur, nisi quod æternæ beatitudinis dulcedinem redolebat. Vnde vnus ex summis Prophetis, cūcta terrena superuolitans, quid peculiariùs amaret, ostēdit

1. Cor. 10.

dicens: *Quid mihi est in calo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum.* Sed hic amor cælestium atque spes futurorum, non omnibus inerat: & quid inter vmbra & veritatem differret, multi ignorabant, donec de cælo pax vera descenderes, & in hanc mundi vallem pro illuminandis hominibus, ( Iesu bonè ) introires. Postquam ergo Verbum caro factum legeris, atque inter homines creator hominis dignatus es apparere, quod clausum diu latebat, manifestari per te cœpit: & quod intellectu difficile, factum est capabile: & quod multis incredibile videbatur, ex tua salutari præsentia reddidisti visibile, & quodammodo ( vt ita dixerim ) manibus palpabile.

Psal. 72.

21. Deinde quædã, sicut ad litteram sonant, humiliter implesti, ostēdens quia de te scripta erant. Quædã verò non literaliter obseruasti, sed ad mysticū sensum meliùs retulisti: docens non omnia ad litteram accipienda prophetarum esse oracula, quæ tamen secundum spiritualem intellectum, semper salua sunt & integra. Siquidem testante Euāgelista, literaliter hæc in te completa est scriptura, de agno paschali: *a Os non confringetis ex eo.* Spiritualmente autem ista, quæ dicit: *b Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus.* Nam agnus sine macula, te innocentem designat & sine omnimoda culpa. Apertis ergo prophetijs simplices erudis ad fidem, obscuris verò dictis subtiliores ad alta quærenda mysteria suspendis. Aperta prophetia est: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Occulta est: *Ego sum vermis & non homo.* Aperta prophetia est: *a Videbunt, in quem transierunt: Occulta est: b Super lapidem unum, septem oculi sunt.* Secundum hunc modum, & alia multa inueniuntur testimonia de te verissimè prædicta, quæ destruere non poterit Iudæorum fallacia. Ipsi enim conabantur falsum inducere contra te testimonium,

Ioan. 1.

&

De sensu scripturarum.

&

a Exod. 12.

b Exod. 12.

&

Psal. 21.

Ibid.

a Ioan. 19.

b Zach. 3.

&

&amp;



& non erat conueniens testimonium eorum. Væ tibi perfide, qui eligis potius perire quam credere. Esto consentiens sermonibus veritatis, ne tibi dicatur, quod Sâduccis carnaliter in lege & Prophetis caligantibus dictum est: *Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei.* Omnis enim prophetia ad Christum tendit, & in Christo consummationem accipit.

12. Veruntamen Domine Iesu, non tantum Iudæorum salutem præfens in carne cogitasti, sed & omnium qui in te credituri erant, per sacram Apostolorum prædicationem, quos specialiter ad hoc opus elegisti. Qui licet primum simplices & sine literis homines fuerint, tua tamen quotidiana alloquutione, & largiori postea Spiritus sancti infusione, vt eis promissisti, in omnem inducti sunt veritatem, ita vt totius scripturæ caperent plenitudinem. Et tanto magis admiranda eorum prædicatio, & certior fides eis adhibenda; quanto verius constat, quod tanta magnalia ex seipsis nullatenus patrassent, nisi eos omnipotentissima manus tua roborasset: cum omnino arduum sit & verè opus diuinum, sacris fidei legibus totum subdidisse mundum. O sapientia Dei, quæ ex ore Altissimi prodidiisti: quanta pro nostra salute egisti, vt illuc nos reuocares, vnde cecidimus. Præmisisti Patriarchas & Prophetas, qui tuum nobis aduentum prænuntiarent. Dehinc Apostolos & Euangelistas destinasti, qui omnia esse completa docerent. O ineffabilis misericordia tua Domine, quæ supra id quam cogitari potest, declarata est. Nā nescientes te, sollicitè quæsiisti: deserentes te, nõ deseruisti: peccantibus tibi, benignissimè indulxisti: auersis longius à te, viam ostendisti æternæ salutis. Si tam pius factus es inimicis, quid eris amicis? Certè omnia in omnibus, vt nil desit tecum epulanti- bus & gaudentibus in regno Patris tui. Amen.

*Sequuntur testimonia noui Testamenti, de eadem incarnatione Christi.*

23. **S**ed iam ex nouo Testamento, pauca sunt etiam requirenda testimonia. Cuncta quæ inibi scripta lego, tua esse testimonia in hæsitante credo. Et nõ sicut olim in figuris & ænigmatibus, sed planis ac potentibus verbis, te Christum Dei filium prædicat. Testatur hoc primò Angelus Gabriel, missus ad Mariam virginem, dicens: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Testatur & Angelus loquens pastoribus: *Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate David.* Testantur & illi deuotissimi Magi, qui ab Oriente venerant Hierosolymam, qua in Bethleem directi, mysticis honorare muneribus, quæ præuiderant in sydere. Testatur hoc idem memorandus ille Simeon,

Testimonia ex nouo Testamento.

1. Angelus. Luca 2.

2. Magi sancti.

Matth. 2.  
3. Simeon iustus.

M 2

iustus



Luca 2.

iustus & timoratus, qui expectabat consolationem Israël. Hic & nim accepto responso à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, in spiritu venit in tēplum.

Ibid.

Accipiens ergo infantilis corporis tui membra in vlnas suas, sed maiestatem intus cognoscens, cum gratiarum actione deuotè canebat: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Quo expleto cantico, ait etiam ad venerabilem matrem tuam: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur.* Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

4. Ioannes  
Baptista.  
Matth. 3.  
Luca 3.  
Ioan. 1.  
Ibidem.  
Ibidem.

O deuota & sincera fides huius beatissimi senis! Ipse namque te adorauit infantem, quem Scribæ & Pharisei contempserunt miracula facientem. Ipse te verum Deum confitetur, & hominū illi seductorem vocant, & dæmonium habentem, Propterea iste veneratione & laude dignus habetur, & illi tanquam filij perditionis merito refutantur. Testatur & venerabilis Ioannes

Baptista, qui ad perhibendum tibi testimonium, diuinitus directus est in mundum. Et clamabat dicens: *Post me venit vir, qui ante me factus est, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Videns autem te inter homines conuersantem, sed ab omni peccatorum labe innocentem, ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ille erat lucerna ardens & lucens, sed tu lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Ille præco, sed tu Iudex. Ille humilis seruus, & tu omnium Dominus. Ille amicus Sponsi, tu Sponsus Ecclesiæ. Ille Propheta Altissimi, tu vnigenitus filius Dei, coæternus Deo Patri. Ille tanquam Lucifer matutinus te præcessit, viam præparando, tu sicut sol rutilans, sequutus es, omnem iustitiam implendo. Qui & beatos Apostolos tuos, tanquam solares radios, misisti in orbem vniuersum ad prædicandum fidei lumen cunctis Gentibus in salutem.

5. Trinitas  
a Deus  
Pater.  
Luca 3.  
b Spiritus  
sanctus.  
c Filius.

¶ Habes adhuc aliud testimonium, maius Ioanne. Pater enim de cœlis testatur dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* b Spiritus sanctus in columbæ specie apparens, super te descendit ac mansit. c Tu præsens in carne, quantè gloriæ esses ac potentiæ, fidelissimo amico Ioanni, altius declarasti, ita vt præ magnitudine tunc sibi factæ reuelationis, priorem tui cognitionem, quam acceperat, potius ignorantiam reputans, diceret: *Et ego nesciebam eum.* O virum sanctitate excellentissimum, ad tam singulare altissimumque intuendum mysterium Trinitatis prælectum: cuius vita & mors, baptismus & prædicatio, tui aduentus in carne verissima extitit testificatio.

Ioan. 1.

6. S. Petrus.

24. Veniat nunc beatissimus Petrus Apostolus, feruidus ama-  
tor



tor tuus, & deuotus confessor veritatis: quid sentiat, & qualiter in te credi oporteat, suppressis errantium opinionibus, palam edicat: *Tu es (inquit) Christus filij Dei vni.* O verè Apostolica confessio, quàm caro & sanguis nõ docuit: sed cælestis reuelatio filio columbæ inspirauit. Ideoque ob firmitatem fidei suæ, meruit & Petrus à petra dici: quia tibi tanquam solide petra, omnibus relictis adhæsit. Si miratur quis rudem piscatorem, Apostolici ordinis factum Principem; miretur & Moysen ducem populi, & Dauid Regem, prius aliquando pastores ouium fuisse. Qui ergo Moysen in Prophetam, & Dauid de postfœtantes suscitauit in Regem, ipse profectò beatum Petrum quondam piscatorem, totius Ecclesiæ suæ promouit in Principem. Procedat iam Paulus, magister Gentium, & doctor orbis, vas electionis & lumen Ecclesiæ vniuersalis, ad dandum tibi testimonium. *Vbi (inquit) venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Hic est ille gloriosissimus Paulus, cui de cælo loquutus es: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Hunc de persecutore prædicatorem, de Phariseo Apostolum fecisti: iubens vt nomen tuum, quod antea persequeretur, per totum uerheret mundum: nec timeret illud portare coram Gentibus, & regibus, & filijs Israël. Qui strenuè Apostolatus sui implens officium, ac per diuersas mundi discurrens partes, Euangelica cecinit tuba: peruenitque sonus nominis tui in fines orbis terræ, per os gloriosissimi Pauli. Iã enim non est in orbe Ecclesia, quæ beati Pauli non fulciatur doctrina, sub pace Catholica. Cõfudit Iudeos, & vehementer eos autoritate sanctarum scripturarum conuicit, affirmans quoniam tu es Christus filius Dei. Gentiles conuertit, idola nihile esse docuit, Barbaros subiugauit, Philosophos confutauit, & omnes pariter ad fidei lumen traxit. Hic est ille diuinus Paulus, qui ad cœli tertij secreta raptus, Euangelium quod prædicauit, non ab homine neque per hominem, sed per reuelationem tuam (Iesu Christe) didicit. Ideoque confidētius illud prædicare, & magnificentius de eo scribere potuit, sicut & fecit. *Magnum est, inquit, Sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

25. Dicat & Andreas frater Simonis Petri, ardētissimus amator crucis, vnus ex discipulis beati Ioãnis: sed, postea te sequutus, à quo etiam in Apostolum est electus; dicat inquam testimonium tibi, vt audiamus & credamus. *Inuenimus, ait, Messiam, qui dicitur Christus.* O simplex & constans fides, cunctis imitanda Christianis. Simplici etenim corde te sequutus, deuota oris professione.



Simoni fratri suo mox p̄d̄ere curauit, quā à te fonte veritatis hauserat fidem. Et adduxit eum, videlicet Petrum, ad Iesum. Hoc est enim verè te inuenisse, fraternæ salutis consulere, eique iter celestis vitæ ostendere. Non sic Iudæi qui tentantes dicebant: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Vē vobis Scribæ & Pharisei, qui nec signis nec verbis Christi credidistis. Andreas homo sine literis audiens Christum semel loquentem, sequutus est eum & credidit. Vos scientes legem & Prophetas, insuper audientes veritatem ex ore Christi, videntes quoque signa & mirabilia eius, quæ nemo alius fecit, necdum credidistis ei. Propterea grauius accipieris iudicium, & iudicabit vos pia simplicitas fidelium, cum ijs qui dixerunt: Non est Deus, & vani sunt, qui seruiunt ei.

Ioan. 10.

9. S. Iohannes  
Euāgelista.

a Ioan. 13.

b Ioan. 1.

c Ibid.

d Ioan. 21.

Ioan. 20.

Ioan. 20.

1. Ioan. 4.

10. S. Phil.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

26. Loquatur & ille prædilectus Apostolus Iohannes, a qui in coena supra pectus tuum ( Domine Iesu ) recubuit. b In principio ( inquit ) erat Verbum, & Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum. Et infrā: c Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenū gratia & veritatis. d Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius. Sed ô dulcissime Iohannes, quæ est causa huius Euangelicæ descriptionis? Hæc autem scripta sunt, vt credatis: quia Iesus est Christus, filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius. Hic est Iohannes, quæ sæpe sibi socium adsciuit Petrus, ac pari constantia principibus & magistratibus restitit. Qui ab eisdem etiam cæsus non tacuit, sed pro nomine tuo ( Iesu ) contumelias atque verbera gaudens sustinuit. Missus exinde ab Apostolis cum Petro, promptu Samaritiam adiit, vt credentes Spiritum sanctum acciperent, orauit, & impetrauit. Hic est Theologus Iohannes, Summæ Trinitatis limpidissimus inspector ac relator, colūna primitiue Ecclesiæ, rector ac fundator totius Asiæ: qui propter verbum Dei & testimonium Iesu, in exilium trusus Apocalypsis librum, celestibus visionibus plenum, in eodem loco conscripsit: perhibens in principio & in fine, quia spiritus prophetiæ eius, est testimonium Iesu. Hic in epistolis suis, charitate diuina flagrantibus, pulcherrima quadam de incarnatione testimonia internectit: *Omnis spiritus, inquit, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est.*

27. Delectat & testimonium Philippi audire, qui inueniens Nathanaëlem dicit ei: *Quem scripsit Moyses in lege & Prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Sic enim adhuc à multis patiebaris te dici & putari, priusquam temetipsum mundo reuelares. Reuera autem nō filius Ioseph, sed filius es intactæ puerperæ, perpetuæ virginis Mariæ, de qua Spiritus sancti conceptus es

ope-



opera, & sine omnilabe peccati procreatus. Huic veritati altius testimonium perhibet Nathanaël verus Israëlita, in quo dolus non est, & ait: *Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Si etiam legislatoris testimonium quaeritur, adest Nicodemus princeps Iudaeorum dicens: *Rabbi scimus, quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hac signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Iam nunc perpendite, ó Iudæi, & videte, quot testes habet Christus, quem vos negare non timuistis. Si adhuc plures desideratis, arguet vos a fides Latronis, & cõfessio Ceturionis, quorum vterque Christum cognouit: ille in cruce pendentem, iste cum clamore expirantem; & ait: *b Verè hic homo filius Dei erat.* Falsa est ergo obiectio vestra, quàm aduersus Christum tulistis, dicentes: *c Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.* Quoniam quidem Christo non desunt testes, nec in veteri nec in nouo Testamento, si ea recipere velletis. Sed quia vobis charitas deest, nec habetis verbum Dei in vobis manens, propterea nulla vos potest autoritas informare. Quid mihi & Iudæis istis? Quae pars fideli cum infideli? Non plus, quàm lucis conuentio ad tenebras. Attamen, dum eorum manifestus error conuincitur, nostra fides, in te ( Domine Iesu ) ampliùs solidatur. Prodest mihi stulta eorum interrogatio ad cautelam. Prodest multo fortius tua dulcissima responsio, ad doctrinam veram: Dixisti itaque eis: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* Libenter audio Prophetas de te loquentes, sed dulcius mihi insonat verbum ex ore tuo. Gratum est testimonium prophetarum, sed gratius accipio testimonium à te prolatum. Si enim testimonium hominis accipitur, testimonium tuum maius est, quia veritas es, quae non fallit: sapientia quae omnia nouit. Propter nostram tamen imbecillitatem firmandam adhibuisti prophetas, qui nobis profuerunt, non tibi. Sicut etiam quibusdam respondisti: *Non propter me vox hac venit, sed propter vos.* Gaudeo igitur ( amantissime Iesu ) in omnibus, quae loquuti sunt prophetae. Exulto & in his, quae Apostoli nobis tradiderunt & Euangelistae. Quorum omnium vna fides, vnus spiritus fuit & intellectus, summè sibi concordans. Spiritus enim sanctus adimpleuit corda eorum, vt praetitorum simul & futurorum caperent arcana. Quae dum lego vel audio, tota fidei deuotione amplector, & in tui nominis amore, quamuis indignus peccator, accendor. Mihi deseruiunt Prophetarum eloquia, eorum visiones, & caelestes alloquutiones. Mihi Euangelistarum proficiunt scripta, atque discipulorum tecum conuersantium corporalis aspectus, auditus, & tactus. Pro me viderunt, qui digni fuerunt,

11. Nathanael.  
Ioan. 1.

12. Nicodemus.  
Ioan. 3.

13. Latio Centurio.  
a Luca 25.  
b Matt. 27.  
c Marc. 15.  
Ioan. 8.

2. Cor. 6.

Ioan. 8.

Ioan. 12.



Pro me audierunt, qui enarrare debuerunt. Pro me tetigerunt, qui me in fide confirmaturi erant.

Martyrum  
testimonia  
de Christo

1. S. Ste-  
phanus.

Act. 7.

2. S. Lau-  
rentius.

3. S. Vincēt.

4. S. Igna-  
tius.

Iesus Chri-  
stus, literis  
aureis scri-  
ptum.

Cōfessori  
& doctorū  
testimonia  
de Christo.

28. Perhibent consequenter gloriosissimi martyres tui, vali-  
dissimum testimonium tibi. Hi namque, non tātum oris confes-  
sione, sed & preciosi sanguinis sui effusione testimonium reddi-  
dere: quos nec poenarum acerbitas, nec blandimentorum molli-  
ties, potuit à vera fide vllatenus deflectere. S. Stephanus proto-  
martyr tale perhibet testimonium: *Ecce video caelos apertos, & filium  
hominis stantem à dextris virtutis Dei.* B. Laurentius martyr, cum  
esset in tormentis, hæc verba loquutus est: Domine Iesu Christe,  
Deus de Deo, miserere mei serui tui: quia accusatus, non negavi  
nomen sanctum tuum: Interrogatus, te Dominū confessus sum.  
B. Vincentius Leuita, martyrque magnanimus, licet toto exten-  
deretur corpore, non est tamen contractus corde: sed viua voce  
audacter exclamauit: Hæc est gloria nominis Christiani, paratus  
sum Christi seruus ad omnia. S. Ignatius B. Ioannis Apostoli  
discipulus, plumbatis casus, vngulis laceratus, viuifque carbo-  
nibus traditus, magnum fidei dedit testimonium: & quantum in  
eius corde exarserat fortis, vt mors dilectio, feruenti indicauit  
responso dicens: Nec ignis ardens, nec aqua ebulliens, poterit in  
me Iesu Christi extinguere charitatem. O insignem martyrem,  
cuius constantia ad admirationem duxit Traianum Imperato-  
rem! Quis, inquit, Græcorum tanta toleraret pro Deo suo? Eia,  
quàm maximè decet eum venerari, ac deuotis laudum præconijs  
vbique prosequi, qui inter tot tormentorum genera, nunquā ab  
inuocatione dulcissimi nominis tui (Domine Iesu) legitur ces-  
sasse. Super quo requisitus ait: Hoc nomen cordi meo inscriptū  
habeo, & ideo ab eius nominatione cessare non valeo. Quod  
postea ab eius corpore extractum atque per medium scissum, in-  
uentum est habuisse, Iesus Christus, aureis literis inscriptum. O  
bone Iesu, quàm amabile & iucundum est nomen tuum, in cor-  
de te diligentium! O quàm summè etiam mihi necessaria est fre-  
quens inuocatio mellisui nominis tui, inter tam multimoda tē-  
tamenta versanti. Dignare igitur Domine Iesu, dulcissimum no-  
men tuum tanquam memoriale perpetuum, cordi meo inscribe-  
re: & tam forti zelo charitatis illud accende, quod nec tristitia nec  
lata me queant ab amore tuo separare.

29. Perhibent etiam venerabiles confessores atque doctores,  
gestis & doctrinis suis, multa laudabilia testimonia tibi. Hi enim  
sunt, qui se murum pro ecclesia posuerunt, & fortissimos contra  
hæreticorum versutias dedere latratus. Ex his est gloriosus Hie-  
ronymus presbyter, egregius doctor Ambrosius, beatissimus  
præsul Augustinus, dulcissimus Papa Gregorius, Venerabilis Be-  
da,



da, deuotissimus Bernardus, cæteri que huiusmodi nominati ac famosi viri, strenui opere, eloquentes sermone, fide catholici, scientia diuites, se & alios quàm plurimos ædificantes; ac posteris suis dignam memoriam diuinæ eruditionis relinquentes. Ait namque gloriosus pater Hieronymus, cum positus in extremis sacram esset accepturus communionem: Tu es ille, qui cum Deo esses solus ante omnia tempora, & sine principio genitus à Deo patre æterna & inuestigabili generatione, intra vnus puellæ, id est, virginis gloriosæ corpusculum, te clausisti factus homo. Sic enim in virginali utero hominem suscepisti, quòd nec sine homine Deus es, nec sine Deo homo. Tu certè vita es, qua omnis uiuit creatura, & sine qua moritur. Tu es vita vitalis dulcis & amabilis, atque iucunda. Odoris tui suauitas ægros recreat & debiles quos tuos facit sapor salubres ac fortissimos. Dicit hymnidicus orator Ambrosius: O mira circa nos tuæ pietatis dignatio. O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres filium tradidisti. Ait eruditissimus doctorum Augustinus: Redemptor & conditor noster, Filius Dei, ante secula existens; filius hominis factus est, in fine seculorum: vt qui per diuinitatis suæ potentiam creauerat, ad perfruendam vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret, ad percipiendam quam perdidimus vitam. Hic est sublimis ille contemplator Augustinus, cuius cor charitas Christi ita vulnerauerat: vt eius verba, quasi sagittas acutas, in visceribus gestaret: qui in primordijs conuersionis suæ, non satiabatur dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij diuini, super salute generis humani. Vnde & desiderio diuinæ cognitionis accensus, cum supra se incommutabilem veritatem inquireret, hanc in vocem iubilationis erupit: O æterna veritas, & vera charitas, & chara aternitas. Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Dicit præclarissimus Papa Gregorius: Venit inter homines mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, ad præbendum exemplum vitæ hominibus simplex, ad non parcendum malignis spiritibus rectus, ad debellandam superbiam timens Deum, ad detergendam verò in electis suis vitæ immunditiam, recedens à malo. Idem: O quanta est misericordia conditoris nostri. Serui digni nõ sumus, & amici vocamur. Origenes: Vnigenitus Filius Dei, qui ante secula ineffabiliter ex solo Patre natus est, iam seculi appropinquante fine, ex voluntate Patris, in humano corpore, sancto cooperante Spiritu, inter homines venit. Isidorus: Certè Deus, quòd nec errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Filium suum, vt carnem indueret, & hominibus appareret, & peccatores sanaret. Leo Papa: Ingreditur hæc mundi infirma

1. Hieron.

2. Ambros.

3. August.

4. Gregor.

5. Origen.

6. Isidorus.

7. Leo Papa

Filius



Filius Dei, de caelesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis; visibilis factus est in nostris. Incōprehensibilis, voluit comprehendi: ante tempora manens, esse cōcepit ex tempore. Maximus Episcopus: Saluator mundi per matrem nascendi tempus accepit, qui de patre nascendi non habet tempus. Habitator cæli venit ad terras, qui terrarum incolas euocaret ad cælum. Verbum caro factum est, non vt Deus vacuaretur in hominem, sed vt homo glorificaretur in Deum. Fulgentius Episcopus: Christus Dei filius de Deo vero Deus verus, & vnus cum Patre naturaliter Deus, semper ex seipso sanctos Angelos pascit, sed tamen Angélicam naturam Dei filius non accepit. Vt autem suam charitatem Deus commendaret in nobis, filius eius naturam nostram suscepit ex nobis; vt Deus vnigenitus, qui panis est Angelorum, vt etiam homini seipsum faceret panem, simul hominis & animam suscepit & carnem. Accepit vtramque veram, vtramque sanctam, vtramque mundam. Accepit animam nostram sine iniquitate. Accepit carnem nostram cum mortalitate, vt secundum ipsam moriens mortem vinceret. Accepit animam iustam, per quam nostris animabus iustitiam redderet. Chryso-stomus: Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes: humana querere, patrare diuina: accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre sanitates. Sustinuit has necessitates, vt homo verus humanis actibus probaretur. Beda: *Verbum caro factum est*, id est, Deus homo factus est & *habitauit in nobis*, vt per cognatum nobis hominis habitum, nobis conuersando congruere, nos alloquendo instruere, nobis viuendo viam præbere, pro nobis contra hostem conflagere, nostram mortem moriendo ac resurgendo posset destruere. Bernardus: Vnigenitus Dei, sol iustitiæ, tanquam immensi & præclari luminis cereus, huius mundi carcerem illuminaturus est accensus: vt omnis, qui illuminari voluerit, accedat ad illum, illique iungatur, vt nihil medium sit inter illum & ipsum. Idem: Ego arbitror inuisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus conuersari: vt carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem amorem affectiones traheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritalem.

8. Maximus  
Episcopus

9. Fulgen-  
tius Epif-  
copus.

10. Chryf.

11. Beda.  
Ioan. 1.

12. Bernar.

Mulierum  
testimonia  
1. Maria  
Magdal.  
Lucæ 7.

20. Perhibent quoque illustrissimum tibi testimonium Maria & Martha sorores Lazari, quæ vnica deuotione tibi adhæserunt in carne cōuersanti. Maria hæc est deuotissima lotrix pedum tuorum, quæ non externas aquas, sed contriti cordis sui lachrymas

ad



ad abluendum obtulit, capillos ad extergendum expandit, labia ad osculandum præbuit, manus & brachia ad vngendum parauit. Totum quippe ad pietatem conuertit, quicquid prius seculi vanitate contraxerat. O felix huius mulieris contritio, quam mox sequitur omnium peccatorum remissio. Nam quæ anxia venerat, libera redit in pace. Hæc iustior Phariseo, fidelior Simone leproso: qua ille dubitat, ista credit; ille reprehendit, ista veneratur & diligit. Ille falsam iustitiam præterdit, ista veram humilitatē vbique ostendit. Hæc est gratissima & familiaris amica tua, quæ post multa humanitatis obsequia, etiam testis resurrectionis tuæ fieri meruit, & nuntia prima. Martha autem soror eius, fatagens circa frequens ministerium, perfectæ fidei tibi reddidit testimonium. Ego, inquit, *credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti*. Hæc est illa dilecta hospita tua, quæ honorificè te sapius in domum suam recepit corporaliter: sed intra domum mentis suæ, gratiorem parauit locum mansionis: vbi fide, spe, atque dilectione congaudente, spiritaliter recubuit. Huius quoque perfectam fidem æmulata mulier quædam de turba, sublimi voce clamabat: *Beatus venter, qui te portauit, & ubera, que suxisti*. Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier fuisse cognoscitur, quæ Scribis & Phariseis te blasphemantibus, tanta incarnationis tuæ mysterium sinceritate confitetur.

Ioan. 20.

2. Martha.

Ioan. 11.

3. Mulier  
Euāgelica  
Luca 11.

31. Perhibent etiam sacre virgines testimonium tibi, quarum Sponsus & consolator dignatus es fieri. B. Agatha, ingenua virgo & spectabilis genere ait: Mens mea solidata est, & in Christo fundata. Hæc est, quæ latissimè & glorianter pro nomine tuo ibat ad carcerem. Hæc post torturam & abscissionem mammillarum suarum, nullum carnale medicamen quæsiuit. Sed habeo (inquit) Dominū meū Iesum Christum, qui solo sermone restaurat vniuersa. Lucia virgo deuota, iucundum tibi habitaculū in sua virginitate preparans, magnam fidei suæ ostendit virtutē, dicens: Ego per tres annos sacrificauit Deo viuo. Iam quia nihil superest, meipsam offeram in sacrificium Deo hostiā viuentem. Et cum incendio traderetur, orando vim ignis repressit, dicens: Rogavi Dominum meum Iesum Christum, vt ignis iste non dominetur in me. Agnes virgo beatissima, tua specialis & dilecta sponsa, tam euidentis tibi perhibet testimonium, vt non humanum sed diuinum videatur fuisse oraculum, omne quod dixit. Naturam & ætatem superat, quod hæc nobilis virguncula, de fide & castitate, de amore & pulchritudine Sponsi sui proferebat. Amo (inquit) Christum, in cuius thalamum introiui, cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit. Ipsi soli

Virginum  
testimonia  
1. Agatha.

2. Lucia.

3. Agnes.



foli seruo fidem; ipsi me tota deuotione cōmitto; cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Et gloriabatur, sicut dignum omnino erat, dicens: Annulo suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus, & tanquam sponsam decorauit me corona. Cæcilia virgo clarissima, in pectore suo gerens Euangelica verba, tibi que soli placere desiderans, nulli animum voluptati dedit nec vanitati: sed ieiunijs & orationibus intenta, in corde suo decantabat dicens: Fiat Domine, cor meum & corpus meum immaculatum, vt non confundar. Interrogata autem de fide, magna constantia respondit: Nos scientes sanctum nomen, omnino negare non possumus. Similiter & cæteræ sacræ virgines, Catharina, Barbara, Ursula, & Christina, in fide constantes, in amore tuo feruentes, lenocinia carnis calcantes, Angelicam puritatem diligentes, sexum vicere in seculo, & nomen sempiternum meruerunt in cælo.

4. Cæcilia.

5. Catharina, Barbara, Ursula, Christina.

Elemētōrū ac creaturarū rationis experitium testimonia.

a Cæli.

Matth. 2.

b Terra.

Ioan. 11.

Matth. 27.

c Mare.

Ioan. 6.

Ioan. 2.

d Aer.

Matth. 8.

e Sol.

Luca 23.

f Lapidēs.

Matth. 27.

g Nubes.

Ait. 1.

Isaia 1.

Phil. 1.

32. Perhibent etiam testimoniū tibi ipsa elementa, quæ condidisti. Dignum quippe fuit, vt & irracionales creaturæ suum cognoscerent creatorem: & quem vocibus nuntiare non poterant, eximijs signis declararēt. Tibi enim sicut creatori tuo, omnis tenebatur famulari creatura. Præbens ergo insolitæ nouitatis obsequium, factis sine dubio ostendit se cognouisse Dominum. Nam cælorum te esse Dominum cæli cognouerunt; quia in ostensione natiuitatis tuæ, a stellā protinus miserunt. b Terra cognouit, quæ quadriduanum mortuum Lazarum, ad vocem clamoris tui reddidit. Sed & in passione tua, mota est & cōtremuit. c Mare cognouit, quia solidum iter pedibus tuis præbuit, ac Petro Apostolo viam ad te meabilem fecit. d Aer cognouit, quia a duris flatibus, te iubente mox siluit. e Sol quoque cognouit, quia passionis tempore radios sui luminis subtraxit, ne morientem cerneret, quæ suæ pulchritudinis fabricatorem intellexit. f Petræ & saxa cognouerunt, dū eadem hora ad compassionem scissa sunt. g Nubes cognouerunt, quia ascendentem in cælum susceperunt. Cū ergo omnia hæc elementa, Deum ac Dominum suum in carne venisse proclamant, noli tu homo rationalis creatura dubius esse aut segnis, ad confitendum mysterium incarnationis Christi, pro tua præcipuè saluatione gestum, plenum diuinis miraculis, firmatum vndique scripturarum testimonijs: ne fortè insensatis insensibilior, aut iumentis stolidior fias. Quemadmodum contra Iudaicam perfidiam, intonat per Isaiam Dominus: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel me non cognouit, populus meus non intellexit.* Sed his iam sub modamine perscrutaris, sint gratiæ & laudes tibi ( Domine Iesu ) infinitæ, atque in nomine tuo flectatur omne genu, cælestium, terrestrium,



strum, & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria Dei patris. Amen.

## S E C V N D A.

*De desiderio Prophetarum, & deuota preparatione erga aduentum Christi.*

1. **E**CCE *ueniet desideratus cunctis gentibus.* Attendite & auscultate omnes fideles & deuoti, quid de Christo loquatur Prophetarum libri. Decet namque nunc in tam sacro tempore aduentus Domini specialem habere memoriam, de prophetijs incarnationis Iesu Christi. Idcirco enim nobis quotidie sanctorum prophetarum scripta de Christo palam recitantur: quatenus audita voce precedentium patrum, magis ac magis in amore Verbi incarnati, totus affectus cordis nostri accendatur. O quanto desiderio olim ardebant sancti Patriarche & Prophete, de sola futura promissione. Pudendum nobis valde est, si minori nunc flagremus desiderio, ad exhibitam Christi in carne presentiam: quando illi ardebant, ad solam Verbi incarnandi memoriam. Exultauit Abraham pater omnium credentium, ut videret diem Christi, quem in spiritu de sua stirpe nasciturum prauiderat. Et gaudens est gaudio non modico, propter certam spem, quam de Christo nascituro acceperat. Similiter autem & alij multi antiqui sancti, id ipsum frequenter desiderauerunt, qui per spiritum hoc præsauerunt cupientes tam magnum citius impleri mysterium, quod nos iam gaudemus esse completum. Quod satis euidenter Dominus ostendit, cum præsens in carne discipulis suis ait: *Multi reges & Prophete voluerunt videre, qua vos videtis, & non viderunt.* Agg. 2. Ioan. 8. Luca 10.

2. Paruum igitur amorem videtur habere ad Christum, quisquis in desiderio animæ suæ non recogitat, quam diuinum sit mysterium, quam magnum beneficium homini collatum, quod Christus incarnari voluit. Attamen, libenter pius Dominus, de se meditantibus gratiam deuotionis dare consuevit, qui ad dandam benedictionem in hunc mundum venit. Quia sine vnctione non est Christus, nec sine dulcedine cogitatur Iesus. Neque enim dubitandum, quin studiosis mentibus multa late ac pulchra sanctæ meditationis occurrent materia, quæ desidiolis & negligentibus velata sunt & remota. Quia Christi mysteria intelligere digni non sunt, qui ea cum humilitate & desiderio non requirunt. Hinc ad discipulos ipse dicit: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis.* Luca 8.

3. Trahit autem vehementer amor Iesu amatores suos, ad ruminandum



minandum melliflua verba ex ore eius procedentia, & ad cogitandum diuina eius opera in carne patrata: ad quæ dignè pensanda, nulla sufficiunt tempora vel momenta. Talibus enim familiare est, in quibuslibet necessitatibus suis & causis, ad dilectissimum amicum & consolatorem suum Iesum recurrere. Quia ipse fons omnium gratiarum & virtutum, qui solo verbo & unico nutu cuncta potest indisposita reformare. Diuersis autem modis, ab ipso consolationem recipiunt, & interdum valde magnas mentis illuminationes merentur, qui sic deuotè ac humiliter ad ipsum confugiunt. Et quanto intimius se ad ipsum conuertunt, tanto altiores mentis excessus ab ipso visitati incurrunt. Danda est ergo magna opera his deuotis diebus, & semper aliquid salutare in corde versandum, de lege & Prophetis; de desiderio antiquorum patrum, de caelestium profunditate mysteriorum, de reuelatione futurorum, amplius autem de adimplerione omnium promissorum.

4. Frequenter etiam & instanter est orandum, vt affectus noster ad Christum intimè trahatur: & intellectus spiritualium rerum, cum Prophetis nobis aperiatur. Sic enim in agnitione filij Dei proficere poterimus, & in virtutibus amplius crescere, qui pro nostra salute dignatus est homo fieri. Quam excusationem poteris anima mea prætere, si tantam neglexeris gratiam cogitare? Quid inquam Christo in futuro respondebis, si non fueris grata tantis beneficijs, quibus te prærogauit præ multis gentibus & linguis? Quanti enim fuerunt, qui Christum non cognouerunt, nec de illo audierunt? Quanti etiam, qui contempserunt & credere noluerunt? Tibi autem datum est non solum credere & audire, sed etiam quæ de Christo scripta sunt & prophetata, legere ac intelligere. Sis igitur de exhibitione talium beneficiorum Deo grata, & inconsideratione operum diuinorum studiosa. Totum vtiq; est plenum spiritu & veritate, totum plenum amore & suauitate, quicquid de Christo scribitur vel cantatur. Non deest materia exercendæ deuotionis, nec tempus sacræ medita-

tionis libri etiam aperti sunt, & sermones sanctorum multiplicata omnia bene ordinata à patribus, in agendis diuinis officijs. Quid igitur habes dicere, non sum valens pro bona meditatione, cum tanta sint præparata, in cunctorum fidelium consolationem? Tempus etiam hoc hyemale aptum satis est, pro deuotione exercenda & vnione cum Domino possidenda. Quamuis enim frigidum sit, tamen interni amoris incendium impediri non potest, nec extingui. Sed & noctes solito longiores, diutiùs orandi atque psallendi tribuunt facultatem. Nec nõ asperitas imbrum,

ven-



ventorum vis & aliorum, euagadi tollunt opportunitatem. Omnia enim videntur nunc dicere. Maneat vnusquisque apud se, & occupet se tantum cum Iesu die ac nocte. Nullus egrediatur extra ostium tabernaculi sui, quia tempus non patitur: sed sabbatizet sabbatum mentis, & praparet Domino locum pulcherrimam in se mansionis. Nam quanto sensus exteriores magis restricti sunt & vniti: tanto spiritus intus liberior fit, & ad diuina cōtemplanda potentior. Sed iam nil restare videtur, quam gratia & virtus Spiritus sancti: sine qua inops est vita nostra, & infra iacens hominis quolibet diligentia. Hęc autem si adsit, citò ad superiora rapit: & satis est amanti, etiam si literas nesciat. Scienti autem literas, ad intellectum necessarius est spiritus: quia sine spiritu, literarum cassæ sunt, sicut & preces insipidæ omnes.

6. Insiste igitur deuotioni maiori, in tam sacro tempore aduentus Domini: ab eo autem specialiter die, quo cantatur. O sapientia, in festo beatę virginis Lucię. Tunc sursum cor & anima, ad Christum affectuosiùs sunt subleuanda: quia ipse est, quę aduenire desiderat sancta mater Ecclesia. Hęc siquidem exclamatio sanctorum Prophetarum, desiderium ingens insinuat, nec non cuiuslibet fidelis animę affectum Christi optantis aduentum. Tanquam inter votiuas preces diceret: O bone amantissime Iesu, vera & æterna sapiētia Patris, qui nos mirabiliter creasti, veni & salua iam lapsos mirabiliore ordine, quo id agere disposuisti. Veni ad visitandum nos in ergastulo carnis, nascēdo sine contagio carnis: vt liberentur electi tui, quos pondus peccatorum grauat, & horror mortis graniter affligit. Veni ad illuminandum mundi tenebras, & tenebrosas expurga conscientias: quatenus peccatorum vinculis absoluti, in tua miseratione lætemur: atque gratia tua erecti, spe æternorum bonorum consolemur. Per te Iesu Christe, verum animę lumen, ex Patre ante sæcula genium. Amen.

## T E R T I A .

*De occurſu & susceptione celestis regis.*

1. **D**icite filia Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Olim Deus Matth. 21.  
loquens Patribus & Prophetis, multos testes suę incarnationis præmisit, & nunc sub eisdem penè verbis, cuiuslibet animę fidelis sui aduentus tempus denuntiat. *Dicite*, inquit, *filia Sion*. Vos ibid.  
qui spirituales estis, & prophetiæ spiritum habetis: Aut vos, qui Prophetas legistis, & scripturas nostis, dicite inquam animę expectanti & meum aduentum plurimum desideranti, vt oculos dei suę aperiat, & me statim adesse cognoscat. Nam talē animam quærō, quę me videre desiderat, & de me frequenter cogitat.

Huic



Abac. 2.

Huic mando & remando, ne tædio torpeat: sed euigilet, surgat, & expectet. Oret proinde, & legat literas meas de celis sibi destinatas, intendat eis frequenter; & donec veniam, recreet se in eis, & consoletur valenter; nec desistat à precando & desiderando, quia veniens veniam, & non tardabo. Longam satis moram protraxi, repente venire nolui: plures tamen & solennes nuntios præire feci, frequenter per illos mandavi & annuntiaui, ut desiderium excitarem, & gaudium de aduentu meo magnificarem.

2. Nam magnus rex alicubi venturus, magno desiderio est suscipiendus. Qui ergo vehementer me desiderat, magis de præsentia mea, cum venero, gaudebit. Qui autem mundo deditus est, me desiderare non potest. Qui verò omne mundi solatium spernit, ac distractiones cordis fugiens, se in intimis recolligit, æterna desiderans, præsentia fastidians; ipse diè visitationis meæ, & horam aduentus sancti sanctorum, celestis quoque regis gloriosam præsentiam, accelerare deprecatur, dicens: Veni Domine, visitare me in pace, ut læter coram te corde perfecto. Veni desiderium cordis mei, lumen oculorum meorum, & pax. Tu spes mea, expectatio Israel. In te speravi, ne confundas me ab expectatione mea, quia ad te animam meam cum desiderio leuavi. Tali anima sic desideranti, & me de die in diem quærenti citò apparebo, & meipsum manifestabo. Ego enim sum Dominus Deus eius, qui loquutus sum in Prophetis. Et usque nunc loquor omnibus, sed specialius tamen amicis meis fidelibus; singulariter autem ei, qui præ cæteris me magis affectat, atque reuerentius suscipere, & ad se introducere concupiscit. Et nunc propè sum, dicit Dominus. Iam tempus meum impletum est, ultra non morabor. Implebo verbum meum quod dixi, satisfaciam promissioni meæ, non differam desiderium animæ: erit, quod petiuit; fiet, quod optauit: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.

Matth. 21.

3. Gaude & lætare anima fidelis, quia venit tibi rex de celis. Hic est Dominus Deus tuus, conditor & redemptor tuus, diu expectatus, ardenter desideratus, & ad veniendum iam paratus. *Nolite timere filia Sion ecce rex tuus venit.* Ecce cælum, vnde egreditur. Ecce mundus, quem ingreditur. Ecce in dextera eius ignea lex, in sinistra eius diuitiæ & gloria. Ecce in circuitu eius Angeli & Archangeli, ante eum Prophetæ, iuxta eum Apostoli, post eum innumerabiles sanctorum chori. Ecce quantus hic, qui ingreditur, cui Dominationes occurrunt, & omnes virtutes cælorum famulantur. Ecce venit pius & mansuetus, pauper & humilis rex in humanitate, qui iudicaturus est orbem terræ in aequitate.

Beati



Beati oculi, qui ista vident, & æterni regis opera ad suam ædificationem considerant. Quia non in eis pompam huius mundi videbunt, sed omnem humilitatem & mansuetudinem, in tanti regis aduentu inuenient. Beati omnes, qui spiritualis intelligentiæ oculos habent, & in lumine fidei æternæ veritatis lumen aspiciunt.

4. Videtur mundus iste visibilis oculis carnis, etiam ab infidelibus & paganis; sed ipse inuisibilis conditor orbis, oculis cernitur mentis ab vniuersis Christi fidelibus, ex totis precordijs Christum amantibus. Nam credere in Christum, mente cernere est: & ardentem amare, ipsum tenere est. Sic enim videbant eum sancti Patriarchæ & antiqui Prophetæ, qui longè antè aduentum eius prædixerunt, & multa de eo prophetarunt. Prophetæ namque olim vocabantur videntes, quia quem cæteri nesciebant, prævidebant: & alijs indoctis, verbis & scriptis suis insinuare curabant. Sic anima & nos Christum videmus, qui post eius incarnationem ad fidem venimus: quia cuncta, quæ de eo legimus vel audimus, firmiter animo retinemus: & à Prophetis veraciter prædicta, & ab Apostolis fortiter confirmata confitemur, laudamus, & prædicamus. Beati ergo oculi eorum, qui licet Christum in carne non viderunt, tamen fideliter in eum credunt, deuotè venerantur, castè diligunt, ardentem que suscipere desiderant.

5. Ecce Rex noster aduenit de cælis, læti occurramus ei, & deuotis illum amplexibus suscipiamus. Lætentur cæli, id est, alti cõtemplatiui, & exulter terra, id est, simplices, actiuæ vitæ dedicati, ante faciem Domini: quia venit, quoniam venit saluare nos, & dare se nobis. Iubilare montes laudem, & stillare doctores verbî dulcedinem, & fluant colles lac & mel ad omnium nostrum spiritualem consolationem. Canite tuba in Sion, excitentur omnes torpentes, dispersi congregentur in vnum, confortentur pusillanimes, consolentur tristes, erigantur infirmi: omnes conueniant, singuli de locis suis properent; quia magnus dies in Israel, dies sanctus Domini, dies festus regis æterni appropinquauit. Lætare Hierusalem, & conuentum facite cuncti fideles, qui diligitis Iesum Christum, gaudium omnium se amantium. Quia non in tumultu, nec in apparatu visibili apparebit: sed in spiritu lenitatis & mansuetudinis, illum ab intus videbitis. Gaudeat igitur, & præparent se vniuersi populi, tribus & linguæ. Sed tu anima deuota, filia Sion, cuius tota intentio ad Deum conuersa est: tu, inquam, magis exulta. Tibi enim per Prophetam à Domino dicitur, tibi specialiter mandatur: tu ex nomine amicebilibiter vocaris, vt audias & videas, qualis est, qui ad te vêturus est. Ecce Rex tuus venit tibi. Ecce Rex tuus, non terrenus, nõ temporalis, nec mortalis:



lis: sed caelestis, æternus & immortalis. Ecce venit, nō regnare in mundo, sed saluare mundū sanguine suo: Ecce Rex, nō Rex Romanorū, aut Francorum: sed Rex Regum, & Dominus omnium dominorum. Per hunc Reges regnāt in mundo, & sine eo, nemo coronabitur in cælo. Rex cæli est iste, & venit non terram accipere, sed regnum dare caeleste. Qui ei seruire voluerit, faciet illū secum regnare: & quicumque sibi obedire contempserit, à regno eius exclusus erit. Ecce Rex tuus, quem desideras, quem amas; in quem credis, & in quo speras. Omnibus quidem creaturis rex est generalis, tibi autem per amorem specialis, sicut proprius sponsus & amicus familiaris. Tuus inquam, quia pro te sollicitus amplius: tibi vigilantius intentus: tibi affectuosius inclinatus propiorque coniunctus; ita vt dicere verè possis: *Rex meus & Deus meus*. Nam ab æterno te dilexit, & nunc vt te liberet & saluet, de cælo à regalibus sedibus venit. In quo si gloriari volueris, nescio, quomodo poteris contristari vel desperare.

*Psal. 5. & 13.  
Sap. 18.*

7. Ipse enim Rex & gubernator omnium, & quæ potenter fecit, sapientissimè regit: vt meritò Rex & Dominus dici debeat vniuersorum, & tuus tamen ex speciali gratia donorum. Ab ipso dependet cælum & terra, & eius imperio regitur omnis creatura. Huius potentia nemo resistere potest, eius sapientia disponuntur vniuersa. Sapientia & virtus eius cum ipso, & ipse fecit omnia, & non est finis magnitudinis eius. O quàm excelsus & immensus est iste, præ cunctis regibus & principibus, de quo loquitur Propheta in psalmo: *Deus autem Rex noster ante secula, operatum est salutem in medio terra*. Ecce venit: Venit non in auro & argèto, nec indutus purpura & bysso: non in equis phaleratis, aut armis splendidibus non in clangore buccinæ & cytharæ, sed in humilitate & paupertate; in mansuetudine & charitate; vt amaretur potius, quàm timeretur, vt attraheret magis ad se peccatores, quàm fugaret.

*Psal. 73.*

*Ephes. 2.*

7. Sed propter quid venit? Venit propter nimiam suam charitatē, qua te dilexit; vt redimeret, quem perditum sciebat. Venit propter tuam necessitatem & defectibilitatem, quæ multiplex & magna nimis erat. Venit à peccatis te liberare, & preciosi sanguinis sui effusione purgare. Venit ignorantiam tuam illustrare, & viam veritatis ostendere. Venit infirmitatem tuam adiuuare, & tolerantiam in aduersis docere. Venit à terrenorum appetitu reuocare, & ad caelestia amanda sustollere. Venit virtutes predicare, & finem vitij imponere. Venit gratiam infundere, & caelestium consolationum dulcedine letificare. Venit omnibus bonis te replere, & ab omnibus malis eripere. Venit æternam beatitudinem tibi donare, & pro te temporalem miseriam sustinere. Venit



mit omnia sua tibi conferre, & super omnia dona seipsum tibi in perpetuum fruendum præbere. Vt enim tu æternaliter gauderes, venit ipse laborem & dolorem suscipere. Vt tu ditesceres, venit depauperari. Vt tu regnares, venit exulare. Venit ad errantem via, ad ignorantem veritas, ad mortuum vita, ad cæcum lumen, ad infirmum medicus, ad desolatum consolator, ad damnatum liberator, ad seductum consiliator, ad desperatum Salvator. Ecce propter quid venit, & quantum tibi suo salutari aduentu contulit.

8. Non misit Angelum, non Archangelum, non Patriarcham, non Prophetam, sed venit ipse Rex Angelorum, & Dominus Prophetarum ad liberandum te; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, qui fecit te. Siquidem omnes reges & Prophetæ, qui ante eum fuerunt non potuerunt quemquam de manu mortis liberare, neque ad æternam vitam perducere: sed iste rex potentissimus & magnificus per sæcula, de manu mortis populum suum liberabit, vincula inferni destruet, & in paradysum electos suos perducet.

9. O si bene intelligeres ac diligenter animadverteres, qualis ac quantæ maiestatis sit iste rex gloriæ, attolleres utique portas cordis tui affectuosissimè, & introduceres ad te regem perennis gloriæ. Quia cum summa exultatione, cum ingenti honore & solemni præparatione, decet talem ac tantum Regem suscipere. Si enim mandasset tibi rex aliquis terrenus, aut vnus ex principibus eius: Cras veniam ad te, para mihi hospitium, volo apud te mansionem facere; qualem putas haberes sollicitudinem, quantamque duceres admirationem? Nunc ecce mandat tibi rex, de cælo loquens per Prophetam: *Preparare in occursum Dei tui Israel, quia ego veniam, & habitabo in medio tui.* Idcirco ad hunc suscipiendum hospitem, cordis tui adorna thalamum: quia non solum ad te venire, sed etiam in te habitare desiderat, & tanquam in thalamo suauius requiescere. Felix anima, quæ in se huius tanti hospitis meretur aduentum: & quem omnis creatura dignè non capit, ipsa amatius desiderijs, in secretissimum trahit secretum: ut tanto feliciter intus quiescat, quanto exterius nihil eam delectat. Beata planè, ad quam venire dignatur altissimus de cælis, rex regum Dominus: non ut iudicet aut terreat, sed ut pie eam tanquam bene cognitam & sibi præelectam visitet & consoletur. Venit enim rex mansuetus visitare & consolari omnes lugentes Sion, dare pacem habitantibus in terra, differre districtum iudicium, prærogare misericordiam, veniam tribuere peccantibus, suscipere poenitentes, nulli denegare gratiam: & postremò omnibus expectantibus se in salutem, gloriam præstare sempiternam. Amen.



## QVARTA.

*De Natiuitate Christi: & de festis anima.*

Ista cuius festo aptari possunt.

*Iohn. 3.*

**I.** *Vx venit in mundum.* Adiuua me omnipotens Pater, vt secundum desiderium cordis mei, dulcis aliqua & deuota materia, de solemnitate hodiernę festiuitatis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi, mihi meditati occurrat, quę ad deuotionem & gratiatum actionem meum torporem excitet. Illustra cor meum inuisibili luce sapientię tuę, qui hęc sacratissimam noctem veri luminis ortu fecisti clarescere, & hunc diem solemnem festiuis gaudijs sanxisti celebrandum. Neque enim quicquam iucundum erit mihi aut festiuum, nisi tu ipse mentem meam prius illustraueris, quatenus ab omni vitiorum tumultu serenata, in tanta solemnitatis contemplatione rapiatur. Felix festiuitas, quando & mentis iucunditas sentitur, & spiritualibus epulis anima à te inuitata largè reficitur. Non enim festum mihi est, si in corde non est. At verò idcirco sæpe exterius recolitur, vt grauius & iucundiùs intus celebretur. Nam exteriora festa, interiorum sunt incitamenta festorum, & æternorum quædam præfagia gaudiorum. Quando igitur exterioribus festiuitatibus interior homo meus bene concordat & congaudet, non mihi iam simplex, sed duplex festum esse videtur: quia quod foris agitur, ab intus tenetur.

*Psal. 33.*

Est etiam maius duplex festum, est & solempne. Quę anima spiritalis & deuota meliùs intelligit, quę talia in spiritu & veritate celebrare consuevit. Spiritualis enim omnia iudicat. Et quorum vnum festum cordis ab altero differt, atque iucunditate speciali præcellit, ipsa, ad quam Iesus venire, & se in die festo manifestare dignatur, suauis docta experientia fatius nouit. Ipse est enim, de quo præcipua festa solemnizantur, & beata, cui occurrit, ac sese lætanter videndum concesserit. Æstimo autem, quod non semper vno eodemque deuotionis affectu anima ad Deum trahitur, nec pariformiter à suo dilecto visitetur. Et idcò secundum minores & altiōres visitationes, potest non inconuenienter festorum discerni varietas; ita vt tunc duplex festum in anima sit, quando secundum Prophetam Dauid, cor & caro pariter in Deo viuo exultant. Dum tanta lætitia cordi infusa sentitur, vt exterioribus cam vocibus & motibus prodere oporteat, ac Deo deuotè iubilare hymnis & canticis delectet. Tunc autem maius duplex agitur, quando tanta est interioris hominis inebriatio, & exterioris sensibilis quædam iucunditas, vt hanc capere & suscipere



ferre (præ æstu amoris) humana nequeat infirmitas: sed neque per aliqua verborum signa exprimi potest, quæ anima secum geri, in tali festo à Deo visitata, sentit. Silentio magis contegenda sunt, siquando aliqua huiusmodi diuinitus sentiri donantur. Soli autem Deo secretius illa confert, qui eam in silentio suo, & sine voce melius intelligit. Oportet enim tunc omnem filere creaturam, quando Deus loquitur animæ supra naturalem intelligentiam. Et tunc optimè docetur, quando sic sermo cum solo Deo habetur. O doctor veritas, quam citò & perfectè imbuitur, cui te ipsum manifestas. In hoc festo, aperiuntur tabulæ altaris, & sanctorum reliquæ ostenduntur: quia huic amanti animæ abscondita scripturarum panduntur, & secreta cælestis patriæ, sanctorum status, ac præmia æterna pro speciali consolatione reuelantur.

3. O magnum & iucundum festum, non omnibus sed paucis ad celebrandum concessum! Quam longè sunt hæc sancta celebria à dilectoribus mundi, qui terrena tantum sapiunt, & ad sola exteriora respiciunt. Stultum est illis, & propè nihili esse videtur quicquid exterius non fulget. Mirantur plerumque, quomodo boni Deo vacare possunt, & à voluptatibus carnis abstinere: quia ignorant, quantam intus consolationem spiritus habent & sentiunt, qui pro amore Dei cunctis voluptatibus mundanis renuntiant. Ignorant autem tales & errant, qui sola visibilia sequuntur & diligunt.

4. Sed quando solemne animæ festum agitur? Vtinam sit, qui dicat, & ad me peruenire faciat: si tamen dici valeat, quod tam altum est secretum, vt ab omnibus præcedentibus modis sit remotum. Si quando igitur in excessu mentis anima posita, omnium præsentium & sui pariter oblita, solius Dei memor extiterit: atque ab omni corporea imaginatione libera, in diuini luminis abyssum transierit speculando æterna: quis hanc neget solemne festum agere, quæ æterni solis radijs illustrata, supra cuncta creata stat tam eleganter suspensa? Hoc autem totum magis spectare videtur ad æternæ beatitudinis gloriam, quam ad præsentis vitæ miseriam. Nomè igitur & memoriam solemnis festi nunc potius quam veram experientiam habemus, quia perfecta eius claritas sanctis referuatur in cælis. O festiuitas festiuitatum, vbi homines & Angeli congregati, pariter Deum laudat trinum & vnum. O quam solemniter ibi cantant, quam dulciter iubilant, vbi Deum semper præsentem habent, clarè intuentur, iucundeque speculantur. Nimirum ex memoria illius iubilationis & perpetuæ cælestis solemnitatis, dissonat mihi omnis iucunda festiuitas præsentis temporis,



5. Ad illud igitur solenne & aeternum festum, quod pro sui magnitudine nec concipi potest, nec dici, totus affectus nostrae devotionis vehementer aspirare debet & incitari, quotiescumque in terris festa solenniter celebrantur. Vnde omnia festa nostra, potius sunt illius aeternae festivitatis quaedam praebula, quam vera festa dicenda. Hic tamen in lumine fidei inchoantur, sed illic in lucem gloriae cuncta perficientur. Ibi est enim angelica laus, & animarum sanctarum concentus suavissimus. Ibi in praesentia conditoris, cuncti laetantur vnanimes. Nobiscum verè bene agitur, si quid parum inde aliquando sentire donatur. Quem non delectaret hymnicis angelorum choris interesse? Vbi nulla vocum dissonantia, nulla leuitas dissolvens, nulla occupatio impediens, nulla necessitas perurgens; nulla infectio inficiens, nulla imaginatio distrahens; nulla materia turbationis, nulla occasio tentationis; nulla negligentia, nulla confusio, nullus labor, nullum tedium, nulla fatigatio: sed summa pax & tranquillitas; summa laetitia & dulcedo melliflua; summa concordia & Deifica claritas, plena foelicitas & perfecta securitas.

6. O quam breue est & modicum, quod nos celebrando agimus, quam imperfectum & obscurum, quod nos recolimus. Quamdiu enim corruptionis nostrae tenebras patimur, quamdiu mortale corpus gerimus, vix clarè aliquid de immortalitatis luce, & incircumscripito spiritu, comprehendimus. Nam vna penè nocte ac die nostra decurrit solemnitas, quia nec diu in devotione, potest nostra subsistere infirmitas. Et vtinam maior partem temporis spiritualibus expenderetur harmonijs, & minus haberet de externis frequentijs. Liqueat satis considerata veritate, quod imperfecta sint nostra hic solemnia, quantumcunque altè caneretur vel pulsetur: quantumcunque interius iucundetur aut iubiletur: quia cito praesens laetitia, per diuersa distrahitur obstacula. Nec tamen id nimis mirum, cum aduenæ simus & peregrini super terram, & totum tempus nostrae peregrinationis, luctum magis aptum sit quam laetitiam; & festa celebrare potius spectet ad cali ciues, quam ad exules filios Euae.

7. Sed ne propriis miseriis deiiciamur & grauemur, & diuinorum beneficiorum immemores efficiamur, prouidit aeterna Dei sapientia, & sancta mater instituit ecclesia, quatenus in desiderio animae singulis annis, Christi & sanctorum eius agantur solemnia; vt deuotio excitetur, fides incalescat, & charitas augeatur. Nam tanto deuotius quis festa celebrat, digniusque in sanctis suis Deum honorat: quanto in spiritu plus proficit, & ad amorem aeternitatis se latius extendit. Propterea enim venit lux in mundum, vt viam nobis demonstraret ad caelum. Vt cor nostrum in  
sui



fui amorem accenderet, & à cunctis terrenis extraheretur. Ut nobis lumen daret sapientiæ, & tenebras fugaret ignorantia. Ut nos vnum secum efficeret, participes regni, filios gratiæ, confortesque æternæ gloriæ. O gloriosa lux, de Patre nata. O inclyta Dei sapientia, de virgine hac nocte præcreata. Da deuotè ac dignè tibi gratias agere. Da nomini tuo altissimè psallere, reuerenter inclinare, humiliter genu flectere, honorificè adorare, atque cum Angelis sanctis gloria in excelsis, tibi solemniter decantare. Te enim decet laus & honor Domino, qui pro nostra salute dignatus es incarnari. Amen.

## Q V I N T A.

*In nocte natiuitatis Christi, de quarendo parvulo Iesu.*

I. **Q** Verite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum *h. i. s. s.*  
propè est. Surgite vniuersi Christi fideles, concurrite ad hanc solemnitatem dominicæ natiuitatis. Adest namque nox sacratissima, in qua redemptor mundi Iesus Christus, nasci voluit de gloriosa Virgine Maria. Surgite igitur omnes, & vigilate: præparate corda vestra, & orate. Dominus venit, venite, & adorare. Querite Iesum, & inuenietis: pulsate ad ostium, & aperietur vobis: intrate domum, & videbitis. Rex noster aduenit, Christus natus est nobis. Venite, adoremus & procidamus ante eum: quia ipse est, qui fecit nos. Venite Angeli & Archangeli, cantate, & exultate, & psallite. Gaudete iusti in Domino, hymnù dicite Deo nostro, annuntiate inter Gentes opera eius. Dominus nobiscum, nolite timere. Venit Deus in carne, nobiscum est humanitate, qui nusquam deest diuinitate. Venite paruuli & magni, senes & gradui, iuuenes & virginis; cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia hodie fecit. Leuate corda vestra cum manibus ad cælum, & super omnem exultationem date gloriam laudi eius. Dominus nobiscum, nolite contristari. Induite vos electi Dei vestimentis iucunditatis & lætitiæ: abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis: sicut in die clara, sic in nocte hac sancta vigilemus, Gaudeamus & exultemus, cantemus & hymnizemus, iubilemus Deo salutaris nostro. Offeramus ei vota nostra, præbeamus illi oris nostri obsequia. Dominus nobiscum, nolite recedere, nolite attèdiari: sed stete viriliter, & psallite ei alacriter.

2. Quis potest iam dormire, quando Angeli cantant in cælo, & vox laudis resonat in excelsis? Quis maneret in strato suo, quando omnes gestiunt esse cum Iesu in iubilo? Quis nõ surgeret hac nocte



nocte cū desiderio, quando omnia videntur esse in gaudio? Propterea gaude & lætare filia Sion, iubila Hierusalem: quia hodie pax vera descendit de cœlis, ad pacificandum, & instaurandum, quæ in cælis sunt, & quæ in terris. Hodie lux vera illuxit super terram, vt omnem hominem illuminaret in se credentem. Hodie facta est lætitia magna in Israël, quia natus est Christus in Bethleem. Hodie per totum mundum mellisui facti sunt cæli, quia ex ore doctorum emanant sermones suauissimi; vnde recreantur infirmi, consolantur deuoti, instruuntur ignari, excitantur pigri, animantur fideles, & confunduntur increduli.

3. Hodie exultant Angeli, lætantur Archangeli, & omnes iusti in deuotione sunt & gaudio spiritali. Hodie nox conuersa est in diem & claritatem magnam, quia exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors & miserator Dominus. Sit nox ista in perpetuum benedicta, & inter dies solennes computata. Benedicant ei, qui benedicere solent dici: & laudent eum omnes filij lucis, quia natus est in ea Christus filius Dei, lux æternæ lucis. Non sit hæc nox solitaria, nec à laudibus aliena. Non sit obscura, sed illustretur lumine desuper, atque in vniuersa Ecclesia accendantur luminaria multa. Nil in ea prætereatur, quod ad decorem eius pertinet: sed vsque ad ortum surgentis auroræ, laus eius perseueret. Cumque dies inclaruerit, luceat sol iustitiæ, qui natus est in cordibus omnium se amantium: & rursus noua oriatur deuotio, in mentibus omnium celebrantium. Dies sanctificatus hodie illuxit, gaudeant omnes fideles; quia Deus olim prædixit; Fiat lux, & facta est lux. O verè beata nox, veri luminis illustra natali, atque Angelicis adornata fulgoribus: quorum canticis & laudibus, gaudiosior effecta est cunctis per orbem fidelibus. O verè beatissima nox, clarior omnibus seculi noctibus, quæ scire meruit tempus & horam, quando de virginali utero, egressus est Dei filius, nostræ fragilitatis corpore indutus. O sacra & illibata natiuitas, quam dedit virginalis sæcunditas. O supra naturam sæcunditas, quam ornauit virginea puritas; & summa elegit maiestas, vt saluaretur humana mortalitas. O benedicta & gaudiosa natiuitas, quæ maledictionem primorum parentum nostrorum, in cælestem conuertit benedictionem; & eorum mœrorem, in gaudium mutauit sempiternum. Meritò hæc nox venerabilis est, & amabilis omnibus hominibus; in qua Christus nasci dignatus est, pro omnibus liberandis.

4. Benedicta sit ergo sancta Trinitas: cuius bonitate & consilio, hominis dignitas est reparata, & diaboli decepta calliditas. Benedico te Pater cælestis, qui dilectum filium tuum ad nostram redemptionem in mundum misisti. Benedico te Fili Dei vnigeni-



te Iesu Christe, qui propter nos homines redimendos, naturam nostram assumpstisti. Benedico te Spiritus sancte paraclete, qui cuncta redemptionis nostrae sacramenta, ab initio vsque ad finem, gloriosè & mirificè perfecisti. Sit tibi infinita laus & gloria, sit honor tibi & imperium, ô summa sempiternaque Trinitas; cuius prouidentia & ordinatione, facta est nobis tam iucunda & solempnis festiuitas. Amen.

## S E X T A.

*De deuota uisitatione nati pueri Iesu.*

**I.** **N**VM, quem diligit anima mea, uidistis? Vobis loquor Angeli sancti: dicite mihi de Iesu meo, quod nostis. Vbi est paruulus, qui natus est nobis? Indicate mihi, què diligit anima mea. Quòd si mihi indicare non vultis, dicite saltem per eos, quos dignos iudicaueritis. Vobis loquor pastores, dicite mihi de Iesu meo, quod nostis. Vbi est paruulus, qui natus est nobis? Quid annunciauit vobis Angelus? *Annuntio* (inquit) *vobis gaudiū magnum, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Et quod vobis signum dedit? *Inuenietis* (ait) *infantem in pannis inuolutum, & positum in praesepio.* Et quid cantauerunt Angeli sancti? *Gloria in excelsis Deo cantauerunt.* Et post hæc, quid vos fecistis? Statim cum festinatione & gaudio trāsuiimus vsque Bethleem, & inuenimus Iesum in praesepio iacentem. O mi, quid audio; quàm dulce est & iucundum, quod percipio. Sufficit mihi modò: vadam, & videbo hunc puerum, antequam moriar. Expectate tamen paulisper, ibo vobiscum, & hospitium vnum erit omnium nostrum. Et vos Angeli Dei omnes concurrite, & recto itinere ad praesepe Christi me perducite.

2. Aperite mihi Ioseph & Maria, aperite ostium dilecti mei: ut ingressus tabernaculum eius, adorem sancta vestigia eius, Omnes reges terræ desiderabant videre faciem Salomonis, & audire sapientiam eius, *& ecce plusquam Salomon hic.* Sinite ergo me introire, ut deosculer scabellum pedum eius. Hic est enim de quo praloquuti sunt Prophete, quem annuntiauerunt Angeli, quem uisitarunt pastores alacres & deuoti. Hic est, quem quero, quem amo, quem videre desidero.

3. Quid trepidas anima mea? Clama, pete, pulsa, donec aperiat tibi ianua. Ingredere locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Accede fiducialiter, & iunge te paruulo recens nato cordialiter: quia nō abiciet te nec fugabit, sed silēter admittet, & gratiā suam tibi ostendet. Ne timeas à facie vagiētis in praesepio, plangit tua peccata, non sua incommoda. Venim enim te quærere, non perdere. Venit te saluare, non iudicare. Venit te soluere,

non



non ligare. Venit mala pati, non irrogare. Cupit te liberare, non incarcerare.

4. Quid trepidas ad pauperulum puerum? Deus est (inquis) & in manu eius potestas & imperium. Verum est. Sed non modo venit, ut iudicet, sed ut peccata dimittat. Pretendit misericordiam, suspendit vindictam. Offerit gratiam, differt iram. Ostendit amorem, excludit timorem. Appetit magis amari, quam timeri. Dic ergo: Saluator meus & redemptor meus es tu, Domine Deus meus, bene aduenisti hodie. O desiderabilis & nimis amabilis puer, ostende mihi misericordiam tuam, qui nondum idoneus sum videre gloriam tuam. Porrigere mihi dexteram tuam, qui non sufficio portare iustitiam tuam. Propter immensam charitatem tuam, dele omnem iniquitatem meam. Infirmus sum & ulcerosus, sana animam meam. Cæcus sum & nudus, illumina tenebras meas, & orna me virtutibus veris. Aridus sum & claudus, irriga faciem meam lachrymis, & dirige omnes gressus meos in semitis tuis. Tibi dicit cor meum, exquirat te facies mea, faciem tuam (Domine Iesu) videre desidero, & cum Angelis & pastoribus deuotè visitare. Tu es enim salutare vultus mei, & Deus meus verè super omnia mihi amandus.

5. Nemo te pulchrior, nemo amabilior; nemo te nobilior, nemo te sanctior. Tu omnibus sapientibus sapientior, omnibus ditior, omnibus maior. *Tui sunt cali, & tua est terra, mare & omnia, qua in eis sunt. Tuus est dies & tua est nox*, æstatem & ver tu psalmasti, & omnia certis temporibus ordinasti, qui in obscura nocte & hyemali frigore nasci voluisti. O mira & ineffabilis dilectio Dei, & Domini mei Iesu Christi vagientis in præsepio, quæ laudant & adorant omnes Angeli in cælo! O quàm magnas gratias tencor retribuere amantissimo Domino meo, Saluatori ac Redemptori meo, pro salute meo nato: qui in stabulo coram animalibus non refugit hospitium, quasi pauperculus homo. Certè nil dignum laudis habeo, sed tamen voluntatem bonam libenter tibi offero, in signum charitatis & gratitudinis. Quid amplius? Cantabo cum Angelis sanctis? An plorabo ex compassione, recogitando lachrymas pueri vagientis? Vtrumque placet, vtrumque agere delectat: & cum Iesu plorare, & cum Angelis Iesum laudare. Et hoc totum ad gloriam Dei opto facere: atque me ipsum coram oculis maiestatis eius humiliare, qui seipsum vsque ad formam paruuli pueri humiliavit.

*Psal. 23.*

*Psal. 73.*



## S E P T I M A .

*De mansione apud venerabile Christi præsepe.*

I. **O** *Quam reuerendus est locus iste . Non est hic aliud, nisi domus Gen. 28.*  
*Dei & porta cæli.* Intra, intra anima mea, hoc Regis pauper-  
 culū domicilium. Pete hīc hodie hospitium, colloca hīc mā-  
 sionem tuam; mane apud Iesum & Mariam, & celebra cū eis fe-  
 stiuitatē hodiernam. Noli alibi diuertere, sed sta hīc hodie, aut  
 fede humiliter prope præsepium. Bonum est tibi hīc esse: & mul-  
 to melius, quā in auratis Regum domibus habitare. Multum  
 tibi placere debet habitatio huius domunculæ, & societas istorū  
 trium simul hic commorantium. Quia etsi offendunt parietes  
 propter suam vilitatem, sunt tamen incolę eius valde nobiles,  
 propter suam patientiam & virtutem. Hic ergo hodie habitabis,  
 hīc subsistes, hīc perseuerabis.

2. Ingredere tamen melius, & contemplare structuram huius  
 loci diligentius. Inquire & inspice, vbi positum sit illud venera-  
 bile præsepium, continens creatorem mundi, seruans Deum pue-  
 rum, cœlestem thesaurum, redemptionis precium, Angelorum  
 gaudium & hominum. Vide, quomodo Deus homo natus, iacet  
 ligatus in cunis & tacet: quā absconditē & pauperrimē degit in  
 alienis, qui cuncta largitur cum Patre in cælis. Amplectere hoc  
 nobile præsepium amorosis brachijs, & osculare illud frequenti-  
 bus osculis; dehinc & Iesu pedibus humiliter prouoluaris, Hic  
 Deum adora, hīc ex deuotione plora. Hīc vigila, hīc ora, hīc le-  
 ge, hīc canta. Hīc psalle, hīc iubila, hīc toto corde tripudia. Huic  
 puero manifesta, si quid triste habes vel graue: huic desideria tua  
 expande, & cum eo cuncta pertracta. Dulcis & amandus puer,  
 docebit mites vias suas, & humilium suscipiet preces. Ipse nouit  
 curare infirmos, sanare cōtritos corde, & alligare cōtritiones eo-  
 rum; dare remissionē lugentibus, & liberare ab omnibus passio-  
 nibus. Da huic cor tuū, & pete, vt in eo scribat dulcissimū nomē  
 suum. Da ei totum, quod habes, & esto eius totus, amodo & vsque  
 in sempiternum. Amor Iesu æternus & immensus faciet hoc, vt  
 teipsum relinquant, & Iesum super omnia diligas.

3. Vide nunc anima mea, & considera, quantę hīc sint diuitiæ  
 & gloria. Non noto gazas perituras, nec seculares lætities, sed in-  
 carnatam Dei sapientiam, virginem puerperā, Ioseph ministran-  
 tem, & Angelicam turbam concinentem. Verē Dominus est in  
 loco isto: & ego suadeo tibi, nullatenus hinc recedere. Vbi inue-  
 nies, quod hīc repertum habes? Si vniuersum lustrares mun-  
 dum,



dum, non inuenires talem societatem, tam sanctum conuentum, tam vnanimem congregationem. Sanctissimi in cœlo & in terra sunt hîc congregati; licet à mundanis valde neglecti sint, & quasi nihil reputati. Nam in toto orbe non sunt facta tanta mirabilia, nec tam rara noua visa, nec tam iucunda audita gaudia, sicut in hoc breui tugurio; vbi degunt Ioseph & Maria, & Iesus infans positus in præsepio. Coniuncti sunt hîc Deus & homo, mater & virgo, senex & puer.

4. Pensa, quid sibi velit ista dignatio, tanta pietas, tanta dilectio, tanta humilitas, tanta paupertas, tanta dulcedo, tanta gratia, & tam abundans misericordia. Reuolue omnia antiqua gesta de Christo prophetantia; & vide, quomodo hodie adimplentur scripturarum testimonia, & Sanctorum Prophetarum deuota desideria. Intuere etiã beatissimæ Virginis Mariæ pia obsequia, quàm ingens ei sit exultatio cum nobili prole sua: quàm sublimis contemplatio, videre Dei filium de se genitum, ante se in præsepe locatum. Sic omnia pertracta & considera, tanquam singulis præsentialiter interesses. Non enim minor debet esse affectus & deuotio ad ista cogitanda, quæ iam actu transierunt, quàm si eadem coram te hodie fieri cerneres. Maneat ergo apud te recordatio sancta, renouata per singulos annos: imò non tantum semel in anno recordetur Iesus natus, & in præsepio collocatus, sed sæpius tuis exercitijs interferatur. Magna ab hoc puero discitur sapientia, magna puritas & patientia, quæ totã vitam tuam ædificare sufficiant. Omnis siquidem Christi actio, tua est instructio: & omnis eius passio, tua est consolatio. Ipse enim factus est tibi & omni populo, salus & redemptio. Docet te exemplo suo magis, quàm verbo; efficacius persuadet factis proprijs, quàm actibus alienis.

5. Semper ergo noua tibi fit sacra Christi natiuitas; nec vnquã sine attenta consideratione pertranscat tã honoranda festiuitas. Etsi exterior veneratio transit cum tempore, non tamen diligens consideratio transibit à mente. Non sis igitur paupercula anima mea Deo pro hac gratia ingrata; quæ tam sollicitè es quæsita, tam misericorditer attracta, tam benignè vocata, tam dulciter visitata, tam copiosè hodie lætificata. Non enim fas est te esse in tristitia, vbi natalis est vitæ, nam vbique dies agitur lætitiæ. Tibi hodie paruulus Iesus natus est, tibi datus est filius: vt cum paruulo paruula fias, cum paupere pauper, cum humili humilis, cum patiente patiens, cum miti suavis ac mitis. Inclina te ergo illi humiliter, submitte te libenter: vt sic merearis cum eo exaltari æternaliter, qui pro paruulis colligendis, descendit ab altis cœli sedibus Iesus Christus Dei Filius.

Collige nunc in hoc breui temporis spatio, quæ per totam vitam

tam



nam tuam tibi proficiant. Quid scis, si hoc vltimū festum tuum sit in mundo? Et vtinam tam deuotē hoc modō celebres, tam studiosē recolas, vt magnam erga Iesum fiduciam concipias; quatenus & in extremitatis tempore, ad æternum festum merearis cum ipso transire. Nec dubium, quin à te districtē exigetur, quātum te illi in vita conformaueris. Cū ergo tempus adhuc superest, & exercendi studium iuuat, age vt infructuosē non transeat: sed talem cum eo amicitiam in eas, quatenus inter electos amicos eius cognoscaris. Si Christo placuit hæc pro tua salute exhibere, non sit tibi pigrum de his intentius cogitare. Tacet Christus ore, sed loquitur opere. Tacet lingua, sed fantur tenera membra sua. Loquitur eius humilitas, loquitur & magna eius indigentia. Tacet etiam beata Virgo Maria, sed non tacente elementa. Absconditur in præsepio, sed manifestatur ab Angelo. Vilis & abiectus apparet in pannis, sed preciosus declaratur in signis. Turbatur Herodes, sed requirunt eum pastores. Dedignantur Scribæ & Pharisei, sed adorant eum beati tres Magi.

7. Considera itaque in eo non solum magna & sublimia, sed etiam parua & humilia: quia in vtraque natura apparet magnus Dominus & laudabilis nimis, excelsus super omnes Angelos, & humillimus inter homines. Coniuncta sunt humana diuinis, summa imis, preciosa vilibus, magnifica paruis, digno honore cunctis simul veneranda fidelibus. Non ergo te scandalizent panni, qui humilitatem prædicant filij Dei. Nec te conturbet pauper-culum præsepium, quod sibi elegit rex regum & Dominus Angelorum. Vide, non quid oculis carnis sit nitidum, sed quā magnū salutis hic agitur mysterium. Inspice Iesum & Mariam, Dominū mundi & Dominam, quia non habent aliquam cum secularibus curam. Non sunt hic magna palatia, sed cœlestia solatia. Nō hic resonat clangor tubæ aut citharæ, sed audiuntur voces cœlestis militiæ. Vtinam in spiritu sentias te omnibus istis interesse, nec alibi posse durare. Propē est nunc verbum Dei ori tuo, tantū recto si quæsieris corde. Nam inuenitur in gremio matris, qui ante secula erat in sinu Patris. Tam propinquus factus est tibi Deus, vt possit teneri tanquam puerulus, portari vt infantulus: quoniā *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ioan. 1. Ecce, quem totus mūdus non capit, vt pauper in præsepio iacet. Et qui omnia verbo virtutis suæ portat, ipse à matre portatur. Quem laudat Cherubin atque Seraphin, modico lacte alitur. Quid horum non mirabile? quid non amabile?

8. Quid vis amplius habere? Quomodo potuit tibi propinquior & similior esse? Ecce os tuum & caro tua: Deus tuus factus est frater tuus. Quis vidit huic simile? Aut quis audiuit vnquam tale?



Col. 2.

le? Væ tibi, si ab illo recesseris: & bene tibi, si toto corde ad eum accesseris. Accede cum fiducia, ad thronum gratiæ eius: quia licet pauper sit rebus, sunt tamen in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi. Para proinde labia munda ad osculandum, oculos lava lachrymis ad videndum, purga manus ad tangendum, expande brachia ad amplexandum, flecte humiliter genua ad adorandum. O si haberes nunc scrinium mundum, pulchre auro ac gemmis undique decoratum, ut in eo reponeres Deum puerum natum: Sed nullum est scrinium tam aptum & dignum, ad recipiendum Deum puerum, sicut cor tuum ab omni malitia purum. Ipse enim non requirit exteriorem ornatum, sed quod exterioribus ornamentis mysticè signatur, hoc est sibi valde charum & gratum.

9. Sed quomodo apta eris, ad dignè recipiendum eum? Nigra es & deformis, & ille pulcher nimis & decorus. Quid facies? Recedere ab eo non expedit, & accedere illota facie non decet. Quomodo mundaberis, multis irretita vitijs? Sed noli nimis vereri, nec de plagis tuis desperare. Displiceat tibi, quod talis sis. Deste maculas culpæ. Ablue intima contritione reatus conscientiæ, & pete ab eo oleum misericordiæ, largitionem plenæ indulgentiæ, ac restitutionem novæ gratiæ. Non eris desperata, quamvis valde maculata. Puer iste scit immunda purgare, nigra candidare, turbulenta serenare, amara dulcorare, grauia lenigare, & omnia vitiosa extirpare, gaudium & pacem cordis citò præstare. Talis est, qui maculari non potest: cuius attactu morbidi sanantur, & convalescunt infirmi. Nunc ergo para illi ab intus pulchrum præsepium, in quo reponas Iesum Dei filium.

## OCTAVA.

*De gaudijs huius diei, & deuoto obsequio Iesu.*

Abac. 3.

1. **G**AVDENS gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Iesu meo. O dulcissime Iesu & amantissime puer, gaudium meum & corona mea, tibi cātare & iubilare desiderat anima mea. Sine me vnum lætum diem tecum peragere, & spiritualibus gaudijs hunc sanctum diem expendere. Licet enim brevis sit dies & transitoria nox natalis tui, materia tamen exercendæ deuotionis magna est, & velut indeficiens ignis in altari. Opto ergo hunc diem fore longiorem, & me solito in eo deuotiorem: ut feruor non transeat cum tempore, sed magis augeatur sedula meditatione. O dies lætitiæ, dies Regis æterni, noli me tam citò relinquere, sed esto mihi causa gaudij perpetui. O quando veniet dies illa, cui nox non succedit, quæ tēporum vices nescit, sed semper lucet & diescit. V-

bi



bi facie ad facie videtur Deus. Vbi perfecte amatur & laudatur Iesus. Vbi nunquam distrahitur ab illo cogitatio, nec inquinatur cordis affectio, sed est ipse omnia in omnibus. Propter illam æternitatis diem, ista temporalis colitur: & vt ibi semper cum Iesu viuerem, voluit ipse hic vnus esse mortalium.

2. O venerande & summe amande Iesu: O dulciter amplectēde, digne adorande, & semper prædicande puer illustrissime: Tu es vnicus dilectus meus, præ omnibus & super omnia exquisitus. Cui me debeo totum, & quicquid adijcere vel desiderare possum, non est satis ad votum. Tu enim excellis totum. Et quicquid capere possum vel dare, penè nihil est, & minus quàm modicum. Ego scio & credo fideliter, quia propter me huc venisti, propter me hic poni humiliter voluisti. Fecisti enim hæc omnia propter meam æternam salutem, & propter tuam immensam charitatem mihi charius commendandam.

3. O quantum te teneor diligere; quantum laudare & benedicere, cum Angelis & Archangelis, cum sanctis & omnibus bonæ voluntatis hominibus: quia pro me incarnatus es, & homo factus. Mirum, si vnquam poterit à te cogitatio mea auolare; & post tuæ dulcedinis gustum, ad aliud quicquam diuertere. Verè tu es manna absconditum, omne habens in se delectamentum, & omnem vincens alienam suauitatem. Tu paradus voluptatis. Tu hortus deliciarum. Tu fons sapientiæ, sol iustitiæ, lux mundi, gaudium cæli, pax cordis, solatium animæ; spes in tribulatione, refugium in tentatione, auxilium in omni necessitate. Tua præsentia, gaudium mihi facit, tua absentia luctum sæpe parit. Hoc autem totum amor facit, qui extra non finit amantem quiescere, sed aut lætari in te, aut dulciter pro te flere compellit. Quis me huc adduxit, nisi amor? Et quis de cælo te traxit, & ad me inclinavit, nisi amor? O amor & amor, quàm dulcis & fortis est hic amor! Inde fit tam ingens intus clamor, & tam vehemens nascitur ardor: cui nihil sapit nec libet, nisi Iesus æternus amor. Iste facit mundum contemnere, & omnia tanquam nihilum reputare. Iste facit propria relinquere, & sub iugo obedientiæ viuere. Iste facit delicias carnis respuere, & laborem pœnitentiæ ardentè appetere. Ille facit tumultus sæculi fugere, & Deo in silentio vacare. Iste facit mundo mori, & soli Deo viuere.

4. Amor Iesu trahit cor meum ad præsepium, & vult, vt ei exhibeam deuotum obsequium. Et nunc quid faciam dilecto puero Domino Deo meo, paruulo pro me facto? Nunquid mei indiges, qui cælum & terram ad nutum possides? Etsi mei seruitij nõ eges, ego tamen tui indigeo; cui seruire teneor pro posse; cū mihi gratia

gratia



gratia & virtus semper ex te crescat, & totum bonum meum ex te pèdeat. Vtinam possem aliquid agere tibi acceptabile, hoc enim mihi esset valde desiderabile. Etsi in carne tibi ministrare non potui, nec ad hoc dignus fui admitti; in spiritu tamè cuncta agere possum affectu cordis, & studio bonæ voluntatis. Nā & fratribus meis, pro nomine tuo seruiendo, multa implere possum pietatis opera, quæ tu reputas quasi tibi facta.

5. Siquidem deuotionem meam, erga tuam sacram infantiam, excitare cupio verbis amariis. Certè ab hinc non ibo, sed hic iuxta te sedebo, & contemplantor interdum amabilem faciem tuam, vt sic melius meam obliuiscar miseriam. Hic meditabor in mandatis tuis, & exercebor in mirabilibus tuis. Hic subleuabor à terrenis, & cælestibus associabor. Hic cogitabo dies antiquos, & annos æternos in mēte habebō. Hic cōsiderabo nouissima mea, & annos meos in gemitibus. Hic placabo faciem tuā precibus, & iudicem meum deprecabor. Hic memor ero operum tuorum, & innumerabilium beneficiorum humano generi collatorum. Hic inueniam cor meum; hic relinquam me totum. Melius est enim; vt cor meum Iesus habeat, quàm ego; quia cum illo est in pace, mecum autem in inquiete. Hic dormiam, hic requiescam, & suavis erit somnus meus. Hic media nocte surgam ad confitendum tibi, & pro delictis meis deprecabor. De manè enigilabo ad te, & nomini tuo cantabo tota die. Si exiero dicā. Citò reuertar; & si diu tardauero, veniam impetrabo. Iterum orabo, & faciem tuam placabo, nec gratias agere cessabo. Surgam in admiratione magna, & laudabo mellissimum nomē tuum benedictum in secula. Sedebō iterum in paupertate mea, sciens quod nō sum dignus nec sufficiens cogitare tam ineffabilia bona, super omnia desiderabilia mundi suauia. Deinde reuerenter te adorabo, & omnia bona tua tibi præsentabo: volens & cupiens, vt omnia opera tua te laudent, quamuis plenè te laudare nequeant. Propterea rogo, vt te ipsum tu ipse laudes: quia nisi te ipsum laudaueris, nunquam eris plenè & dignè laudatus. Lauda nunc anima mea Dominum, lauda Deum tuum Sion. Lauda Iesum saluatorem, & si perfectè laudare non potes, tamen ex parte pro viribus tuis laudare ne cesses.

6. Laudabo te Iesu bone, dulcis puer & amande in vita mea: psallam Deo meo, quamdiu fuero. Tu enim inuitasti me ad tuum sanctissimū præsepe, in quo dignatus es pro me indigno iacere. Quis me hinc possit abducere? Nemo Domine Iesu: quia dilectus meus es tu, à quo nolo separari in æternū. Manebo igitur hic in seruitio Domini mei, & Domine meæ sanctæ Mariæ, & sancti Ioseph nutritoris tui, si forte opus sit aliquid ministrare. Faciam  
ignicu;



igniculum, conffabo diligenter, parabo mensam, & aquam ap-  
portabo. Mundabo aream, scopabo domunculam, rimas ob-  
struam & foramina, propter vim ventorum & pluuiam. Ster-  
nam hoc nobile & regale praeseptum, componam decenter in eo  
fenum vel stramina, quia non sunt hic aliqua preciosa linteami-  
na. Dehinc rofas colligam & lilia, flores afferam & gramina;  
adornabo hoc sanctum cunabulum, quod mihi non sordet vt  
stabulum, sed magis delectat, quam imperiale palatium. Ape-  
riam etiam fenestram, vt claritas diei intus fulgeat, & sancti An-  
geli desuper inuolent; atque totam hanc domũ dulci iubilatione  
repleant. Ianuam cautè custodiam, ne Herodes intret ad per-  
dendum puerum, quem suscepi fideliter custodiendum. Nam  
prius me paterer occidi, quam sacrilegas manus in illum mitti.  
Et si necesse fuerit fugere, & ille sic voluerit habere, ero paratus  
etiam in Aegyptum transire.

7. Veniētibus autem pastoribus cum gaudio eis aperiam, & in  
hac summi regis aulã introducã. Ipsi sunt enim quibus Angelus  
istud mysterium nuntiauit, & ad visitandum direxit: quos de-  
uotio adduxit, & diuina laudatio reduxit. Dehinc aduentanti-  
bus sanctis Magis ab Orientis partibus, alacriter occurram tam  
honestis hospitibus, regibus & comitibus; salutatisque reueren-  
ter (vt decet) omnibus, inuitabo eos ad ingressum huius curiæ;  
ad videndum faciem regis & reginæ, cuius signum fulget in cælo  
mirabile. Cum intrantibus introibo, cum adorantibus adorabo,  
cum offerentibus me ipsum offeram ex toto; & quicquid habere  
potero, hoc totum dabo in holocaustum Domino. Illis autem  
reuerentibus ad propria, ego manebo hic in curia, & seruam  
Domino meo regi, suæque benedictæ matri perpetuæ & glorio-  
sæ Mariæ virginis. Nullus me de hac curia reuocare poterit, nulla  
bulla, nulla autoritas, nulla donã vel promissio auertere. Hic  
statuam testamentum meum, hic firmabo pactum æternum,  
hic viuam, hic moriar, & erit totum factum.

8. Placeat tibi obsecro Domina meã sancta Maria, vt sim in  
obsequio tuo filijque tui Domini mei, cum omni deuotione &  
reuerentia. Magis enim delector hic esse, & vobiscum mendicare  
quam cum regibus & mundi principibus delitieri. Quod si ne-  
cesse fuerit etiam mendicare, exhibeo protinus, & sufficienter  
mendicabo nobis. Et si nemo voluerit aliquid dare, rogabo san-  
ctos Angelos suppliciter, & illi nobis de cælo ministrabunt suffi-  
cienter. Nam pro pane terreno, pluet nobis manna cæleste. O  
Iesu manna cordium, habens in se omne delectamentum. Tu es  
cibus noster, & solatium. Affectus deuotionis hic loquitur, &  
optimè sapit amanti, quicquid hic coquitur. Obsecro quoque te  
O  
venc-



venerande pater Ioseph, ( qui ita appellaris pro dignitate ministerij tui, & occultatione sacri secreti ) quatenus me digneris in adiutorium admittere, iube aliquid afferri pro solatio matris & pueri, ego ero paratus ad obsequia huiusmodi.

9. O si sciuissem quando huc primum venistis, iuissem utique vobiscum, & bouem vel asinum duxissem. Mantellum Dominae meae, vel sacculum Ioseph, per tantum viae spatium liberet portassem, aut etiam hospitium procurassem. O utinam tam propè fuisset, ut sanctos Angelos cantare audiuisset, & hoc gaudium magnum mihi nuntiatum fuisset. Eia, quàm lætanter & festinanter vsque Bethleem transissem, & ipsos pastores si potuissem, citius præcurrissem; ut sic Dominum meum natum primus videre meruissem: & si illi reuerterentur ad gregem suum, ego tamen permansissem apud Deum puerum. Maluissem omnes oves relinquere, quàm Iesum meum deserere; aut etiam totum gregem vendere, ut inde Dominum meum cum sua familia pascerem. Sed non est omnibus datum videre Verbum Dei incarnatum, & tam innocenter in præsepio collocatum. Omnibus tamen pro nunc est prædicatum, & toti mundo propalatum: ita ut si quis credere voluerit, & saluari petierit; atque integro & puro corde ad hunc puerum accesserit, omnium peccatorum suorum remissionem ab eo accipiet, & vitam æternam post hanc mortalitatem ( ipso donante ) possidebit. Amen.

## N O N A.

*De desiderio videndi & osculandi Iesum.*

*Cant. 2.*

I. **O**stende mihi faciem tuam: *Sonet vox tua in auribus meis: ut enim tua dulcis, & facies tua decora.* Hæc sunt verba amantis animæ ad te, dulcissime Iesu Christe. Sed obsecro te puer bone, ut mihi peccatori cõcedas, etiã hæc verba in desiderio animæ dicere. Quando enim potero satiari, de te cogitare & loqui? Tu enim salutare vultus mei, & Deus meus. Ostende ergo mihi faciem tuam, & salva erit anima mea. Quotiescunque tristis fuero, aspice in me, & consolabitur anima mea. Tu enim spes mea, à iuventute mea, & vsque in senectam & senium, ne derelinquas me. O quàm amabilis & suavis factus es hominibus, pro quibus dignatus es puer paruulus fieri. Nam tali amore me trahis ad te, & constringis vehementer in tua dilectione.

2. O dulcissime & amantissime puer Iesu, dignare mecum hodie parumper solari. Anima mea diligit te, quia tu prius dilexisti me. Propter nimiam enim charitatem tuam, & incomparabilem dulcedinem quam ad me gessisti de illa occulta habitatione cælesti, ad visitandum & consolandum me, in carcerem

huius



huius mundi descendisti. Et nunc bene fecisti veniendo, & multum sapienter & dulciter egisti, tali modo apparendo. Formam pulcherrimi pueri assumpisti, naturam humanam induendo, qui in diuinitate purus & simplex, sine omni figura permanens, omnem intellectum excedis. Sed ego rudis, talem substantiam, omnem formam excedentem, capere non valui: ideo condescendendo mihi, naturam meam tibi vnisti, notam proponens hominis formam: vt sic propinquitate naturæ maiorem affectum ostenderes, & per visibilem aspectum hominis, ad inuisibilem deitatis substantiam manu duceres.

3. O dulcissima incarnata Dei sapientia, quam dulciter & sapienter me allicis tua amabili infantia! Conuerte nunc faciem tuam ad me Iesu bone, & noli me reprobare à pueris tuis, sed iucundum præbe mihi aspectum: vt te viso lætetur cor meum, & nouum sentiat exinde gaudium. O felix hora, quando pietatis tuæ oculis me intueris, & gratiã desideratam mihi ostendis. Hoc enim signum clementiæ est, hoc mihi fiduciam præbet & solamen. Hoc etiam inuitat accedere ad osculandum pedes, manus, & os tuum benedictum. O sacri & omni amplexu dignissimi pedes, Domini mei Iesu Christi parui & teneri, intra præsepis angustias arctati, qui pro me adhuc ambulabitis, & sepe fatigati eritis! Heu frigus non modicum sustinetis, quia sufficiens tegumentum ad induendum, & ignem ad calefaciendum forsitan non habetis. Isti sunt tenelli & dilecti pedes Domini mei saluatoris, adhuc in cruce acutis clauis perforandi. Et tunc vehementer cruetabitis, qui modo validum gelu patienter sustinetis. Isti sunt pedes, ad Euangelizandam pacem rectissimi, ad calcandum iter asperum preparati, ad ostendendam viam perpetuæ salutis mundo destinati. Isti sunt pedes misericordiæ & iustitiæ, ante quos procident Æthiopes, fugient demones, & adorabunt Reges & Principes. Tunc accedent peccatores poenitentiam agentes, & deuotè eos deosculantes, veniam consequentur & gratiam.

Pedes pueri Iesu.

4. O amande puer, non tantum pedes, sed & manus & caput ac cætera membra præbe mihi ad osculandum, benedicendum, & laudandum. O pulcherrimæ & mundissimæ manus verè tornatiles, nihil superfluum vel diminutum habentes. Iste sunt manus tuæ Domine, quæ me fecerunt & plasmauerunt, & nunc ad reparandum me venerunt. Iste me iuuabunt operari fideliter, & confortabunt contra varias tentationes viriliter. Iste sustentabunt me in bono, ne corruam: & erigent à malo, ne desperem. Iste benedicent paruulis, & donabunt sanitatem multis infirmis. Iste contra diabolum pugnabunt, & omnem virtutem eius ad nihilum deducunt. Iste post multos annos cruci affigentur, & tunc

Manus pueri Iesu.

O z latos



latos sanguinis riuos emittent. Iste in cruce extensæ pro me supplicabunt, & peccatorum mihi indulgentiam vulneratæ impetrabunt. Iste portas paradisi aperient, valvas inferni destruent, & vinclos eius inde liberabunt. Iste in iudicio cum suis cicatricibus hominibus apparebunt: & quanta Deus pro salute eorum operatus sit & passus, patenter demonstrabunt. Sit hæc læna sub capite meo, & dextra ista amplectatur me. O si tantum bonum meruero, quàm felix & lætus ero.

Cant. 2.

Os pueri  
Iesu.

5. Ex hoc iam fiducialius ad oris osculum audebo accedere, & labia mea sanctis labijs tuis ausu charitatis imprimere. Et si terret altitudo diuinitatis, prouocat tamen maximè similitudo humanitatis, & mira suauitas infantilis paruitatis. O sacrum & illibatatum os Domini mei, plenum sapientia & gratia. Tu me doceris vias vitæ. Tu me replebis iubilo. Tu me consolaturus es sermone bono. Si enim gratus est nonnunquam hominis docti sermo, quanto magis sapiet verbum gratiæ ex ore tuo? O mellifluum os Domini mei: quàm pulchra sunt labia tua, quàm candidi dentes tui, quàm suauiter stillabit eloquium tuum. Hoc ergo os Domini loquetur iudicium & iustitiam; percutiet labijs suis impium, & conteret scelestos de terra. Aperiet abscondita Scripturarum, & arcana cælestia referabit. Manifestabit consilia cordium, & hominum sapientiam destruet atque consilium. Tacebunt ad te insulæ, & mirabuntur reges & principes terræ. Conuertentur nobiles & ignobiles, & literati ori suo silentium imponent. Quia loquente Deo, obmutescet terra & orbis, & omnis virtus cælorum, oris tui obediet imperio.

Quis dignus sit osculo pueri Iesu.

Cant. 1.

6. O preciosum & aureum os sancti sanctorum! Quis dignus erit vel semel te osculari, aut tui capitis verticem tangere? Nimirum anima pura & sancta, quæ ait: *Osculetur me osculo oris sui.* Quæ diligit, osculum petit: quæ autem timet, veretur accedere. Nil sic reconciliat, nil sic Deum placat, sicut purus amor Dei & contemptus sui. Obsecro te puer bone, Iesu dulcissime, puer parue & magne; fac misericordiam hanc cum seruo tuo, vt patiaris te humili dignatione tangi, amplecti, & osculari amoris osculis, quamdiu paruulus es, & in præsepio iaces. Nam sic dulcius amaris, charius teneris, leuius portaris, & minus formidaris. Sed vitæ factus, non sic agere licet, sed ad maturiora transire oportebit. *Omnia tempus habent.* Nunc tempus est amplexandi, postea erit tempus plangendi, quando pro osculo oris, dabitur tibi poculum amaræ confectionis. Nunc melius sapit gaudium natiuitatis, sed postea sentietur maior dolor compassionis; quando extenderis nudus in cruce, qui modò fascia cinctus poneris in præsepe.

Ecli. 3.



7. Da mihi puer amantissime charitatis tuę osculum, & recipere humilitatis meę obsequium. Intuere meum desiderium, & præbe sacrum oris tui osculum: & sit mihi hoc pacis signum, ac mutua dilectionis indissolubile vinculum. Scio & credo, quia tactus tuus sanat, amplexus vnit, osculum amorem imprimit. Quem tangis intrus, ab affectu carnali sanas: quem amplecteris, tibi coniungis: quem tuo amore feruere facis, dulciter oscularis. Nunc dicitis mihi, quid tibi videtur; & fac me experiri, quod dicitur. Accipe (inquit puer iste) osculū, & intellige mysteriū: quia Puer Iesus nemo scit, nisi qui accipit: nemo accipit, nisi qui in spiritu ambulat. Apo. 2. loquitur. Tunc osculor te, quando donū amoris mei tibi infundo. Tunc te amplector, cum omnes affectiones cordis tui ad me traho: ita vt nil in creaturis sit, quod te abstrahere aut allicere possit. Sed tūc tu me oscularis, cum sincero amore compunge- ris, & de nulla creatura solatiū requiris. Oscularis pedes meos, si humilitatis meę vestigia, ex amore magis quā ex timore fe- queris. Oscularis manus meas, si cuncta bona opera facta aut fa- cienda, non tibi sed mihi totum ascribis. Et tūc me amplecteris, quando intimo cordis affectu, te mihi vnitum sentis; & tam ar- denter astringis, vt totus meus esse velis, & nihil tibi de priuato amore reseruas. Tunc poteris cum sponsa in Canticis dicere. Cant. 2. *lectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Si te sponte re- linqueres, & omnia terrena vilipēderes; ego te in meum familia- rem reciperem, & in virtutibus diu item facerem. Qui enim mihi deuotus fuerit & totus deditus, ego ero illi rursus totus ex toto apertus. Quia ideo sum Deus homo incarnatus, vt homo in me esset perpetuò beatus. Dedi me totum homini, vt homo totus esset deditus mihi. Nam *delicia mea esse cum filiis hominum*, quibus Prou. 2. veni dare etiam regnum cælorum; & per contemptum mundi, perducere ad æternum consortium Angelorum.

## D E C I M A.

*Ad beatam Virginem, vt ostendat nobis Iesum filium suum.*

**I** Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Exulta hodie Luca 1. sancta Maria, nouæ salutis pariens gaudia. Exulta mater intacta, quia tibi persueerat virginitatis florida gloria. Exulta virgo puerpera, quia à maledicto & opprobrio mulierū es libera. Merito exultare potes in Iesu salutari tuo; quia quem celi non capiunt, tu foues in gremio, & sanctis manibus tuis ipsū collocas in præsepio. Merito adoras ex te in tempore natum, quem super te scis habere Deum Patrem. Merito illi exhibes matris officiū, qui tibi inuiolabilis generationis dedit effectum. Merito in illo



super omnia exultat spiritus tuus, cuius gratia facta es tā sublimis & cælestis. Laudet te cælū & terra, & omnis ornatu eorū gratiarū tibi referat actiones. Laudet te anima mea Domina charissima, & omnia interiora mea iubilēt corā te cū sūma reuerētia. Nō sufficit lingua tua enarrare præconia, nec mēs meditari tuamagnalia. Ideo cū humilitate præcipua tibi inclino, alma Dei genitrix Maria. Suscipe vota mea, & pio affectu attende cordis mei desideria.

2. Quærit anima mea videre Iesum, quia scio ipsum esse bonum meum. Ostende mihi thesaurum absconditum, quem apud te habes reconditum. Credo Iesum filium Dei esse vnigenitū, & tuæ fecundæ virginitatis primogenitum. Ipsum confiteor Deum meum, creatorem ac redemptorem meum, pro mea salute hodie natum. Ipsum per te quero videre, & reuerenter adorare. Tu patris eum inuoluisti, & ideo facile nō potest intueri, nec ab extraneis agnosci. Nisi enim tu, mater sancta, ipsum dignaris ostendere, quis merebitur inspicere? Per te enim accessum habemus ad filium, & per filium ad Patrem. Ostende ergo illum mihi, & sufficit pro primo mihi. Non peto nec quero aliud solatium, nisi Iesum filium tuum, meum speciale refugium, tuum singulare gaudium. Domina mea sancta Maria, magno desiderio desidero Iesum videre, quem scio te præ omnibus & super omnia diligere. Cor meum Iesum desiderat, affectus meus post Iesum clamat. Si vis (ait) Iesum videre; tunc oportet te puros & claros oculos habere. Si vis Iesū videre; studeas te deuotē & humiliter in omnibus habere. Si vis Iesū videre, debes omnia terrena relinquere, & teipsū despiciere. O dilectissima Maria, scio me nimis impurū, & ad videndū filium tuum nimis indignum. Sed tamen nequeo quiescere, nisi prius videam illum. Non possum omnino tacere, sed ex nimio affectu cogor instantiam facere. Scio, quia ipse vult rogari, & tu libenter vis orantem iuuare, ideo non debeo faciliter à petendo cessare.

3. Iesu filij Dei, miserere quæso mei: ostēde te animæ quærenti, & vultum tuum cernere cupienti. Quare voluisti in mundum venire, si non vis ab hominibus videri? Quare dignatus es nasci, nisi velles etiam agnosci? Et quare hic elegisti poni, nisi vt posses melius inueniri, & manifestius videri ac teneri? Non potui ad te ascendere in cælum, vt te viderem: & ideo tu venisti ad me in mundum, vt te coram me haberem. Noli ergo te mihi negare, alioquin me cogis plorare. Si non vis videri, quare te pastoribus reuelasti? Nam illi venerunt festinantes, & viderunt. Si vis latere, cur Magos ab Oriente, ad tuū cunabulum stella præeunte vocasti? Sed vis vtique videri, quia facis te à multis inquiri. Volo ergo & ego videre. Et licet non sum pastor aut rex, sum tamen



vnus, qui libenter essem de ouibus tuis, & regi cupit à prælatis suis. Nisi enim te videro, non quiescam: & nisi teneam, non tacebo. Concede ergo te mihi videre, & videbis me in pace filere. Tu es enim dilectus ille, quem cupio videre. Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, non curo aspicerè, vt te vel semel possim inspicere. Omnia mihi angusta sunt & parua comparatione tui, donec te merear videre ac frui. Semel dico, sed semper noto. Modicum peto, sed longum esse cupio. Nunc ergo satisfac voto meo, & imple me lætitia cum vultu tuo. Si mihi hoc denegas, scito, quòd non modicum me contristas. Et si tu me contristas, quis est qui me consoletur? Nonne, vt à te consolarer, veni, vt te viderem, & ex tua visione multum ganderem?

4. Veni (ait) desiderator bone, veni & vide. Ego sum Iesus, quem quæris. Si ergo me quæris, sine omnia alia abire. Applica cor tuum, & vide Dominum tuum. Vide in spiritu, quemadmodum olim sancti Prophetæ viderunt; qui fide illuminati, de virgine me nasciturum prædixerunt. Nam cordis oculus hic requiritur, & talis oculus me intuetur: sed corporis oculus non est hic necessarius, qui plerùmque nociuus inuenitur. Qui enim credit in me, videt me: & qui diligit me, habet me. Ergo credendo, videbis me: & amado, habebis me. Vide nunc diligenter & considera, & consolabitur anima tua. Vide humilitatē meā & paupertatem, & inuenies ædificationem magnam. Vide omnia, quæ circa me sunt, & nulla curiosa reperies. Vide, quia cùm essem diues & plenus, propter te factus sum pauper & egenus. Vide, quia tanquam peregrinus, hospitor super terram: nec in propria domo, sed in diuersorio sum natus. Vide bene hæc omnia.

5. Eia Domine Iesu, vnde & cõpatitur tibi anima mea, visa egestate tua: & arguitur satis cõsciētia mea, super impatiētia & superfluitate mea. Si sic est initiū tuum, qualis erit adhuc finis. Sed qui pati venisti, paupertatē & abiectiōē pro diuitijs & honoribus elegisti. Vide insuper manus meas & pedes, quia ligatus sum sicut homo impotēs, sub matris cura manēs, & quasi vnus ex filijs hominū plorans. Quomodo potes tu ridere, qui cogitas Deū pro te plorare? Vide faciē meā pulchram, iucūdā, gratiosā, omnē valētē expellere tristitiā & turbulētiā. Noli tamē istā exteriorē tantum cõsiderare pulchritudinē, quæ à bonis & malis equaliter potest videri, & quæ ab inimicis adhuc deturpabitur, sed ad interiorē & permanentem pulchritudinē cordis dirige visum. Vide igitur qualem charitatē ad te habui, qui pro te homo mortalis fieri volui. Vide sapiētiam meam, quam seruauī, quia naturā sine vitio assumpsi, & pœnā sine culpa subiui. Vide plenitudinem gratiæ, quā mundo attuli: & supermirabilē lucem, quā omnibus



credentibus infundere concupiui. Nullus sanctorum aut hominum tantum desiderium ad incarnationem meam habuit, quantum desiderium ego habui ad incarnandum. Nam mox, ut tempus præordinatum aduenit, Angelo edocente & Maria consentiente, sine mora Deus homo conceptus fui. Vide ergo inestimabilem dilectionem meam, quia pro salute & redemptione hominis totus exarsi; & nihil utile aut necessarium, sibi denegare potui.

6. O si nunc ardentissimum cor meum videres, & saltē in modo dico diuinū illum amorem, quem ad te gero, sentire: nunquam ab amore & laude cessares, nunquam tuum laborem vel dolorem ponderares. Vide internis fidei oculis, humanam & diuinam naturam in vnam cōuenisse personam, & inseparabiliter permanere hanc excellētissimam vnionem: & speculari de vtraque natura, quantum placet, & pōssibile est. Nam in me absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ Dei, & præter me, non est salus cuiquam viuenti, nec spes æternæ vitæ morienti. Sint ergo oculi tui semper ad me, & cor tuum maneat apud me, & super omnia desiderabilia requiescas in me. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui feci te: & naturam tuam assumpsi, ut traherem te ad me. Veni secum ad me, frater tuus sum, mori etiam paratus pro te. Quid moraris? Accede, festina; & dimitte omnia aliena abire, quæ te possunt impedire. Si sic feceris, inuenies dilectum tuum, in quo felicissimè exultabis, & omnia onerosa facilius portabis. Caueat præcipuè, ne quid deuium vel lubricum in cor tuum veniat, quod te lædat aut perturbet, aut vanè occupet, vel intus obscuret. Inter me & te, nihil mediare debet, quod vnionem impedit, aut charitatem minuit, aut libertatem diripit, aut puritatem maculat, aut cordis secretum inquietat. Et quis istud apprehendet Dominus? Qui nihil sibi sufficere credit, nisi summū bonum, quod ego sum, à quo omne bonum, in quo omnia bona in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Qui me vnum solum ante omnia & super omnia quarit, & mente semper gerit: qui despicit se propter me, & diligit me purè propter me; iste potest contemplari, & me laudare, & cum Maria in Spiritu sancto exultare, nunc & in æternum. Amen.

## V N D E C I M A.

*De perditione & inuentione Iesu in templo.*

*Lucas 10.*

**I. R** Emansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Audisti anima fidelis, quod ante paucos hos dies, amabilis Iesus se reuelauit pastoribus & regibus, & quanta lætitia eunc



tunc fuit parentibus eius: sed & tibi non modicum accreuit gaudium, ex tot bonis auditis. Sed heu, hodie res nimis infortunata & dolorosa accidit, quæ merito corda concutit, & auditores omnes stupidos reddit. Refertur enim, quod dilectus Iesus à parentibus sit perditus, & eo, proh dolor! tempore, cum ad templum festiuitatis gratia parentes eius ascenderunt. O subita mutatio dexteræ excelsi! Nam si perditus est Iesus, quæ tunc læticia poterit esse in corde hominis? Qui enim perdidit Iesum, perdidit plusquam vniuersum mundum. Nonne melius fuisset domi remansisse, quam Iesum in via perdidisse? Heu, qualis est hæc festiuitas, quam obscurat tâta calamitas? Nam nulla maior grauitas, quam vt perdita dicatur moerentium iucunditas. Nemo piorum dubitet, quin Maria in ista perditione filij sui, multum contristata fuit. Nonne gaudentius in Nazareth latuisset, quam in Ierusalẽ hodie comparuisset? Sed voluit sancta mater sacra legis consuetudinem obseruare, & perfectæ obedientiæ exemplum omnibus dare. Ideo domum ac ciuitatem suam reliquit, & templum Dei cum filio & Ioseph visitauit. Verum pro ostensione patientiæ eius, & pro magna vtilitate nostra Deus hæc fieri permisit, vt Maria filium perderet, perditum dolens quæreret, atque post tri-duum in sancto templo inueniret, inuentumque thesaurum lætior secum referret.

2. Sed ô boni parentes, quomodo istud potuit euenire, vt tam dilectum puerum permitteretis à latere vestro discedere? Vbi erant oculi vestri, quando non erant in Ierusalem defixi? Quomodo excusabo vos de negligentia tanta? Nonne merito perdidistis, quem minus cautè custodistis? Sed rursus, qualiter audeam vos in aliquo reprehendere, quos noui in omnibus sanctos & deuotissimos esse? Et quomodo audebat etiã bonus hic puer, sine scitu vestro, & absque licentia quoquam ire? Nonne videtur occasionem vobis dedisse ingentis tristitiæ, cum se absentauit tamdiu ab oculis reuerentiæ vestræ? An ei licuit facere omne, quod voluit, quia omnia cum Deo egit? Placet mihi, quia sic voluit, quoniam Deus est, quem arguere nemo potest. Non enim potuit æterna Patris sapientia aliquid insipienter agere, qui orbẽ terræ disponit in æquitate. Bene ergo omnia fecit, non solum præsentiam suam amicis reuelando, sed etiam quandoque ex certis causis faciem suam dilectis occultando.

3. Ascendit autem Iesus ad celebritatem festi legalis, non vt secundum legem se sanctificaret, aut precibus conscientiam mundaret, qui sanctus natus erat: sed vt indulgentiã nobis impetraret, & Ecclesiam frequentãdam esse doceret, pro donis cælestibus adipiscendis. Intrauit templum ad audiendum magistros & docto-



doctores, qui fuit omnium magister & Dominus. Vt discat pueri & iuuenes, à primæua ætate literas legere, scholas frequentare, doctrinæ intendere, magistris audientiam præbere: non vagari per plateas, nec vanis lufibus occupari. Ornat namque valde iuuenilem ætatem ardor discendi artes, quibus iuuatur intellectus, ad proficiendum in scripturis diuinis. Quatenus hinc amplius ametur Deus, quo sapius fuerit sermo Dei auditus: & per doctores clarius expositus, atque bonæ memoriæ libro firmius commendatus. Dedit ergo puer Iesus exemplum pueris & senibus, ad continuandum studium sapientiæ salutaris. Vt nemo ocio torpeat, nemo ad inania auscultet: sed pueri humiliter magistros suos audiant, diligenter querat, & cum omni disciplina discant. Senes verò, secundum datam sibi gratiam, & iuuenum capacitatem, prudenter doceant; & regulas fidei, à sanctis Apostolis & Prophetis traditas, fideliter tradat, vt Iesum in medio doctorum sedentem, omnes verbi auditores cognoscant, & in melius semper proficiant, ac Deum, qui talem gratiam doctoribus contulit, deuotè collaudent. Et sicut doctrina & sapientia magistris ceteros præcellunt, ita vitæ merito & morum disciplina, omnes præire debent. Studeant ergo docti pariter & indocti, tam sanctæ humilitatis & obedientiæ exempla Iesu Christi imitari, atque diuinæ se subdere voluntati. Exemplificauit enim vtrumque in se Christus, puer duodennis & doctor cælestis, dum more paruulorum, magistris aurem præbuit, & reuerenter caput inclinauit: atque à beatissima matre benignissimè correptus, sponte mox paruit parentibus, & iuit cum illis: sicut tractabilis moribus, ita & subiectus legibus, tam diuinis quàm humanis, prout oportuit ac decuit, in agendis & dimittendis.

4. Vtinam Domine Iesu, mihi concedas huius facti tui historiã diligentius speculari. Nam sentio mecum in spiritu frequenter actitari, quod præsens in carne semel cum matre egisti, cum ab ea perditus esses & reinuentus. Heu quoties te perdo, peccatis meis exigentibus, quã tristis incedo, cum fuero à gratia tua desertus, & propriæ paupertati sine consolatione relictus. Quid mirum, si tunc doleo & grauiter ingemisco, tua salutaris dulcedine orbatus, & penè omni spe recuperandæ suauitatis destitutus? O quàm longa mora & molesta hora mihi videtur, carere consolatione diuina: quia abest dilectus Iesus, consolator meus; & nescio, quando iterum sit venturus. Quid faciam? Aut quo vadam, ad querendum Iesum, quem diligit anima mea? Vbi est ille modò, qui me lætificare solet gaudio magno? Scio scio, quia si se occultare voluerit, nemo eum inueniet, nemo attinget, nemo apprehendet, quia nondum venit hora eius. Et si se dignatur reuelare, statim  
adest



adeft in foribus, intrat ianuis clausis, vifitat domum mentis: & manifeftat fe indicijs tam certis, vt non fit opus interrogare, tu quis es? Quia ignis amoris cordi infusus declarat, quod Iefus venit, & ipfe fecit hæc omnia. In hoc probationis articulo, fapius conturbor & affligor in memetipfo: & fatis admiror fuper occulta difpenfatione tur Iefu dulciffime. Cur quæfo me fic probas in certamine tam fapè & improuifè, cum tamen fis totus fuauis & fine amaritudine? Norunt experti, quod dixi: experientur & breui, quicūque cupiunt efle difcipuli tui. Nō venit hoc ex dolo, nō de ignorantia, fed ex bono zelo pro occulto profectu noftro. Ideoque, quod plenè non capio, totū potius tuæ fapientia committo, quæ nihil agit fine certa ratione, licet caufa mihi fit ignota. Habeo tamen in hoc cardine rerum, non modicum miferiæ meæ folatiū: quia & dulcis domina mea Maria perdidit aliquando Iefum, & doluit valdè amiffiffe filium: nec erat contenta redire ad domū, donec inueniffet Iefum fingulare gaudium fuum. Quæ cum non inueniffet, vbi æftimabat, inuenit, vbi non coniefturabat. Si enim fciffet eum, cum tãta admiratione, inter doctores fedentē: aut minùs doluiffet de euentu tali, aut cōgratulata fuiffet de actu tam folemni, in refponfis fui beatiffimi filij. Itaque Iefus non femper ibi inuenitur, vbi quæritur: fed fapè ibi exiftit, vbi minimè putatur.

5. Nemo ergo de fe præfumat, quafi Iefum folus habeat. Nemo alium defpiciat: quia nescit, quantū quis Deo in occulto placeat, licet homines lateat, & abieftus de foris videatur. Nā & ipfe Iefus tunc multis incognitus erat, & qualis ac quantus effer, paucis innotefcebat. Quibus voluit, fe prodebat, & quando voluit, fe abfcondebatur: cuncta autē difpenfatiuè & vtiliter faciebat. Cum ergo perdidero Iefum, non eft mirū nec nouum: fentio tamen id mihi fore nociuum, & cordi meo valdè dolorofum. Me autem fateor reum, & plagis grauibus dignum, quia non custodiui fatis bene cor meum: fed nimis tepidus & negligens inceffi, ideo gratiam Iefu perdidit: & nescio, quis reftituet eam mihi, nifi ipfe dignetur iterum pauperis fui mifereri. Huic calamitati meæ fuccurre, clementiffima mater Dei: Subueni domina mea, adefto chariffima virgo Maria, ianua vitæ, nunc porta. Solatium quero, auxilium à te pofco. Tu melius nofti, quanti doloris fit Iefum perdidiffe, quãtæque lætitiæ Iefum inueniffe. Si fic tibi (ô beatiffima virgo) contigit, quæ fine culpa fuifti; quid mirandum, fi mihi peccatori, eius gratia pro voto non adfit, qui in tam multis offendo? Quid ergo faciã, vt eum iterum inueniam? Si enim eft aliqua fper inueniendi, erit vtique per confiliū tuum: fiet & meritis tuis, quæ propinquior es & charior vniuerfis. Doce ergo modum recuperandi dilectum,

dilectum,



dilectum, & comitare mecum, vsque dum inueniam illum. Quo viso & reperto, cantabo tecum in iubilo: Congratulamini mihi omnes, quia inueni, quem diligit anima mea. Ipse est enim, quem tu peperisti, castissima virgo Maria.

6. Ad hæc illa: Audi consilium bonum, imitare exemplum meum, & consolabitur anima tua. Si quando perdideris Iesum, noli diffidere, noli turbari nimium: noli pigritari, noli ab oratione cessare, noli ad consolationes terrenas exire. Sed quære secretum, plange teipsum, & inuenies Iesum in templo cordis, quem amisisti peccatis tuis, delectando in rebus vanis. Non enim inuenitur Iesus in plateis ciuitatis, nec in cœtu ludentium, neque in terra suauiter viuentium; sed in congregatione iustorum, & in Ecclesia sanctorum.

7. Cum gemitu est querendus, qui per dissolutionem est amissus. Cum magna cautela est seruandus, qui per incuriam est elapsus. Cum timore & reuerentia est supplicandus, qui pigros detestatur & ingratos. Cum summa humilitate est reuocandus, qui per elationem est fugatus. Cum crebra & intenta oratione est placandus, qui propter euagationem mentis non audit susurrantes. Cum ingenti gratiarum actione est laudandus, qui gratiam suam dare est paratus. Cum ardentissimo amore est amplectendus, qui omnibus parcat, omnibus miseretur: qui gratis dona sua largitur, & nemini se querenti deesse probatur. Quod si quandoque tardat, perseverantem tamen in oratione non relinquit. Sed etiã dum nescit, reuifitat, clarius illuminat, & cautius informat: ne vnquam de se præsumat, sed in eo humiliter & deuotè confidat. Si igitur hæc bene attendis, Iesum citò placabis, Iesum in Ierusalem inuenies: quia in pace factus est locus eius. Iesus in templo cordis tui, sacra oris sui verba prædicabit. Iesus tecum tota die, sicut in thalamo morabitur. Iesus docebit te de omnibus, quæ sunt salutis. Cuius est vtique totum, quicquid est gratiæ & virtutis in Angelis & hominibus, quicquid etiam boni relucet in creaturis. Iesus ergo semper inuocandus est, semper querendus, semper desiderandus, semper memorandus, semper laudandus, semper venerandus, semper amandus, nec in aliquo offendendus: sed in omni sanctitate & puritate colendus & adorandus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

## D V O D E C I M A.

*De quatuor modis videndi Iesum, secundum deuotionis affectum.*

*Luca 10.* **I. B** *Eati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Hoc dulce verbum Domini Iesu Christi, sapius est ad memoriam reducendum: ad quem interiores oculi mentis, in spiritu sunt subleuandi; in quem*



quem Angeli desiderant prospicere. Nam eius visio, super omnia  
 laetificat: eius fructio, omne desiderium anime implet: eius fa-  
 cies, omnes sanctos in caelo beatificat. Sed quid facient, qui ad-  
 huc peregrinantur in terra, nec valent perfrui aeternae claritatis  
 gloria? Videbunt eum, sed non modò. Videbunt eum à longè, sed  
 nondum propè. Vident enim eum nunc per fidem, sed necdum  
 per speciem. Vident etiam nunc per speculum in ænigmate, tunc  
 autem facie ad faciem. Vident nunc raptim, tunc autem conti-  
 nuè. Vident nunc imperfectè & obscurè, tunc autè clarè & apertè.  
 Vidèt nunc verè, quia credunt firmiter & bene: tunc autem vi-  
 debunt sine velamine omnia plenè. Beati ergo oculi isti, qui Ie-  
 sum nunc intuentur in lumine fidei, vt postea eum videant in re-  
 gno suo cum Angelis Dei. Horum autem conuersatio est in cælis  
 secundum spiritum, quamuis corpore teneantur adhuc in terris.

2. Sed nunc dicito mihi, anima deuota & fidelis, quæ Christū  
 toto affectu cordis diligis, & Christi vestigia sequi niteris; dic  
 inquam mihi, si tibi optio daretur, & possibile foret, in quali for-  
 ma Iesum videre velles & optares. Quid tibi magis placeret, si  
 eum videre liceret, vtrum in præsepio iacentem, an in medio do-  
 ctorum sedentem; vel populis prædicantem, aut etiam in cruce  
 pendentem? Quid horū plus affectas? Quid dulcius sapit? Quid  
 mouet amplius? Nolo (inquit) in hac parte eligere: nolo mei iu-  
 ris esse: nolo meā inclinationem sequi, nec proprijs motibus du-  
 ci: sed volo omnimodè Domini mei Iesu Christi beneplacito  
 contentari, qui nouit cordis mei secreta rimari ac inuisibiliter  
 penetrare: vt ipse sit mihi omnia in omnibus, secundum exigen-  
 tiā meæ fragilitatis. Quod sibi magis placuerit, hoc liberè agat:  
 qualem se voluerit demonstrare, talem se mihi exhibeat, gratum  
 enim erit omne, quod fecerit. Totus est mihi in singulis, cum  
 rectè attendo: nec vlla varietas formæ vel ætatis, mutabit fidem  
 veritatis: quia indiuisus est Christus, in omnibus his modis verè  
 adorandus. Sentio enim mihi fore tutissimum, eius arbitrio sine  
 meo voluto standum. Habeo tamen desiderium incessabiliter  
 feruidum, ad ipsum amabiliter intuemum. Magnum vtique &  
 preciosum gratiæ donatiuum, si vel vnum istorum, quod petiui,  
 concesserit mihi speculandum. In hic præcepto suum velle &  
 nolle, vt fiat mihi secundum verbum suum, in omni re desidera-  
 bili vel contristabili absque delicto. Tantū velit, & seipsum mihi  
 indicet: non causabor de qualitate formæ humanæ, dummodo  
 liceat illum cernere in deitate. Sed quia hoc genus speculandū  
 altissimum est & beatorum, contentabor interim omnium fide-  
 lium more, si Iesum videre merear in humanitatis effigie, prout  
 interdum aliquibus deuotis se reuelauit in secreta visione. Itaque  
 si se



si se paruulum in cunabulo iacentem exhibuerit, adorabo prorsus Deum puerum in carne pro me exinanitum. Laudabo & gratulabor, de tantæ pietatis ac paruitatis suæ munere à seculo inaudito, omni dulcedine & gaudio pleno. Quem enim non delectaret tam gratiosum videre infantulum, Angelicis laudibus celebratum: tam sanctum amplecti puerulum, ab omni contagio purum, à sanctis pastoribus visitatum, à nobilissimis Magis, venerabiliter adoratum? Ecce hoc sapit dulcius, & afficit tenerius. Hoc informat charius primordia mea, præ cæteris actibus eius & signis, quibus claruit in mundo verus Deus & homo, vagiens in præsepio paruo. Ad huiusmodi conspectum requiritur oculus mundus, mens humilis, fides firma, cōscientia pura: vt videatur Deus gloriæ in fragili carne, & in forma serui, creator celi & terra.

3. Quid autem in medio doctorum audiēs illos, & ad quæsitam respondens æterna sapientia Patris? Certe intueri libet pulcherrimum adolescentulum, duodécim annorū ætatem habentē, omnino honestate morū florentē, à planta pedis vsque ad verticem nullam macula fuscum: qui iam perfectè loqui potest, & responsa dare, & ingenuæ probitatis indicia declarare: ita vt cunctorum oculi, præ admiratione subita in eum essent defixi, & omnes cuperent eius præsentia ac dulcibus colloquijs recreari. Idcirco & ego aliquantulum curiosius, in faciem Christi Iesu affecto intendere, & quæ adificationis sunt, ex eius ore verba prudentiæ notare.

4. Ecce sedet in medio doctorum puer Iesus, Dominus Angelorum. Audit magistros in terris, qui docet Angelos in calis: interrogat seniores, vt discant omnes iuniores coram maioribus tacere, & reuereri. Habet se valdè modestè, sedet quietè, tacet verè recudè. Cùm interrogatur, respondet discretè, nil leuitatis gerit actu vel sermone: & inter sapientes, perfectæ maturitatis imaginè in annis pueritiæ representat. Si quis totam Ierusalem perlustrasset, putas talè puerum, tam decorū & sapiētē, inuenire potuisset? Minimè. Sed neque in omnibus finibus Israel talis, etiāsi Salomon, & omnes filij regum affuissent. Verè non est similis ei, neque in cælo, neque in terra, neq; in cūctis legislatoribus & magistris. Quapropter nō erat mirū, si Maria doluit multū, cū perdidisset tā dilectū filium, præ filijs hominū decoratū. Facies namque eius mira iucūditate serena, oculi clari, labia pura, eloquium dulce, responsio sapientia plena. Dum tacet, ædificat: cū respōdet, instruit: virtutis est, omne quod agit & dicit: Si tam dulces fructus emittit in flore, quantos producet in messis vbertate?

5. O quàm delectabile est amanti animæ contemplari Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo, signis & prodigijs coruscantem in populo, ac verba vitæ, super mel & fauam dulciora,

disci-



discipulis prædicantem. Si mihi vno tantum die datum esset cum Domino meo conuersari in mundo, felicem me putarẽ: nec vnquam huius diei obliuisci deberẽ, propter eminentem doctrinam & humilẽ conuersationem Filij Dei, cum filiis hominũ: qui nullum pauperem vel debilem vitauit, sed etiam cum publicanis & peccatoribus manducare solebat. Heu quantum delirat, qui ab hoc sanctissimo exẽplari in mundo accenso, vel ad momentum breue cordis oculũ deflectit. Æstimandũ est, quod diu indoctus & inspiens manebit, qui vitam suã ad humilitatem humilis Dei non conformat. Optimẽ sensit & scripsit magnus Paulus, à Deo illuminatus dicens: *Mihi Christus viuere est, & mori lucrum.* Igitur Phil. 1. ad Dominum meũ Iesum Christum oculi mei semper, quoniam ipse est regula mea & sapiẽtia mea. Nam perfectio omnium virtutum relucet in eo tanquam in speculo mundo: nec potest aliquid melius & perfectius, in omni libro & scientia inueniri & sciri & contemplari, quã in hoc libro vitæ, & lumine vero omnem hominem illuminante: & præcipuẽ pauperem spiritu, in amorem sui transferente.

6. Super omnia autẽ preciosa vnguenta fragrat passio Domini mei Iesu Christi: continens in breui summa, omnium gratiarũ apothecam. Ideo summẽ delectat, videre Iesum pendentẽ in cruce, atque sacrosancta corporis sui vulnera mihi demonstrantẽ; dolore quidẽ liuida, sed amore fulgida, præ omnibus gestis eius cõpunctiua: vt præter Iesum Christum, & hunc crucifixum, nil libeat menti meæ cogitare, nec legere, nec loqui, neque audire. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: qui misericordiã peccatoribus non negat, & deuotorũ affectibus piẽ adest & fauet: vt nunquã à memoria mea sacratissima passio Domini mei Iesu Christi recedat; sed dolor & amor amãtissimi crucifixi, cor meũ penetrent & vulnerent, ac firmissimẽ vniant & accendant: vt totus mundus mihi vilescat, & Iesus crucifixus, solus super omnia sapiat, atque ad intima passionis suæ secreta, secretius me & frequentissimẽ inducat.

7. Potest & alijs multis modis, pro desiderio amãtis animæ, dilectus Iesus se mirabiliter reuelare: & de sanctissima vita sua, & preciosa morte, ac resurrectionis gloria plenius informare. Vt quæ sacra Euangelia docent & pandunt verbis exterius, adueniente Spiritu Iesu spiritaliter & sagaciter ipse aperiat intus sine strepitu verborũ, cum multa illuminatione summæ veritatis, ad capiendum etiam gloriam deitatis; prout potiri conceditur purgatis mentibus quandoque per excessũ spiritus, pro consolatione humane fragilitatis; secundum quod ipse benedictus Iesus promisit dicẽs: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur; Ioan. 10. & ingredietur & egredietur, & pasqua inueniet. Amen.*



## DECIMATERTIA.

*De sacra institutione ieiunij, secundum formam Iesu Christi.*

25 Cor. 6.

1. **E**cco nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Aduenit sanctū. Quadragesimę tēpus, salubriter ab Ecclesia institutum, omnibus Christi fidelibus (maximē autem religiosis) deuotē suscipiendum. Præpara ergo te serue Dei, in hoc tempore, ad emendatius viuendum, ad strictius ieiunandum, ad frequentius orandū, ad diligentius psallendum: quatenus & in die Dominicę resurrectionis tātō ampliūs cum Domino, merearis gaudere, quātō nunc abstinentius vixeris. Suscipe lætānter crucem Domini, quam sponte pro te Saluator mundi suscepit. Nā crux est omnium afflictio carnis, & quęlibet mortificatio sensualitatis; quę sepe edomari debet, ne aduersus spiritū præualeat. Hanc crucem leuē ac dulcem, facit amor & gratia Christi, qui suo & suorum exemplo sanctorum, formam tradidit abstinenti. Ne ergo timeas homo fragilis, nec ad ieiunandum pusillanimis existas. Christus in causa est, Christus exemplum dedit, Christus etiam ad persiciendum bene iuuabit, qui tam sacras obseruantias instituit. Nam pro te est, quod agis: pro tua salute laboras, cum ieiunas.

2. Quid trepidas caro & sanguis? Habuerunt etiam carne & sanguinem sancti homines priores, multis temporibus in abstinentia viuentes. Si non esset afflictuum corpori, nec onerosum naturę, quomodo diceretur & esset tēpus pœnitentię? Pœnitentiam ergo agere debes, in hoc breui spatio Quadragesimę, ad redimendas negligentias vitę præteritę: & pro Deo animam tuam affligere in compensatione diuinę iustitię, in vigilijs, in ieiunijs, in orationibus & laboribus, in silentio & custodia cellę; nec non in alijs obseruantijs sacris, secundum morem Ecclesię, quę macerationi carnis ampliūs nunc insistit. Nam vbique vigilias nunc protrahit, cantum multiplicat, preces prolongat, genu flectit sapius, inclinat profundius, celebrat feruentius, adorat reuerentius, ieiunat prolixius, legit studiosius, prædicat instantius. Gravitatem assumit, pietatem exhibet, honestatem seruat, disciplinam custodit, & omnem obseruantiam sanctitatis adauget. Omnis enim anima, quę non fuerit afflictata die hoc, peribit de populo suo; quia non est digna in sanctorum cœtu computari, qui noluerit sanctorum vitam per abstinentiam imitari.

3. Nunc tota antiqua vita in melius est commutanda, & dignis castigationibus caro refrananda: quatenus resurrectionis tempore, refloreat in nouitate vitę. Redimendū sunt dies negligentię nostrę,



nostræ, & exigendum aliquid amplius in feruore spiritus pro afflictione carnis. Nam spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam: id est, delectatio carnis. Iacta itaque cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet, magis verbo quàm ferculo. *Non in solo pane* (inquit) *uixit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Timor, quem sentis, amor tuipsum est, plus pauens quàm oportet. Sæpe magis affligit timor nimius, & sollicitudo cordis pro defectu corporis, quàm præsens ipsa fatigatio laboris. Si aliquantulum laboriosum non esset, quid tunc magni esset? Viuere secundum commodum naturæ, non est vita pœnitentiæ. Feruenti verò spiritui & viriliter agere cupienti, modicum videtur totum, quod agit. Appetit enim non solum superflua & noxia refecare, sed à multis etiam licitis abstinere. Sit ergo animus fortis & voluntas prompta ad ieiunandum: habes enim multa exempla tecum pariter ieiunantium. Propone nunc vnum diem, & cras alterum deuotius adiunge, sicq; in Dei nomine reliquos consummabis. Nónne pro regno Dei & amore Christi, totum leue ac breue ducendum tam sanctum ieiunium? Non est declinandi locus, & multum inde sollicitari quid importat? Sufficiat vnicuique diei sollicitudo sua, vt non duplices tibi mala, magis autem te prepara ad subeundum arctiora. Quanto promptior fueris, tanto leuius tibi facis, & Deo erit magis acceptum. Fortè vltimum erit ieiunium tuum in hac vita, & magnum gaudium dabit bene consummatum. Quanti anno præterito ieiunauerunt, qui modo ex hoc mundo migrauerunt? Gratum omnino Deo erit, si sponte & hilariter fiat, quod tamen fieri ex necessitate oportet.

4. Igitur abiecto timore carnali, viriliter & alacriter aggredere ieiunium salutare. Ambula in spiritu libertatis, & sollicitudo non occupabit carnis. Intuere diligenter exempla sanctorum Prophetarum, Moysis & Eliæ & Danielis, quorum mira fuit abstinentia victus, & amica solitudo multis temporibus. Attende & beatissimum Ioannem Baptistam, optimæ conuersationis puerum, quem Spiritus sanctus ex utero matris repleuit, ducens illum in tenera ætate ad eremum, vbi in magna abstinentia & austeritate vitæ solitariè diu vixit. Deinde Dominum nostrum Iesum Christum præ cunctis sanctis intuere, ac pro singulari exemplo abstinentiæ tibi antepone: qualiter ipse sanctus sanctorum, rex regum, & conditor seculorum, sacrator & institutor omnium temporum, ieiunium quadraginta dierum, totidemque noctium, nihil interim manducando peregit: suo sanctissimo te docens exemplo ieiunare, & contra diaboli tentationes fortiter certare. Quid enim non tolerabile? Quid non amabile illius fieret exemplo, qui vtique magis pro te quàm pro se creditur ieiunasse? Et



non tantum ieiunium eius considera, sed longam etiam solitudinem eius studeas tibi in exemplum trahere: quomodo secretè in deserto latuit, cum bestiis mansuetissimè vixit, & à diabolo tripliciter tentatus sit: præbens formam solitariæ vitæ, fugam mundi, vitationem tumultuum, frequentiam orandi, aptitudinem contemplandi, vacationem Dei, inclusionem & custodiam tui.

5. O si aliquanto illic tempore cum Domino Iesu stetisses, ab omni humano consortio separatus, nonne tibi prædulce fuisset, nil manducasse illis diebus? O quàm felix fuisses, si cum filio Dei eremitare potuisses, & illius consortio perfrui, cui deserviebant Angeli! Vbi putas erat domuncula eius, aut spelunca protegens illum: vel qualis matta substrata corpori eius? In terra sedet, in terra dormit & quiescit, qui cælum terramq; regit. Adspice nunc sedentem, nunc stantem, nunc genua sua in oratione flectentem ad Deum Patrem suum omnipotentem. Associaare igitur ei deuotionis gratia, & libenter esto solus cum solo, habendo Iesum tantum pro solatio: quia melior est tibi solus Iesus pro socio, quàm totus Angelorum chorus in cælo. Reuera numquam est solus, nec totus derelictus, cum quo dulcissimus est Iesus. Nam sine Iesu, totus mundus tadium est & onus. Disce ab illo, quàm patiens sit & mitis in hac vasta solitudine, quàm lucidum iter pandit Religiosis ad locum secretum: ostendens prius Deo & sibi fore vacandum, antequam in publicum sit procedendum.

6. Interroga tamen ab eo huius vitæ causam, & dic: Quid hic agis Domine Iesu? Quare homines fugis, qui ab hominibus impediri nescis? Quid turbas deuitas, qui à nullo turbari vales. Vt quid etiam tam districtè ieiunas, & sanctam carnem tuam sic castigas, cum in te nihil sit, quod refrenari debeat? An propter nos & nostram salutem ista facis? Reuera ita est. Propter electos meos, omnia facio & patior, vt & ipsi salutem consequantur. Veni enim dare omnibus exemplum viuendi, demonstrans in me metipso, qua via, quanto labore, quo etiam fructu, perueniatur ad regnum meum sine fine gaudendi.

7. Sed obsecro te Domine, noli me deserere in deserto huius seculi; sed esto mihi nubes per diem in umbraculum ab æstu tentationum; & columna ignis per noctem ad depellendam mentis caliginem. Præcedat me Dominus meus, aut Angelus eius semper inducatque in terram lacte & melle manantem: hoc est, ad internam gustandam suauitatem. Ego (inquit) faciam petitionem tuam, si tu meam fueris sequutus conuersationem. Ostendi poenitentiam viam, per quam itur ad æternam gloriam. Sequere me per laborem & tribulationem, si vis habere requiem & con-

solat



solationem. Ieiunavi, esuriui, tentatus sum, & restiti: contempsi mundum & gloriam eius: vici diabolum & consilium eius: vt & tu meo exemplo discas ieiunare, vigilare, & orare, mundum contemnere, diabolo resistere, carnem subiugare, & vsque ad mortem in obedientia perseverare. Si ego pro salute tua tantum laboravi, & tantam abstinentiam peregi, qui sine peccato fui & vixi: quanto magis tu qui in peccato natus es, & peccati fomitem adhuc habes, carnem tuam debes macerare, & omnem peccandi occasionem amputare? Stude igitur pro modulo tuo, iniunctam explere ieiunij regulam: plus execrando ventris concupiscentiam, quam naturæ necessitatem. Ego libenter spontaneam oblationem tuam suscipiam: & licet modicum sit, quod agis, humilis tamen & munda oblatio mihi semper grata existit.

## DECIMA-QUARTA.

*De feruentiori emendatione nunc assumenda.*

x. **A** Duenerunt nobis dies pœnitentia, ad redimenda peccata & salvandas animas. Benedictus Deus, qui contulit nobis tempus & formam ad faciendam aliquam pro peccatis pœnitentiam. Sic enim meremur eius misericordiam, nec non gratiam vberiore atque gloriam. O sacrum pœnitentiæ tempus, datum in salutem omnibus hominibus, finem indicens vitij, parans virtutibus iter, compunctionem ingerens, deuotionem nutriens, torporem exuens, feruorem renouans, & ad omne bonum incitans. O feruor deuotionis! O desiderium emendationis! Iam nunc ostende virtutem tuam, appareatque in opere, quod prius concepisti in mente! Vtinam modò vel vnum vitium perfectè superes, aut aliquam malam consuetudinem dediscas. O si vel vni gradum virtutis iam ascendas, aut aliquam specialem gratiam à Domino apprehendas! Si modò non laboraueris pro profectu, quando tunc proficies, & quando emendabis te in aliquo defectu? Rarò namque alio tempore religiosus demonstratur, quisquis hoc tempore religiosior non inuenitur. Alio tempore cauere illicita, laudabile est: modò non continere à licitis, vituperabile. Sanctum tempus, sanctam conuersationem requirit; & multa millia exempla fidelium, ad imitandum magis accendunt. Si omnem Christianum decet nunc sanctius viuere, quanto magis religiosum, qui debet alijs exempla sanctitatis & abstinentiæ præbere? Assumenda est ergo noua deuotio, & maior sensibus adhibenda custodia, ac totius hominis interioris & exterioris perfecta emendatio sectanda. Sit mens deuota, oratio pura, frequens

P a medita-



meditatio, intenta lectio; sermo rarus & utilis, solitudo grata & stabilis, labor in manibus, pietas in intentione, Christus semper in corde. Vigilandum enim nunc est sollicitius contra inimici insidias, qui acrius solet iam deuotos impetere & tentare: si forte tepidos eos reddat, aut impatientes, vt fiat labor eorum inutilis aut pœnitentia grauis, & chorus tœdiosus. Nec mirum, si nos tentare audeat, qui Christum Dominum tentare non timuit. Sed miser ille victus est, & confusus abscessit, vt nobis spes vincendi daretur, & ne diabolum timeremus, qui nobiscum Christum victorem habemus. Viriliter igitur resistamus, & constantes in omnibus aduersitatibus maneamus.

2. Sine causa vtique tam crebrò in Ecclesia non canitur, Commendemus nosmetipsos in multa patientia per arma iustitiæ virtutis Dei. Est nunc valde necessaria patientia: quia multa occurrunt naturæ contraria, quæ bene portari nequeunt sine interna gratia. Alius tamen hoc, alius illud amplius ponderat, secundum quod sua naturæ aut consuetudini magis aduersari sentit. Ideoq; beatus & sapiens, qui iam virilis est & patientia præmunitus. Nam optimum remedium est non cedere timori, nec terga aduersario dare: sed viriliter agere, & libenter etiam velle arctiora pro Domino subire. Sic enim fecerunt sancti viri, gloriosi patres nostri, diuino amore accensi, qui hæc instituerunt, & nobis similiter agenda reliquerunt. Denique Christus Iesus Dominus noster, gratia crucis supplicia subiit, & patientiam suam nobis in consolationem & perpetuam imitationem præmonstrauit. Quisquis igitur deuotius se modò in cunctis gesserit, non dubium, quin iucundius sanctum Pascha suscipiet. Quicumque nunc abstinentior & sollicitior ad profectum interiorem fuerit, latior vtique Domino resurgente cum ipso iubilabit.

3. O Iesu bone, dulcis hospes & amice fidelis, adesto desiderijs & gemitibus meis. Conforta me pusillum in hoc sacro ieiunio, à te legitimè consecrato. Da robur mentis, & gratiam internæ purgationis: vt hæc corporalis ieiunatio, peccatorum meorum fiat expurgatio. Da sic ab escais corporalibus abstinere, vt ab omnibus vitijs & passionibus ieiunem in mente. Custodi me à callido inimico, qui omni modo nititur conceptum propositum impedire, & à sancto feruore retardare. Da dexteram tuam Iesu bone, vt sine elatione, sine tœdio, sine distractione cordis, in conspectu tuo his sacris diebus in choro psallam: ac tota fidelitate, decimam dierum meorum deuotus tibi offeram, Amen.

DECI-



## DECIMA-QUINTA.

*De ascensu Moysis in montem Sinai.*

1. *Ascendit Moyses in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* *Exodi 26.* Quid putas sanctus iste homo ibi egit cum Domino? Quis indicabit mihi secretum istud? O si interfuissem, ut Moysen loquentem cum Domino audire meruissem.

Nam Moyses loquebatur, & Dominus respondebat. Fruebatur ergo ibi solus colloquijs diuinis longè abstractus ab hominum confortijs. Ibi legem Decalogi suscepit, ibi secreta Dei & multa mysteria fidei nostræ perspexit. Didicit ibi in abscondito, quæ postmodum docturus erat in populo. Ibi instructus est de factura tabernaculi, de ritu sacrificij, de ordine sacerdotali. Ibi in spiritu cognouit & intellexit, quid ista exteriora & visibilia instituta significabant, & quid de futuris mysticè prænuuntiabant. Ibi ab omnibus mundialibus curis liber vacabat, & videbat quàm suavis est Dominus; quam beatus vir, qui requiescit in monte sancto eius. Ibi nullum tædium corporis passus, pane vitæ & intellectus est refectus. Ibi in silentio venas diuini susurri suscepit, & spiritu sapientiæ impleri meruit. Vnde ex longa cohabitatione & frequentati colloquutione cum Domino in monte, illud mirabile ei accidit, ut splendida facies eius ex intuitu Dei fieret, & cornuta inspicientibus videretur; ita ut non possent filij Israel in eum intendere, sed territi abscederent, donec ille velamen sibi superimponeret, ac sic inspicientibus claritatem sui vultus temperaret. O virum Dei gloriosum & inclytum, lumine diuinæ claritatis intus & foris perfusum & penetratum!

2. Sic etiam quidam deuoti amatores Christi, quando sunt in secreta contemplatione cum Domino, nonnumquam in nouæ vitæ claritatem transformantur: & tantam secum gratiæ copiam reportant, ut cæteris admirationi sint & timori, propter zelum feruoris, & affluentiam doctrinæ cælestis, quam producunt. Sed ne nimium importabiles videantur infirmis, prudenter gratiam supernæ visitationis contegunt: solum quæ prodesse possunt, & melius comprehendere, humiliter dicunt: quæ autem obscura sunt & alta clauso pectore seruant, soli Deo & sibi hæc cognita esse cupiunt, cui & gratias maximas ex intimo referunt.

3. O si posses & tu cum sancto Moyse in montem virtutum ascendere, & nunc in hoc sancto tempore, aliquantulum ibidem cum Domino moram trahere, ad audiendam vocem Dei loquentis, de medio nubis & caliginis: forsitan & tibi donaretur aliqua specialis diuinæ agnitionis gratia, & illustratio mentis, qua



Deut. 8.  
Matth. 4.

inebriatus & impletus cuncta terrena negligeres, & supercaelestia tantum amares: ita ut de esu corporali modicum pensares, sed potius experimentaliter in te gustares, quam verus fit ille sermo Moysis dicentis: *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Exodi 24.

4. Sed quid est, quod solus Moyses iubetur ascendere, & paucis cum eo seniorum Israël? Nimirum paucitas perfectorum, & altitudo vitae contemplativae in hoc exprimitur: quoniam maxima multitudo hominum, circa terrena & sensibilia magis amat conuersari. Nullus tamen verticem montis ascendit, nec medium caliginis, in qua Deus erat, intravit, nisi solus Moyses, speciali gratia à Domino vocatus, & ad se introire iussus. Cui dicitur: *Ascende ad me in montem, & esto ibi.* Vocatur per gratiam, ascendit per obedientiam, manet per stabilem perseverantiam. Non expedit ascendere, nisi praeveniens gratia, quae mentem ab omni infirma delectatione levet: & tunc oportet tractum gratiae sequi, usque ad finibilem unionem Dei: & ibi ab omni consideratione quiescere, donec iterum Domino praecipiente, ad charitatis opera descendatur. Nam & ipse Moyses, post diuinam cum Domino habitationem, propter populi instructionem iubetur descendere, cui per pastorem praerat sollicitudinem. Ut ostendatur, quia omnis, qui sublimiter ac suaviter Deo vacat, post expertam suavitatem, utiliter ac humiliter ad pia rursus opera redire debet. Et sic ascendendo ac descendendo, profectum semper inueniet: ita ut nunquam ociosè resideat, sed aut intus Deo, aut exterius utilitati proximorum intendat.

Exod. 38.

5. *Descende,* inquit Dominus, *peccavit populus tuus.* Deuotio apud Deum cum tenebat, periculum populi redire ad externa cogebat. Ascendit per contemplationem, descendit iterum per compassionem. Charitas Dei sursum trahebat, charitas proximi deorsum reuocabat. In monte tantummodo caelestia cogitabat, inferius lites & contentiones compefcebat. Ibi Dominum clarè cernebat, hic raro à tumultu populi liber erat. Ibi supra se in spiritu rapiebat, hic magno tædio saepius propter eos vexabatur. In spiritualibus delectabatur, hic à carnalibus grauabatur. Ibi diuinas reuelationes suscipiebat, hic inferius murmurationes frequenter audiebat. Ibi deuotus & quietus erat, hic mitis & patiens esse studebat. O quam bonum & iucundum est, esse cum Domino in monte, & de nullis forinsecis rebus curam habere! O quam miser & miserabilis ille status, rumoribus seculi interesse, & transitoriis occupationibus implicari! Felix mens, quam nulla actio secularis retinet, nec vlla affectio carnis inclinatur, sed semper pura intentio ad Deum sine tardatione leuat.



## DECIMA-SEXTA.

*De verbis Iesu, & munditia cordis.*

1. **V**erba, quae ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Si sacra Iesu verba capere desideras, ad interiora te conuerte, & discite in spiritu ambulare. In Iesu enim verbis viuunt, & in talibus vita spiritus tui. Est siquidem Iesus ignorantiae lumen, & vnicum doloris solamen. Audi ergo verbum, quod egreditur de ore Dei, & de labijs benedicti Iesu. Ait namque mundissimus Iesus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Altum verbum, quia ab Altissimo prolatum. Magna promissio, sed à summa veritate firmata. Beati h. 5.

2. *Beati mundo corde.* O dulce dictum, quod meritò inuitat Ibidem. animum ad beatitudinis promissum. Nam Deus est primum, & nihil hic sonat terrenum. Si placet beatitudo promissa, placeat & cordis munditia, vt videas Deum Deorum in Sion. Ad cor mundandum tota vigilet intentio, & crebra feruescat oratio. Habet enim cor serenum, infinitum bonum sibi promissum. Sperne igitur mundum, & obtinebis caelum. Relinque creaturas, & inuenies creatorem. Desine temporalia, & dabuntur tibi sempiterna. Non possunt simili lance pensari caelum & terra, nec potest pariter frui Deus cum creatura. Qui creatis rebus innititur, Deo vacare impeditur. Mundus à mundanis, & liber à passionibus, caelesti visione fit dignus. Quanto enim quis mundior, tanto Deo gratior. Deus lux est, & lucidos amat. Deus puritas est, & impuros reprobat. Fragilis est amor mundi, insatiabilis vsus omnium rerum: quod autem manet in aeternum, hoc animae verum bonum. Crescit amor summi boni, omni re mundana contempta. Orietur tibi gaudium intrinsecus, si fortiter vitijs reluctaris: dumque foris nil transitorium appetis, splendor lucis aeternae clarius insulget. Sancto viro grauis est naturae necessitas: carnis verò voluptas casto cordi infernalis calamitas. Nihil enim aliud pariunt carnales illecebrae, quam incendia aeternae gehennae. Det Deus haec praecauere, & angelicae puritatis dignitatem seruare.

3. Iuuant maximè ad cordis munditiam, perfectus contemptus saeculi; abnegatio sui propter amorem Christi, & frequens meditatio Verbi incarnati. Munda itaque speculum cordis, si Deum intueri concupiscis. Delectabilissimū est, veritatem atque aeternam sapientiam speculari. Ad statum purioris vitae, perducit interioris hominis reformatio sana. Seducit autem & confundit



mentem curiosa sectatio sensibilium. Trahat te auidè ad interna gustanda, optabilis mentis tranquillitas: qua suauiter fruuntur, qui in puritate vitam agunt. Si huius puritatis gestis habere delicias, caue turbationes, atque turbationum resera materias. Nil altum, nil delicatum, nil curiosum, nil transitorium concupiscas, & maximas inquietudines amputasti. Siquidem ab omni temporalitate remotus, liber pergit ad Deum. Qui enim à nullo tenetur, calum facile conscendit, dum orat. Nec mundi moles, nec carnis mollities, hunc retardare potest. Penetrat & aëreas potestates securus, puræ conscientie custos. Multum desideranda est hæc cordis puritas, quæ Deum & Angelos sibi facit amicos. Pro hac beatitudinis gratia luctandum fortiter, orandum frequenter, operandum non segniter. Beatitudo munditiæ in humilitatis valde fundatur, precibus acquiritur, fletibus enutritur.

4. O quàm gratiosa & decora est hæc virtus, quæ omnes passionibus transcendit, & impassibili Deo optat vniri. Puritati namque cedit omne nefandum, subest illi omne creatum. Agit enim cum Deo integrè & sincerè, ideo vinci non nouit, sed in omnipotente omnia excedit. Famulantur huic superiora, & infima cooperantur ad bonum. Hanc fugiunt dæmones, hanc zelant Angeli, verentur carnales, amplectuntur spirituales. Sanctus Dauid post humilem peccatorum confessionem, petit sibi cordis præstari munditiam, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.* Desfet delicta peracta, arguit se insipienter egisse, precatur carnis exuri lapsus: vt possit in conspectu Dei iterum mundus inueniri, & salutarum lætitiarum repleri, nec vniquam ad illicita gesta deuolui.

Psal. 50.

5. Hæc cordis munditia scala est rectissima, clarissima, firmissima, attingens cacumen cali, & perueniens ad intuitum gloriæ Dei. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius:* O pulcherrime Iesu, author omnis puritatis, qui mundis corde æterna promisti gaudia; da mihi hanc electam & preciosam virtutem, gemmis & auro clariorem perpetuò possidere: vt omni peccati contagione remota, liberamente in fragili carne tibi gratè deseruiam; & quicquid puritatis impedire potest, funditus abijciam: totisque desiderijs tibi nitari adherere, quamdiu inter mundi turbines viuo misellus, donec me iubeas aspectibus tuis assisti: tuncque secundum magnam misericordiam tuam, propitius mihi esse digneris.

Psal. 144.

## DECIMA-SEPTIMA.

De amore Iesu, &amp; abnegatione sui.

Ioan. 12.

1. **Q**VI amat animam suam, perdet eam. Hec loquitur amatissimus Iesus, volens te separare à mundi curis & illecebris. Ecce amor, & per-



& perditio. *Æternū Patris Verbū id dicit, non te fallit, sed salutē tuā consulit.* Amor mundi, perditio: amor Iesu, animæ redemptio. Amor carnis, stultitia: amor Iesu, sapientia. Amor creaturæ minuit creatoris amorem: amor creatoris dat omnibus creaturis abunde licentiam. Non enim similia sapiunt, nec meritò conveniunt. Amor sui, plenus timore & angore: abnegatio sui, ineffabilis libertas. Amor sui, intestinum malum: qui rarò vincitur, nisi Deus perfectè diligatur. Contemptus sui, salutis indicium, & qui à contemptu incipit, in amore Iesu perficitur. Amor sui cor obscurat, parit rixas, tollitque profectum. Qui autem propter Iesum se abnegat, liber fit & pacatus. Amor Iesu tutus & fortis nescit molles & seipso quærentes. Amor Iesu dat totum quod est & habet: nec quærit, nisi quod novit Deo placere.

2. Si vis plenè purgari & in spiritu clarificari, contemne te ipsum & omnia propter Iesum. Omne magnum in mundo, nihil tibi sit, omne iucundum amarescat: ut solus Deus, & dulcis Iesus, super omnia tibi dulcescat. Quid est in veritate amor Iesu, nisi contemptus tui ipsius & omnium, propter amorem suum? Et hic est, qui inuenit se, & omne bonum in Deo. Saluare vis animā tuam, contemne nunc vitam præsentem. Si tenueris modò asperam viam, ibis in vitam æternam. Durus videtur carnalibus & sæcularibus sermo abnegationis, & perditionis vitæ præsentis: sed amantibus Christum, super mel & fauum sapit dulcius: quia æternum præparat regnum verax abnegatio sui propter Deum. Amor Iesu scit pati mala præsentia, & valet disrumpere commoda temporalia. Non timet vilipendi, nec affectat honores. Scit tacere ad iniurias, non cogitat reddere vicem lædentibus.\*

3. Amor Iesu habet consolationem inuisibilem expectat fructum immarcescibilem. Ego (inquit) *elegi vos de mundo*, per gratiam meam vocando: *ut eatis à vobis ipsis*, propriam voluntatem deserendo; & *fructum charitatis afferatis*, me super omnia diligendo: & *fructus vester maneat*, in æterna benedictione mecum regnando. Fructus autem carnis mors est, quem vermis non moriturus sequitur, & ignis æternus. A quo nos custodiat, qui mundum contemnere & carnem domare docuit Iesus Christus, amor & redemptio nostra. Amen.

## DECIMA-OCTAVA.

*De paupertate Christi sectanda, & cura temporalium abijcienda.*

1. *Vulpes foveam habent, & volucres cali nidus; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Hic sermo Iesu tibi frequenter pensandus est, & diligenter cordi inferendus, qui reli-



giosam affectas ducere vitam. Commendat tibi Iesus sanctæ pau-  
 pertatis suæ nobilitatem, qua regnum cælestem emitur: quam &  
 ipse in mundo pauper elegit, ac strictis imè seruauit. Imò nulli  
 te vult quærere consolationem terrenam: quia nec ipse tempo-  
 ralem hic habuit requiem, nec materialem sibi statuit in terra  
 domum ad commorandum. Habent animalia ad latitandum la-  
 tibula, & volatilia ad quiescendum nidos vel foramina: sed Iesus  
 nulla penitus sibi erexit tabernacula, nec per interpositâ per-  
 sonam ædem procurauit aut mensam. Vixit autem, vt pauper  
 mendicus: pertransijt viam mundi, velut peregrinus festinus: re-  
 cessit, vt hospes alienus. Non domû manufactam, æterna sapien-  
 tia sibi edificauit in vicis vel vrbibus, nec extra vrbem conduxit  
 in locis vberimis: sed communi contentus amicorum diuerso-  
 rio, simplicitatem egenorum sectatus est in omnibus, nusquam  
 delectatus altis tabernaculis peccatorum. Quæ autem sibi susten-  
 tationis gratia dabantur, hæc in communi conferebat, & alteri  
 deferenda cõmittebat. Nil proprium pro se habere volebat: parçè  
 autem vsus est his, quæ naturalis necessitas poscebat. Si quid for-  
 tè supererat in denarijs aut cibarijs, hæc pauperibus erogari facie-  
 bat. Proinde superfluam rerum curam, perfectis sectatoribus suis  
 interdixit: infirmioribus autem fratribus, necessaria vitæ ele-  
 menti bonitate concessit.

*Matth. 17.* 2. Suadebat aliquando ei Petrus tria fabricari tabernacula, cum  
 in monte cælesti visione frueretur stupido præsentia Iesu clario-  
 ri, & sanctorum Moyse & Eliæ consortio delectatus. Sed in hac  
 petitione, quia minus congruentia petebat, non est exauditus.  
 Quia Christi & beatorum habitatio non in terrenis tabernaculis,  
 nec in corporeis imaginibus consistit, sed in cælestis regni man-  
 sione felici, quæ omnem sensum & mortalium cognitionem exce-  
 dit. Et quidem poterat fabricator cæli & terræ, Iesus fabri filius  
 dictus, facillè condere domum vel templum nomini suo, etiam  
 absq; securi & ascia: sed cælestis magister & artifex omnium vir-  
 tutum, non propter corporalia reformanda descendit ad ima: quo-  
 niam non de lignis & lapidibus, non de bobus & pecudibus, non  
 de prædijs & redditibus illi cura extitit: sed de animabus curan-  
 dis, instruendis, ac redimendis. Declarauit autem potentiam suam  
 factis potioribus, sanitates perficiendo tactu leui aut vnico verbo.  
 Sapientiam quoque docuit opere & sermone bono, loquens de  
 regno Dei, dissuadens cæli gaudia peritura. Collegit humiles &  
 simplices, ac fastidiosos diuites dimisit inanes.

3. Depone ergo & tu omnem inutilem sollicitudinem rerum  
 temporalium, de futuris prouentibus penitus te exoccupando:  
 iacta autem cogitatum tuum in Domino, cælestia meditando.

Nec



Nec pro necessarijs vitæ auarè labores, vt abundes in posterum. Permitte & alios pro se laborare, vt habeant vnde viuant. Potius labora pro anima tua, & pro gratia acquirenda, quàm vt caro bene pascatur vermibus corrodenda. Vide ne nimium pro temporalibus desudes, & in spiritualibus exercitijs te negligas. Bonum est querere commune bonum, sed spiritale magis quàm terrenū. Bonum est in sudore vultus edere panem, sed noli obliuisci panis celestis. *Vtere labore tuo in diebus vanitatis tuae.* ait Sapiens, *ne forte homini ocioso & ingrato omnia dimittas.* Non vales tu solus omnes posteros ditare, nec cuncta damna præcauere. Stude potius post te relinquere exemplum virtutis, quam sufficientiam terreni census. Quid scis, an expediat tibi & alijs amplius habere? Noli multa desiderare; nam desiderio numquam satis erit, nec extinguitur cupido preciorum.

4. Tu paupertatem Christi sectare, & modicitate naturæ esto contentus ob amorem eius, qui nec prædia, nec redditus, nec ciuitas, nec domos habere voluit. Proh dolor, multi tempora sua casta sollicitudine consumunt, parum vel rarò ad interiora se conuertunt, & valdè insensibiles intus fiunt. Erige cor sursum, noli cum bestijs inherere terrenis. Angelorum esca nutriendus es, verbum Dei animarum est cibus. Iste est panis vitæ, quem dabit tibi Dominus Iesus, ne in deserto deficias. Bonus & pius Dominus, qui promisit æterna, non negabit temporalia. Tu quære celestia, & ipse absque dubio adiiciet necessaria, quamdiu es in hac vita.

## DECIMA - NONA.

*De fatigatione Iesu, & salutari eius doctrina.*

1. **I**esus fatigatus ex itinere, sedebat super fontem. Patientissimus Iesus pro nobis fatigari dignatus est. Non vehiculo, non curru, non equo vsus est, dum ambularet per terram, sed in nomine Domini pedester incesit. Semel legitur asinum ascendisse, & per modicum spatium asinasse; magis ad exemplum humilitatis, quàm ad vsum commoditatis. Non ad captandum honorem, sed ad explendum propheticum sermonem. Exemplum igitur bonum sanctis prædicatoribus & religiosis personis ostendit, ne pompaticè equitent, nec sumptuosas expensas in itinere faciant: ne secularibus scandalum, & conuentibus suis occasionem murmuris generent.

2. Attende hic frater religiose, Iesum fatigatū ex itinere, non transeuntem spatiari pro recreatione. Quòd si recreari opus est, non palam nec longè abeas, ne tua euagatione alios offendas. Declina autem in partem fortis sanctorum, vbi verbum Dei audias,



audias, vel sanctitatis exempla conspicias. Malè tendit recreatum, qui conscientia perdit iucunditatem. Valde vacuus intus est & modicæ deuotionis, qui ad excursandum facilis intenuitur. Esau vir gnarus venandi, dum moratur foris in agro, priuatus est iure paterno. Iacob autem homo simplex, & habitans in tabernaculo, dum matri humiliter obedit, & ab euagatione pedes restrinxit, benedictionem patris mira celeritate accepit. Fallitur astutus in vijs suis, spem habens in arcu & pharetra: adiutus est in opportunitatibus suis vir simplex, Deo intentus, homo sine querela. Solent ad exitum & seculi negotia pigriores existere, qui circa interiora sua diligentius curam gerunt. Desides verò mentes quotidie defluunt, & ad impotentiam sui, vsu curarum aut violentia turbationum, ducuntur. Volens ab hac euagatione sanari & lumen cordis recuperare, strenuus sit ad custodiam, penset dierum suorum finem & districti iudicij horam.

3. Disce, disce & in hoc opere Iesu, virtutem cum discretione pariter esse seruandam. Fatigari namq; labore cõmuni, charitate suadente, vel obedientia dictante, insigne virtutis est meritiq; non parui. Pausare autem tempore competenti, & corpus reficere cibo, aut animam lectione sacra instruere, vtriusque hominis discretiua gubernatio est. Tolerabilis itaque defatigatio pro nomine saluatoris, nec abhorrenda deuotis, cum pro mundo fatigantur penè innumerabiles. Discretus tamen labor sit, ne corrumpat infirmum, aut ad diuina reddat ineptum. Nam quod moderatum est, melius perseverat. Bene licet pro reparatione virium, quandoque modicum ire sessum, & propriæ fragilitatis esse memorè. Ipse enim Iesus, post itineris fatigationem, residebat super fontem expectans cibum, & humiliter postulans aquæ potum.

4. Est etiam in hoc fontis loco, consideranda doctrina Iesu, utilis vitæ mortali. Instruit te, quid agere debeas, cum à labore desistit, & qualis sit recreatio appetenda. Neque enim, si diutius laborare nequeas, decet intendere fabulis, aut somno delectari, aut extra vagari per officinas. Sed quid? Super fontem sedes, solatium spiritus quæras, & dona sapientiæ salutaris cum Samaritana auidè petas. Scripturæ sanctæ fluentis intende, lecta queruolue: vt animum repares, vt torporem excutias, vt otium vires, & compunctionem nouam acquiras. Sileat lingua foris, vt mens pascatur interius. Non pigeat sapius orare, & de pio Iesu meditari. Disce de materialibus rebus ad interna transire, & de creaturis ad creatoris ascendere laudem. Fecit etenim & sic ipse Iesus. Nam ex occasione huius terreni fontis, & interrogatione mulieris aduentantis, verbum cœpit prædicare salutis, & haustum gratiæ propinare cœlestis. Aquam fontis illa quæsiuit, sed doctrinam



nam vitæ de cælesti riuo gaudens reportauit. In tantum recreata est & latata sermone melliflui Iesu, vt oblita vasculi sui, curreret ciuibus gratiæ, cum quis legendo, orando, & meditando ita compungitur: vt immemor commodi præsentis, totus feruescat in amore fontis viui. De quo sanctus Dauid, sitibundo pectore ita psallit: *Sitiuit anima mea, ad Deum fontem viuum.*

Psal. 42.

5. Rursum, venientibus de ciuitate discipulis, cum ad manducandum hortarentur Iesum, ipse obedientiæ panem, qui animam Deo subiectam gratiosissimè pascit, ostendit omni corporali cibo esse præferendum. Nullus quippe potus dulcior gratia cælesti, qui lauat inquinatum, potat aridum, refrigerat tentatum. Nec fapidior vllus gustatur cibus, nec pinguior mensa amantis oculis præponitur, quàm impletio mandati cælestis: sicut ipse obedientissimus Iesus effatur. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Nam inquirere beneplacitum Dei in agendis, super omnia sapit amanti, & bene enutrit obedientem discipulum, ac gaudio refouet spiritali, propter obedientiæ meritum. Sic Elias deserti vasta penetrans, & apud se liberè commorans, ab Angelo admonitus surrexit & comedit: & dum implet verbum Angeli, ambulauit in fortitudine cibi illius, vsque ad montem Dei. Ducit enim vera obedientia per breuem laborem ad perfectionis culmen, & ad montem quietis eternæ. Vbi plena ab omni æstu & labore refectio, ac totius beatitudinis possessio, in præsentia Patris & Filij eius Iesu Christi cum fruitione Spiritus S. Amen.

Ioan. 4.

3. Reg. 19.

## VIGESIMA.

*De scriptura Iesu, & misericordia eius in peccatricem.*

1. **I**esus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Amabilis Iesus, doctor pius, magister verax, iudex iustus, & misericors Saluator scriptor esse refertur; qui non atramento, sed digito scribebat in terra. Bonus scriptor, qui misericordiam pauperi ascripsit, & peccatrici veniam indulxit. Nec cõtra legem fecit, quando legis rigorem temperauit. Egent enim misericordia miseri, & verè poenitentibus meritò debet ignosci. O quàm pulchra scriptura, & quàm artificialis iste digitus Dei, cum peccatricem contritione madidam, verbis lenit clementibus: & malitiosos infidiatores, pronos ad vindictam, duros ad misericordiam, sapienter conuicit: ac confusione dignos, suis vocibus ostendit dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Hoc contra accusatores, & pro liberatione poenitentis ab ore luporum.

Ioan. 8.

Ibidem.

2. Et



*ibidem.*

2. Et nunc bone Iesu, quid dicis mulieri? Expectat rea criminis verbum bonum; dic sentire tuum, submitte se iudicio tuo; da responsum solatiofum. Sicut consueuisti semper esse misericors, ita & nunc. *Nec ego te, inquit, condemnabo.* Quid clementius & copiosius ad indulgentiæ largitatem? Consolare rea conscia, audito tantæ pietatis verbo. Si Deus pro te, quis stabit contra te? Christus Iesus qui iustificat, quis est qui condemnet? Et quid ultra facies? Quid in recompensatione delicti offeres? Pœnitet te sceleris perpetrati, sed adhibenda est cautela maior futuris, antequam recedas. *Vade, ait clementissimus Iesus, & iam noli peccare.* Quid breuius & plenius ad absolutionem & ad perfectæ pœnitentiæ satisfactionem? Qui corda nouit, sciebat quantam contritionem peccatrix habuit. Vfus est ergo Iesus abundantiori clementia, ne absorberetur grauiori tristitia: quæ publicè accusata, passa est magnum pro culpa sua ruborem.

*ibidem.**Lucæ 28.*

3. Audisti clementiam Saluatoris, cum multa consolatione peccatorum: stude & tu culpas tuas agnoscere & dignè desere antequam deprehensus à nequissimis spiritibus, cogaris in iudicio futuro de omnibus rationem reddere. Dic cum publicano; *Deus propitius esto mihi peccatori.* Nec dubites de misericordia redemptoris, dummodo de cætero velis ex totis viribus perpetrata cauere, & perfectè vitam emendare.

*Joan. 7.*

4. Considera & in hoc opere Iesu, quid egerit scribendo. Nec mireris, si scribere nouerat: nec quaras cum Iudæis, vnde sciuerit legere vel scribere, cum ab homine literas non didicerit; Stulta est huiusmodi interrogatio, & mendax fabulosa confictio de schola Iesu. Quoniam sapientia Dei non eguit magisterio humano, qui ad illuminandum omnes filios hominum, magister natus est in mundum. Cui non solum promptum fuit per se legere & scribere, sed etiam homines sine literis, Apostolos scilicet, in omni linguarum scientia peritissimos absque verborum strepitu repente efficere. Et quid mirabile, si characteres à mortalibus inuentos, author vitæ lucidè agnouit; qui secretissima cordium, & abscondita à sæculis mysteria, semper clarissimè intuetur. Delectat tamen audire, quia Iesus legere nouerat, & scripsit; ut ars scribendi ac ardor legendi sacros codices magis placeat. Quam artem multi sanctorum didicerunt, & ore ac manu diligentissimè exequuti sunt, dum in carne viuerent, & sanctam ecclesiam scriptis suis maximè illustrarunt. Fuit ergo Iesus doctor magnificus, prädicator optimus, scripturarum author & amator; exemplaris moribus, ædificatiuus verbis, atque mirificus signis. Placet igitur tibi Iesum imitari legendo, scribendo, & alia sanctæ religionis instituta seruando: ut cæteros ædifices dignè Deo viuendo, qui idoneus



idoneus non es ad prædicandum.

5. Valdè bonum opus est scribere libros, quos amat Iesus, in quibus ipse agnoscitur, legitur, & prædicatur. Nec dubium, quin ab ipso amaberis, & copiosè remuneraberis; si diligenter ad honorem Dei & utilitatem proximorum, libros ecclesiasticos scripseris. Si mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ sitienti porrigit; quantam mercedem recipiet, qui animæ perpetuæ victuræ salutaris sapientiæ aquam scribendo ministrat? Quot enim literas debite formas, tot Deo hostias laudis offers. Meritorium est ergo & deuotum scribendis libris operam dare, & eos in magna reuerentia ac diligenti custodia seruare; quibus diuinum officium quotidie celebratur, & multiplex eruditio inde seminatur.

Matth. 10.

6. Sunt namque libri sacri arma clericorum, ornamenta Ecclesiarum, diuitiæ & thesauri doctorum, tubæ sacerdotum, solatiâ religiosorum, epulæ deuotorum, testamenta sanctorum, luminaria fidelium, seminaria virtutum, organa Spiritus sancti. Scribere ergo libros, opus Deo acceptabile, legere utile, docere commendabile, prædicare salubre. Quis autem legeret vel prædicaret, nisi sanctorum scripta nosset; & nisi scriptor prius scripsisset? Benedicta ergo manus scribentis, & benedicti digiti in tali opere occupati. Exemplo suo te docet Iesus digito scribens in terra, quatenus & tu libenter scribas Dei verba; quæ dum alius legit, alius etiam prædicat, præmium maximum de multiplici fructu laborum manuum tuarum consequeris: præstante Domino nostro Iesu Christo, omnium bonorum remuneratore; apud quem omnes capilli capitis numerati sunt, & singulæ literæ scriptæ non poterunt deperire. Eia feliciter, Amen.

#### VIGESIMA-PRIMA.

*De custodia humilitatis, & consideratione propria fragilitatis.*

1. *C*um feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: *Serui inutiles sumus.* Præsens Domini Iesu sermo multum nos informat ad humilitatis custodiam, & ad exclusionem omnis vanæ gloriæ & tumoris. Præcipuè admonet altitudinis cupidos, vt propriæ fragilitatis & negligentia sint memores, nec de operibus suis, licet humano iudicio bene gestis, se extollant: sed Dei iudicium supra se metuentes, misericordiam ipsius humiliter potius deprecantur, quàm de suis meritis præsumant. Ita namque sanctus & humilis Dauid, pauidus ad Deum clamat: *Non intres in iudicium meum, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.* Ecce, quàm

Luca 17.

Psal. 142.



quam viliter tibi sentiendum est de teipso; quam grauer expa-  
nescendum tibi supernum iudicium, qui longè distas à sanctitate  
David magni regis & prophetæ. Neque tu rex, neque propheta,  
neque sanctus, neque electus secundum cor Dei, sicut & ille, me-  
ruisti aliquando appellari. Impleuit tamen ipse sermonem Do-  
mini, inutilem seruum se confitendo; etiam culicem, canem, ac  
vermem se nominando, nil elatum post mirifica gesta de seipso  
sentiendo.

Lucæ 17.

2. Reduc ad memoriam mala præterita, vitia præsentia, peri-  
cula futura: & nequaquam elatè senties, sed magis timebis & vi-  
lem atque inutilem te pronuntiabis. Non indiget Deus seruitio  
& inutilem seruum cognoueris. *Cum feceritis, inquit, omnia quæ  
præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Si hoc dicere debes  
omnibus mandatis expletis, nec ius habes in aliquo gloriandi,  
quàm viliter & indignè sentiendum est tibi, cum in tam multis  
quotidie deficis & delinquis, & penè nihil ad perfectum ducis?  
Quando potuisti per vnã diem vel horam ita probè & custodi-  
te coram Deo & hominibus conuersari, vt nihil eorum negliges-  
res, quæ te facere oportuit & sicut decuit? Tanta est infirmitas  
humana, vt contagione non careant, etiam quæ humano iudicio  
tamquam iusta laudantur. Depone ergo omnem vanam compla-  
centiam & arrogantiam, atque propriæ inutilitatis attende mul-  
titudinem.

Psal. 118.

Ibidem.

3. Discute cogitationum tuarum prauitatem & instabilitatem  
& inuenies te non solum inutilem ad bona, sed multis malis ob-  
noxium dignumque contumelijs & pœnis. Hoc autem vnicum  
est remedium & solatium contribulati spiritus, vt pro tam in-  
numeris negligentijs & maculis peccatorum, in veritate se quilibet  
humiliet: atque omnibus inferiorè se reputet & ineptum: num-  
mo confessionis & scuto bonæ voluntatis, peccata præterita &  
negligentias quotidianas sollicitè redimendo, ac deuotis oratio-  
nibus frequenter insistendo. Igitur contra irruentia vitia viriliter  
te oppone: quia tanto quisque in virtutibus proficit, quanto  
acrius sua vitia odit ac vincit. Et licet sapius tentaris & cadis, ta-  
men iterum debes niti resurgere, & bonum propositum cum ma-  
iore cautela arripere, & cum Propheta dicere: *Iuravi & statui cu-  
stodire iudicia iustitiæ tuæ.* Quotiescumque ergo ab incepto propo-  
sito deficis, & vires perficiendi non habes, nequaquam desperes,  
nec te deicias: sed in Domino confidendo, cum omni humilita-  
te & instantia magna clama, & ora: *Adiuua me, & saluus ero, &  
meditabor in iustificationibus tuis semper.*



DE CHRISTI PASSIONE. 241  
VIGESIMASECVNDA.

Dominica in passione.

De planctu super passionem Domini.

1. **O** Vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor <sup>Thren. xi</sup>  
similis sicut dolor meus. Agitur nunc memoria dominicæ  
passionis in sancta Ecclesia: & dignum est, ut filij Ecclesiæ suo Do-  
mino cõpatiantur, qui pro ipsis mori dignatus est corporaliter,  
ut ipsi corpore & spiritu simul viuerent æternaliter. Nõ ergo in-  
grati sint, aut alienos se reputent: sed piè meminerint, quia ipsi  
Ecclesia & sponsa Christi sunt, qui filij dicuntur: si tamen filiali  
amore & vnica fidei deuotione Christo adhæserint. O quanta  
charitas summi Patris, quanta dilectio vnigeniti filij Dei, quan-  
ta benignitas Spiritus sancti, superabundauit in omne genus hu-  
manum! Quid dicis ad hæc anima mea? Nunquid ingrata eris,  
aut immemor esse poteris tantæ charitatis? Quomodo poteris  
negligere eum, à quo tam diligenter quæsita es? Quomodo non  
reamares eum, qui te tam ardentem amauit? Ama amantem, &  
tam validè te amantem: ut potius eligeret mortem subire, quàm  
te perire. Hæc fuit charitas, qua nemo maiorem habuit, & ideo  
plenè pro omnibus satisfecit.

2. Sed quid facies, & quid Domino pro morte sua retribues?  
Aliquid agere oportet, quamuis dignam illi retributionem redon-  
nare nõ vales. Omnis enim creatura & omnes sancti Dignè Deo  
regratiari pro morte sua non sufficiunt, quam ille sponte pro te  
suscepit. Recordare igitur sanctæ passionis eius, & pro modulo  
tuo studeas eam imitari: quia hoc est illi magnas gratias agere,  
libenter pro eo velle tribulationes sustinere. Ab exterioribus ita-  
que curis mentem abstrahe, & totum cogitatum tuum in cruci-  
fixi Domini tui imaginem conuerte. Per hunc enim poteris alie-  
nas imagines à mente meliùs excludere; nec non huius sanctæ  
imaginis impressione, quoslibet etiam corporis dolores mitiùs  
sufferre. Et quia iam secundum tempora Ecclesiæ, conuenit de  
passione Domini cogitare, ideo ad eam exercitia tua intentiùs  
debes dirigere. Si præcedentes ieiunij dies negligentius transie-  
runt, saltem nunc in hac quindena, ob Christi passionem noua  
deuotio te reaccendat. Et si quid bene egisse te recolis, adde me-  
liora prioribus. Esto sollicitior & feruētior modò, sic enim requi-  
rit specialis memoria dominicæ passionis, & generalis Ecclesiæ  
assumpta compassio pro morte sui redemptoris.

3. Non sit onerosum nec pigrum, amarum Christi passionem  
perco-



percogitare, quam ille paratus fuit pro te sustinere. Per singulos dies istos, de vinea Domini Sabaoth collige & exporta fasciculis myrrhæ, quem inter vbera tua pro custodia cordis recondas, quia ex eo odor vitæ exhalat, & si bene masticaueris, mirabilem confortationem inter aduersa & opprobria percipies. Siquidem probatum est à multis & gustatum, quòd exercentibus se frequenter in passione Saluatoris, sanctæ plagæ eius & benedicta vulnera, tam dulciter sapuerunt, vt ex vehementi dolore lachrymis fluere: & præ nimio desiderio amoris & compassionis, etiã ad tolerandas contumelias & pœnalitates pro Christi amore validè accenderentur. Quid dicam, quòd quidam extra se educti, & à proprio amore totaliter immutati, cupiebant in intima Iesu pergere, ad sentiendum eius exinanitionem vsque ad mortè crucis; optantes corde tenus humiliari, & vilipendi ab omnibus creaturis: vt solus Christus in eorum cordibus magnificaretur, & ipsi tantummodo despicerentur.

Psal. 22.

4. Ita ignitus est sanguis Christi ex amore fusus, quòd intimè meditantem fortiter ardere facit; & sui ipsius in tantum obliuisci, vt contemptum gaudium deputet; & quæ corpori pœnalia sunt, pro minimo ducat. Sic enim vehemens amator, suo dilecto amatori configurari per passiones incipit: dum se totaliter ac liberè illi tribuit, qui pro se redimendo in nullo sibi pepercit. Hinc maxima oritur dilectio, recipitur gratissima consolatio; excrescit singularis deuotio, moritur carnalis affectus, eleuatur in Deo spiritus; illuminatur intellectus, & gustatur verbum Prophete dicentis: *Et calix meus inebrians, quam præclarus est.* Sed quia hoc valde magnum est & arduum, nec alicui per se attingibile, propterea pete, quære, & pulsa anima mea, quatenus benignissimus Iesus plenus Spiritu sancto & virtute, diues in omnes qui inuocant illum, hunc optimum thesaurum, quem in se reconditum habet, misericorditer tibi aperiat: ac preciosissimum deuotionis vnguentum, ex sacris stigmatibus suis, in te emanare faciat: vt discas & tu sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo: quod superbis absconditur, sed humilibus deuotisque cordibus aperitur; carnalibus & terrena sapientibus velatur, sed puris & simplicibus sæpius degustare conceditur. Hęc est mirabilis Dei dispensatio, vt mites & humiles capiant, quod elati & curiosi capere non valent.

Deut. 32.

5. Vides, quàm multi multa legunt, alta scrutantur, & sublimia quærunt: sed paruum aut penè nullam deuotionem erga Christi passionem habent: quia ad exteriora se fundunt, & in terrenis consolari quærunt: & ideo aridum & insipiens factum est cor eorum interius, & quæ Iesu Christi sunt sentire non possunt. Occupan-



tur multis, & edificantur in paucis. Negligunt vtilia, omittunt necessaria, amant subtilia, despiciunt simplicia, rapiuntur in diuersa, & noua quæque rimantur; & nec sic quidem inueniunt requiem, neque auditis rebus satiantur. Quia quamdiu Iesum per passionem & crucem non quærent, ad veram internam dulcedinem & ad Deitatis eius cognitionem nequaquã peruenient. Solus enim Iesus præstat, per suam sanctissimam humanitatẽ, aditum ad diuinitatem. Quod bene sapuit B. Paulus, cum diceret: *Quia in ipso sunt omnes thesauri sapientia & scientia Dei absconditi;* Col. 2. & ideo prætermisissimã mundanã sapientiã verbis, in Christi se exercebat vita & passione, dicens: *Nihil enim iudicauit me scire inter uos, nisi Iesum, & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2.

6. Animaduerte hæc anima mea: & omisissis curiosis & vanitatibus vnuerfis, ad Iesum crucifixum interiorẽ cordis oculum dirige. Vigila pro nunc sollicitè, & cum Iesu in môte Oliueti orã Patrem: ut sicut ei datus est calix benedictę passionis ad bibendum, ita & tibi donetur ardens affectus, ad amorosè sibi compatiendum. Plus enim inuenies in vulneribus Iesu Christi, quã in possessione totius mundi. Et in ampliorem mentis stuporem adducet te vnica Christi passio, quã omnium rerum conditarum speculatio. Hoc ideo dico, ut erga passionẽ Christi amplius feruescas, intentius inde cogites: immo nullam horam nec diem sine eius recordatione prætermittas. Nam quicquid in alijs dictis vel factis sanctorum legis & audis, hoc multo copiosius & saporosius in vita & passione Christi inuenies. Excellit siquidẽ Christi veneranda passio, omnes sanctorum passionẽs multis modis. Quia omnium sanctorum passionẽs, ex sola Christi passione sanctificate sunt, & ideo acceptabiles atque meritoria per mortẽ ipsius effectũ. Ipse est enim sanctus sanctorum, qui habet potestatem dimittendi hominibus peccata eorum, qui gratificat cuncta bona opera ipsorũ: ac semetipsum dedit in oblationem sanctam Deo in redemptionem omnium peccatorum.

7. Tribus autem specialiter modis superexcellit Christi passio electorum suorum passionẽs, dignitate scilicet, & acerbitate, ac fructu seu vtilitate. In dignitate, eminet persona patientis, quia filius Dei erat. In acerbitate, cõsideratur grauissima læsio corporis, quia nobilissimæ ac tenerrimæ complexionis fuit. In fructu verò, apparet humani generis redemptio, quia per mortem suam, quam sine culpa pergit, ab æterna nos morte liberauit, & celestis beatitudinis introitum & gloriam nobis promeruit. Ideoque per Prophetam, omnes fideles suos ad considerandam magnitudinem doloris sui ita alloquitur, dicens: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* Thren. 1.

Q 2

8. Hen



8. Heu Domine, quàm multi inconsideratè corâ te transeuntis  
ficcis oculis & incompassibili corde imaginè tuam pertranseunt  
Vix à longè crucifixum intuentur, sine reuerètia & genu flexio-  
ne per Ecclesias discurrunt. Festinant magis exire, quàm intra-  
re: plus libet fabulari, quàm orare: suavius trahit mundus ad fo-  
rum, quàm diuinus & cœlestis cantus ad chorum. Vix valèt mo-  
dico tempore in laude tua consistere, cum tu longo horarū spa-  
tio, pro ipsorum salute, in cruce repletus multis doloribus & op-  
probrijs pependisti. Vbi sunt oculi nostri Domine, & aures quò  
dimisimus, vt te non attendamus? Conuerte nos ad te, quia valde  
citò auertimur à te. Citò obliuiscimur magnè charitatis tuæ,  
quam nobis in benedicta passione tua exhibuisti. Tanta passus  
es, tam graua, tam indigna, & sine omni noxa, ab hominibus pro  
hominibus quos ipse creasti, à propria gente & populo, quibus  
tam multa beneficia à diebus antiquis & in præsens præstitisti, &  
adhuc duri remanemus & ingrati. Commota quidem sunt in  
morte tua insensibilia elementa, & non commouentur filiorum  
hominum corda.

9. Heu me miserum & infelicem, super sterilitate & insensibi-  
litate cordis mei: quod tam celeriter moueor ad modicâ iniu-  
riam, & ad tantas contumelias Domini mei Iesu Christi nihil  
permoueor. Paruam corporis læsionem sentio, & grauissimas  
Domini mei pœnas non pondero. Quàm exigua charitas appa-  
ret, quia caput grauiter pungitur, & cor inde non dolet. Si sumus  
inuicem membra, cur non compatior? & quare cor dolore non  
scinditur? Domine mi, quid ad hæc dicam? & quid miser faciam?  
Cur citius moueor quandoque ad hominem mortalem, quàm  
ad te creatorem meum Sponsum immortalem? Cur me amplius  
stimulat vanarum rerum curiositas, quàm tua pro me in cruce  
suspensio? Propter hoc doleo vehementer, quia ista non magis ad  
cor transeunt: nec totaliter me convulnerant, sicut meritò debe-  
rent. Proh pudor, quòd tam facilis sum ad risum, tam sensibilis  
ad proprium damnum, & tam tardus & aridus ad Domini mei  
plangendam amarissimam passionem. Quòd si aliquando com-  
punctionem induo, nimis citò iterum remitto: ideo non profici-  
o, nec ad interiorem saporem perfectè venio. Ah Deus meus,  
quòd tanta de te bona audio, & nihil dignè ago. Tam graua te  
perpeffum lego, & adhuc plus me durum quàm emollitum senti-  
tio. Non est hoc signum perfecti amoris, nec indicium amorosæ  
compassionis. Vsq̄quo insensibilis ero, & cum patiente non  
compatior?

10. O nunc dilectissime & fidelissime Iesu, pallens ac pendēs  
in cruce, spes vnica animæ desolatæ, concede mihi in tam san-



esto tempore, passionis tuae memoriam dignè peragere, atque per amorosam compassionem in aperta vulnera tua transire: vbi mei oblitus & tui solius doloris memor, in nulla tribulatione vltra deficiam, sed me ad tuam voluntatem liberè resignem. Quomodo possum scire aut æstimare, quòd te diligam, nisi ex sufferentia tribulationum pro nomine tuo? Nam ex amore libenter pati, & sine querimonia omnem grauitatem posse portare, charior est retributio, quàm homo potest tibi exhibere. In hoc enim cognoscuntur veri amatores crucis, videlicet, in voluntaria perpessione cuiuslibet grauitatis. Et quauis iam impassibilis sis, & nullis obnoxius passionibus, sed gloria & honore coronatus, & super omnes cælos eleuatus; mihi tamen proficit & multum iuuat, quòd in passionibus meis, tuæ benedictæ recordor passionis: quòd te tanquam in carne adhuc passibilem attendo; videlicet captum & ligatum, vestibus exutum, derisum, consputum, colaphizatum, flagellis caesum, spinis coronatum, cruci affixum, felle & aceto potatum, lancea perforatum, cum latronibus condemnatum, obloquutum, blasphematum, despectum, derelictum, reprobatum ab omnibus, & tandem in cruce mortuum, & lamentabiliter sepultum. Non debeo præterire vel vnum punctum, sed de silua Evangelica, omnia verba & facta tua, fideliter congregabo: & non tantum mirabilia opera tua considerabo, sed multo charius passionibus & vituperia tua percogitans amplexabor, quia hæc mihi necessaria sunt ad salutem.

11. Signa tua inelyte Iesu, ad fidem & sancti nominis tui venerationem, me informant: vituperia verò tua & dura verbera pro me suscepta, ad piam sufferentiam, ad humilitatem & charitatem perfectam, me magis prouocant & accendunt. Cauendum autem ei est valde, qui signa tantum veneratur, & magna in te solummodo considerat: ne ex consideratione ignominiosæ mortis tuæ, scandalum sumat. Admirandus quidem es in operibus diuina virtute patris, & de his super omnia laudandus: sed tamen impropria ac maledicta patienter ferre, non es dedignatus, atque eo amplius adamandus.

12. Animaduerte igitur hæc anima fidelis, & esto Deo grata pro his omnibus. Cõsolari te debet in omni pressura & tribulatione tua, pauper & humilis Iesus; qui à Deo & hominibus fuit in maxima necessitate derelictus. Non es maior Domino tuo serue piger & inutilis, nec innocentior Christo Christiane. Si ille tanta pro te pertulit, quid pro te ipso facies, & quid illi dignè referes? Si sic etiã derelictus est & cõtemptui traditus, qui filius erat charissimus; quid grauaris, si aliquando derelinqueris & despiceris, qui tam indignus es seruus. Aspice exemplar tuum cæleste, me-



inoriale perpetuum. O speciose & percharissime Iesu fili Dei quid magis in te admirabor? Alta vel humilia? Et quid plus notabo? Digna an indigna? Sed vtraque simul melius & verius. Formosum & altum te conspicio in natura diuina, deformem vero & despectum in specie humana. Hoc semper manes, istud ad tempus passus es. Insuper & spiritui meo pulcher es intus & amabilis purus & inuolabilis, quia ab omni delicto alienus, licet ab exteriorum multum deturpatus & plagatus videaris. Propter peccata mea denigratus, & percussus es, & crucifixus.

13. Scandalizantur forsitan oculi corporei insipientium & superborum, non autem amantium atque piorum: magis autem compatiuntur & plorant, qui in veritate te diligunt. Cum talibus viuere desidero, qui te toto corde diligentes, vsque ad ignominiam crucis sequuntur. Non es scandalum mihi, sed maximum honor & gaudium. Nam deformitas tua, mea est pulchritudo plagæ tuæ & singula vulnera sanitas animæ meæ: & mors tua, vita mea. In his viuo, & in talibus vita spiritus mei. Corripies me, si non meminero tui, si non proposuero passionem tuam in principio lætitiæ meæ. Scio enim, quis sis, sanctus Dei, qui hæc pati voluisti: & credo, quia pro peccatis meis libenter ista pertulisti.

14. Plorans igitur plorabo die ac nocte, & lachrymæ meæ in maxillis meis super contritione & amara Domini mei passione. Planxit Dauid planctu magno super Saul & Ionatham filium eius, & ego non plangam mortem Domini mei regis mei? Videns Iacob vestimenta Ioseph filij sui, scidit vestimenta sua cum fletu, & ego cessare potero à fletu, considerata Domini mei morte dolorosa? Videns etiam Ioseph, Benjamin fratrem suum vterinum coram se stantem, statim commota sunt viscera sua, festinauit, & plorauit, nec se poterat à lachrymis continere: & ego audiens Dominum meum atrociter occisum, sine lachrymis ero? Nemo mihi hoc persuadeat, nemo me à dolore & planctu prohibeat, alioquin plus me cruciabit. Fudit Dominus meus pro me preciosum sanguinem suum, & ego non fundam pro eo planctum medicum? Vtinam possem sic plangere, vt etiam sufficerem omnes homines mecum commouere. Non est omnium flere, sed religiosa mentis est, ex interna compassione pro Domino plangere: non ad propriam captandam placentiam, sed ad ipsius promerendam gratiam ampliorem.

15. O præcordialissime dilecte Iesu, splendor æternæ gloriæ, quomodo sic occumbis sol iustitiæ? Cõpatiatur tibi anima mea, & ex magno compassionis affectu scindatur cordis mei duritia, sitque hodie cum memoria passionis tuæ feriosè occupata: In spiritu humilitatis & in animo contrito tibi fideliter assistat, & in

2. Reg. 1.  
Gen. 37.

Gen. 35.



omni loco passionis tecum vadat, atque omnia, quæ pateris, dolenter attendat. Tecum etiam pati & cõmori tibi ardentè concupiscat, pensans quid David de filio suo Absalon dicebat. *Quis 2. Reg. 18.* (inquit) *mihî det, ut ego moriar pro te fili mi Absalon, Absalõ fili mi?* Prævaluit in David pius affectus super interitu filij sui se persequentis: ita ut eius mortem vehementer lugeret, & pro illo morti optaret, qui suam conabatur vitam auferre: quãto magis in me prævalere debet dolor eximie compassionis, super innocente morte tua, pro me in cruce consummata? Plus me mouere debet, quòd pro me crucifixus es & mortuus, quàm si totus mundus mihi datus fuisset, & pro me expensus.

16. Moriatur ergo anima mea morte beata, & fiant nouissima mea Domino meo similia. Da Domine felicem mortis horã, & beatam tecum inuenire requiem. Felicius mihi erit tecum iam mori, quàm vna hora sine te diutius viuere. Quod si negatum fuerit, faciam quod deuotus affectus facere consuevit. Secretum petam, & ob hoc præcipuè, ut liberius plangam. Mortis tuæ Domine recordabor, & omnium vulnerum tuorum cicatrices, intimis cordis oculis, crebrius osculabor. Nemo me hodie alloquatur, nemo mihi de aliquo solatio molestus sit, nec aliquam leuitatem inuariat: quia non accipiam ab aliqua creatura consolationem, ne impediar lugere Domini mei amarissimam passionem. Recedite, recedite domestici & externi, dimittite me solũ & desolatum sedere, ut plangam paululum dilectum meum pro me crucifixum. Præ dolore deficiant lachrymæ in capite meo, & nõ sit, qui abstergat, nec qui me consoletur, nisi ille quem plango. Lachrymate mecum sol & luna, & lugete mecum omnes creaturæ, quoniam occisus est Dominus noster hodie. Et dignũ est, ut omnia sint in mœrore, vbi auctor patitur nature; & omnes induant tristitiam, vbi filius Dei tantam sustinet miseriam. Non libet amplius loqui, sed tantum flere mihi libet, quia Deus meus clamans voce magna expirat. Exite, exite lachrymæ vberimæ, & vsque ad fundum excurrite. Cadit super dilecti Domini mei corpus occisum, & promeremini mihi interiorem cordis visum: ut illum merear aliquando videre gaudiosum, quem nunc plango affectuosus luctibus crucifixum. Sit mihi sepulchrum illius, locus pacis & requietionis: ut gloriosa eius resurrectio, finis doloris omnis fiat atque mœroris. Amen.

## VIGESIMA-TERTIA.

*De cruce Iesu, quam pro nobis ipse portauit.*

**S**usciperunt autẽ Iesũ, & eduxerunt: & baiulãs sibi crucem, exiit in *Ioan. 19.*  
eum, qui dicitur Caluaria, locũ. Liber dolorosum hũc Domini

Q 4

trans-



transitum considerare, & pio mentis oculo, tam flebile hoc spectaculum intueri. Ecce innocens Iesus, graui sarcina crucis oppressus, inter duos latrones educitur, & heu ad publicum suspendium cum clamore trahitur. Amplectitur ipse contemptibile lignum, charitatis suæ brachijs: supponit ei dorsum flagellis caesum, & humerum sanctum, omnes quoque corporis sui debiles artus. Effert onus immeritum, iugum tollit insuetum: ducit illud ad locum sibi deputatum, vt gignat salutis nostræ fructum, contra æternæ mortis venenum.

2. Grande ludibrium impijs, sed sacrum mysterium fidelibus cunctis. Malis est testimonium perditionis, quia innocentem crucifigunt: bonis saluationis est signum, quia compatiuntur ei, & plangunt. Illorum risus vertetur in fletum, horum gemitus erit in gaudium. Incedit igitur mansuetus Dominus, per viam confusionis valde mansuetè. Vadit yltroneus extra portam Hierusalem, super quam fleuit in die palmarum. Fert patienter suæ suspensionis derisum, à propria gente sibi illatum. Non reclamatur de iniurijs sibi factis, nec recalcitratur violenter retro stimulatus. Non conuocat Angelos in auxilium, nec amicorum requirit succursum: sed pergit indilatè, & obedit maleuolis promptè. Solus gestat onus grauissimum, solus confusionis patitur opprobriū: sed non vult solus honoris gaudium, quia cunctis in se credentibus desiderat donare passionis suæ meritum. Non retrahitur ab itinere crucis affectu matris, nec charorum impeditur fletibus. Non inquietatur occurrentium tumultibus, nec malignantium mouetur stridoribus. Non fatigatione corporis ab incepto opere retardatur, nec scandalorum obruitur procellis. Vnus idemque constantissimè perdurat, liber & quieto corde ad supplicij tendit agonem: sicut mundi gloriam paruipendens, ita & ignominiam æqualiter ferens. Semper in æterni Patris laude persistens, nullū à sua charitate excludens: sed ardenti desiderio cupiens præceptum Patris, ab æterno dispositum adimplere: & opus humanæ restaurationis sibi iniunctum, per passionem & crucem consummare.

5. Iam in hoc præclaro exemplo demonstrat, quod prius salubriter docuit verbo. Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ecce habes præcessorem asperioris viæ, Iesum filium Dei, ducem ac præceptorem Gentibus, vt liberet eas. Sequere ergo serue fidelis Dominū: sequere discipule magistrum: imitare caput egregium fragile membrum, vt eo duce peruenias ad æternæ felicitatis regnum. Si prospera appetis & iucunda, ne formides aduersa. Sequere peccator iustum, homo Deum, creatura creatorem, exul redemptorem.



rem. Abijce timorem terrenum, indue fortitudinem; certa ut bonus miles vincendo naturam. Per crucem itur ad salutem, per poenam peruenitur ad coronam. Noli erubescere Christi ignominiam, si vis Christi contemplari faciem gloriosam. Pro te portat hanc crucem, pro te subit & crucis mortem. Dat tibi exemplum sustinendi, complanat pedibus suis asperitatis semitam: ostendit crucis ignominiam non fugiendam, sed amplexandam. Baulat humilis Iesus crucem suam pro impijs, ut sanctificet impios: patitur pro vilibus seruis dolores, ut regni sui faciat cohæredes. Quis non concupiscat iam sustinere conuitia & contemptus hominum, cum innocens Christus pertulerit ab hominibus tam graua & indigna sine culpa. Leuius namque fert miles, quod regem facere cernit. Ascendit itaque rex nobilis, rex regum, omnium Dominus, contra principem mundi bellaturus, non clypeo protectus, nec ferro munitus, sed cruce armatus & vallatus, cruce affigendus, in cruce denique pro amicis suis moriturus. Veniens igitur ad locum Caluarie cum crucis vexillo, elegit ibi nominis sui erigere titulum, & nostræ salutis operari mysterium: prænoscens locum confusioni deditum, mirificis signis illustrandum, atque crucis suæ patibulum, in honorem conuertendum: in breui quoque tempore per mundum prædicandum, & à regibus & principibus terræ adorandum.

4. Est quippe crucis venerabile signum in Christiana militia, decus insigne, & super omnia armorum genera munimen singulare, atque contra diaboli sæuitiam & terrorem inexpugnabile scutum. Ibi ergo Iesus vexillifer crucis, omnium cruciferorum princeps & patronus, stetit in medio horreni foetoris; qui propter cadauera interfectorum, valde despectus fuit & immundus. Ibi mox suis expoliatur vestibus, & nudam crucem nudus ascendit, & pro crucifigentibus se exorauit. Ibi omnipotens, tanquam nullus potentie esset, in modum crucis se permisit extendi, clavis affigi, lancea perforari, & à malignis derideri. Ibi omni humano solacio priuatus, perfecte abnegationis formam & extremæ paupertatis exemplum reliquit. Ibi sacræ carnis suæ tactu lignum vitæ sacravit: & preciosi sanguinis sui effusione, aram crucis dedicauit. Ibi omnia veteris Testamenti sacrificia, passionis suæ figuratiua consummauit, & semetipsum hostiam Patri, pro salute mundi, in odorem suauitatis obtulit. Ibi vitam suam felici agone, per obedientiam in cruce terminauit; mortem moriendo deuicit, paradisi portam aperuit: & latronem serò penitentem, secum ad gaudia promissa perduxit.

5. Quia ergo Iesus crucem suam proprijs humeris portauit, qui absque peccato fuit; porta & tu crucem tuam, quia grauiter

&



& sapè peccasti, & æternam pœnâ iustè meruisti. Videtur infir-  
 mis mentibus, via crucis amara esse & grauis: sed finis eius lætus  
 est & fructuosus, atque amantibus dulcis & salutaris. Nõne me-  
 lius est modò, lugubrem & laboriosam ducere vitam pro Chri-  
 sto & compati crucifixo; quàm post modicum corruptibilis vi-  
 tæ gaudium, cum diabolo æternaliter cruciari in inferno? Tanto  
 enim eris Deo acceptior, & ampliori gloria dignus in regno cæ-  
 lesti; quanto pro nomine Iesu, grauiore nũc pertuleris dolores  
 & labores: non respiciendo ad temporales cõsolationes, sed ad  
 Christi passionem ac duras sanctorum vias, qui transferunt per-  
 tribulationes multas. Trãsit velut vmbra citò omnis temporalis  
 pœna & iniuria illata, sed permanet in cælo perennis mercedis  
 gloria; quæ pro bona patientia in fine tibi reddetur, Christo an-  
 nuẽte. Stude ergo viam sanctæ crucis tenere, & dolorosam ima-  
 ginem crucifixi Iesu in corde portare, atque in fragili corpore  
 pro posse viriliter imitari. Libenter temetipsum resigna, atque  
 diuinæ voluntati omnia tua fidenter committe, qui tanta pro tua  
 salute fecit & pertulit, quòd nunquam poteris ei, pro minimo  
 puncto passionis suæ dignas gratias reddere, etiam si omnium  
 sanctorum martyrum passiones & labores posses sustinere. Sed  
 heu, quòd tam tepidè dominicam crucem sequeris: quòd non inten-  
 tentiùs doloribus Christi compateris: quòd non feruẽtiùs illi  
 seruis, & indefinenter gratias agis; qui tam charum te æstimauit,  
 & præ cæteris creaturis dilexit, vt mori pro te non renueret, sed  
 sua innocenti morte ab æterna morte liberaret. Fuisses enim æ-  
 ternaliter condemnatus, nisi Christus pro te crucifixus fuisset &  
 mortuus. Quis enim potuit pro omnibus peccatis hominum sa-  
 tisfacere, nisi Iesus Christus, filius Dei, agnus immaculatus?

## VIGESIMA-QUARTA.

*De merito Dominicæ passionis, & dignitate sanctæ Crucis.*

*Galat. 6.*

**I.** Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in  
 quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Hæc verba in sancta  
 Ecclesia de sancta cruce leguntur & cantantur, in quibus meritũ  
 dominicæ passionis commendatur; quæ omnibus sacrificijs le-  
 galibus, & omnibus laboribus ac virtutibus sanctorum, dignissi-  
 mè præfertur. Nã in passione & cruce Christi, vera salus nostra  
 & redemptio humani generis plenissimè cõstat; per quam Chri-  
 stus nos redemit, & pro peccatis nostris Deo Patri satisfecit, &  
 paradysum nobis deuicta morte reserauit. Hoc pater in latrone  
 pendente in cruce, cui dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso*. O  
 mira

*Luca 23.*



mira Dei clementia! O suauissima responsio! O salutaris crucis benedictio, quæ latronem ab omni reatu absoluit, & inter Christianos, ipsum priorem in paradysum introduxit!

2. Dicat ergo grates Christo omnes fideles, signo sanctæ crucis signati, Christi sanguine loti & mandati, Christi passione redempti, Christi morte viuificati, Christi vulneribus lanati, Christi doloribus mitigati, Christi opprobrijs honorificati. Dicant omnes, dicant singuli deuoto corde & ore confono, ad honorẽ crucifixi, ad confusionem diaboli, ad exaltationem sanctæ crucis, ad consequendam spem æternæ salutis, ad habendam firmã fiduciam in hora mortis: dicant, legant, cantent, resonent, cogitent & ruminent verba suauissima, & verè sanctissima, atque luper omnia aromata Deo gratissima. *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Galat. 6.

3. Felix anima, cui ad cor transit acerbissima passio Christi; & in illa quotidie se exercet, meditãdo, legẽdo, orando. Beata, quæ crucem suam tollit, omnibus terrenis renuntians; & quicquid aduersitatis sibi intus, vel foris occurrit, hoc totum patienter pro Christo sustinet & tacet. Nam hoc est gloriari in cruce, propter Christũ in tribulatione gaudere, à delictis carnis abstinere, honores fugere, propriam voluntatem relinquere, & vsque ad mortem humiliter obedire. Hæc agere, est Christum per crucẽ imitari, & veraciter eum amare. In hoc enim Christus cognoscit, quis ad eum pertinet, & quis eum amplius diligit: si non sola cogitatione, sed quotidiana mortificatione, passioni eius se nititur conformare.

4. Et ad hæc quis idoneus? Putas inuenietur aliquis crucem tollere paratus? Magnum & profundũ mysterium verbum crucis, quod non capiunt omnes; imò quàm plurimi abhorrent & fugiunt crucem, ipsa tamẽ ducit in vitam æternam. O verè beata crux, quantam habes intus dulcedinem: & quàm magnam efficaciam præstas contra omnium vitiorum languorem & cordis dolorem! O lignum vitæ preciosum, decorum, saluiferum, & super omnia ligna para disi benedictum: honorandum ab Angelis, adorandum ab hominibus, osculandum labijs deuotis, amplexandumque brachijs extensis! Propter te facti sumus liberi & Deo reconciliati, qui eramus natura filij iræ & serui damnati. Propter te venit gaudium in mundum, tristitia & luctus in infernum. Tu salus credentium, gloria Apostolorum, clypeus martyrum, laus confessorum, diadema virginum, solamen viduarum, fortitudo senum, disciplina iuuenum, speculum religiosorum, refugium tribulatorum.

5. O crux splendidior astris, pulchrior luna, cãdidior sole; cælum



lum illustrans, tartarum penetrans, dæmones fugans; homines protegens, malos terrens, bonos lætificans, superbos deprimens, humiles exaltans! O crux gloriosa, signū mirabile, vexillū insuperabile, scutum impenetrabile! O dulce lignum, omni honore dignum! Tu regem cælorum portasti, & inter brachia tua Dei filium morientem sustentasti. Propter te omnia signa crucis, de quacunque materia facta, & in quocunque loco posita, in honore sunt & reuerentia. Tibi inclinant reges & principes, dominus & domicella, seruus & ancilla; diues & egenus, monachus & clericus, magister & discipulus; omnis ætas, omnis sexus fidelium te adorat, laudat, & benedicit propter Christum, qui in te pependit, & omnes redemit.

6. O crux benedicta! Per te namque omnia sacramēta Ecclesię benedicuntur, sacerdotes consecrantur; infirmi inunguntur, defuncti muniuntur; imagines sculpuntur, parietes pinguntur, altaria decorantur.

7. O crux speciosissima in corpore Christi dedicata, & ex membris eius tanquam margaritis ornata, rosę sanguine rubricata, clavis transfixa, profundo terrę infixā! Tu per quatuor mundi climata expandis tua cornua, omnia ad te trahens & amplectens, quę in cælo sunt & in terra.

8. O crux nobilissima, super omnia armorū genera fortissima, mundum vincens & dæmonia, ad nulla pauens mortis supplicia! Tu in omni angustia & necessitate, tam in vita quam in morte, iuuamen es tutissimum & solatium singulare.

9. O crux amantissima, à Christo præelecta, atque in humeris eius ad locum Caluarie baiulata, nec ante mortem ab ipso separata: iuxta quā stabat mater Iesu Maria dolore plena cū dilecto discipulo Ioāne & pia Magdalena! Obsecro te, assiste mihi, & protege me semper hęc & vbique, die ac nocte: ne præualeat contra me inimicus malignus insidiator animarū, sed sacrosancto potentie tuę signaculo me defende & corrobora: quatenus in fide recta, spe firma, atque charitate perfecta perseverem, propter eum qui mortuus est in te propter me.

10. O crux virtuosissima, & omni honore dignissima! Ecce ante te tremunt impia tartara: sub tua quoque potestate curuatur imperia: tibi flectunt genua cęlestia & terrena. Nam in tua virtute sunt in multis locis signa & miracula, cedunt fulgura & tonitrua. In bellis quoque & locis obscuris, in periculis maris & aëris optima es custodia, & firmissima tutela.

11. O crux sanctissima, summè veneranda, dignè recolenda, intimè amanda, cordi inscribenda, fronti ac pectori imprimenda! Rogo piè, peto sedulo, adesto mihi in omni tribulatione mea.

Salua,



Salua, libera, benedic, sanctifica omnia membra mea; rege sensus meos, omnia verba mea & opera, quamdiu sum in hac vita. Ut per te me recipiat, qui per te me redemit, Iesus Christus Dominus meus pro me crucifixus.

12. O crux arbor salutifera, super omnes arbores eleuata! Tu cedro altior, cypresso redolentior; palma pulchrior, balsamo preciosior, oliua pinguior, vitæ facundior; ficu dulcior, buxo viridior, rosa rubicundior; omnibus aromatibus & speciebus salubrior; omnibus medicamentis & emplastris efficacior. Tu animas sanas & corpora. Tu dolores mitigas, & lachrymas consolaris. Tu spem miseris donas, & iustis præmia spondes. Tu pœnitentibus veniam præbes, & omnibus ad te confugientibus gratiam & misericordiam impendis. Tu largam benedictionem deuotis infundis, errantibus lumen aperis, corda compungis; & cunctis per orbem fidelibus consolationis oleum ferre non cessas: & vsque in finem seculi, fructum æternæ vitæ germinare non cessabis: per virtutem Domini nostri Iesu Christi, pro salute mundi crucifixi.

13. O crux dulcissima, fronde latissima, flore vernantissima, fructu fertilissima! Tu primatū tenes & dignitatē, super omnes imagines sacram passionem Christi repræsentantes, vbicumque fuerit nomen Christi auditum vel prædicatum. Ideoque propter reuerentiam diuinæ potentie in te latētis, dignè ab omnibus adoraris, coleris, & honoraris. Tu in Ecclesijs & capellis, in claustris & castellis, in vrbibus & villis, in portis & ianuis, in parietibus & fenestris, in turribus & tectis, in pauimentis & sepulchris, in altaribus & laquearijs, in casulis & stolis, in cappis & mantellis, in frenis & vexillis, in libris & chartulis, in tabulis & scabellis, in cameris & cellis, in varijs ædificijs & picturis, signaculum virtutis tuæ imprimis & inscribis. Tu etiā auro & argento, gemmis & lapidibus preciosis, decenter adornaris. Tu purpura & bysso, syndone & serico, floribus & rosis, reuerenter circumponeris & inuestiris, propter insignem redemptoris nostri imaginem in te triumphantis & pendentis. Hæc omnia deuota obsequia tibi à fidelibus dignè exhibentur, pro eo quòd magnam confusionem & derisionem in passione Christi à perfidis Iudejs sustinuisti. Iustum igitur est, o bona & sancta crux, ut sis sociâ honoris & exaltationis, quæ fuisti particeps confusionis & mœroris. Nemo tamen mortalium sufficientem laudem & honorem poterit dignitati tuæ exhibere, etiamsi omnium Angelorum virtutibus emerneret, aut sanctorum miraculis coruscaret. Omnis laus & honor inferior est; & longè minor in verbis, quàm dignitas tua requirit. Quia ex beneficijs Christi nobis copiosè collatis, & ex tua per-

seueran-



feuerantia adhaesione in mortis articulo cum Christo, ampliora tibi laudem praecordia iure debentur.

14. In hoc maximè fidelitas amicitiae cognoscitur, cum quis amico suo in vltima necessitate astat, & condolet, & obsequitur, & vsque ad vitae exitum, indiuiduus comes perseverat. Ita certè egisti, o fidelissima crux, cum Salvatore Domino nostro Iesu Christo, qui te primùm in humeris suis patienter portauit, & tu versa vice, creatorem tuum dignanter inter brachia tua accepisti. Sed nec ipsum amatorem tuum finaliter reliquisti, à quo tam clementer amplexata es, & longè deportata. Vnde & veris Christicolis & cruciferis speculum tolerantiae in castigatione carnis es effecta: sed & omnium laborum victricem & aeternorum praemiorum donatricem, te laudant crucis amatores: sicut in B. Petro Apostolo & S. Andrea clarè satis apparet, qui ambo per crucem ad Christum peruenierunt.

15. O nimis felix, & super omnia deuota solatia, crux amanda, semper in mente habenda, semper oculis aspicienda! Tu reclinatorium sancti sanctorum, qui cum non haberet, vbi caput suum dolens & infirmum reclinaret, tu puluinar eius extitisti. Tu lectulus vlcerosi dorsi Saluatoris nostri, nõ mollis nec floridus, sed rigidus, asper & nimis angustus. Tu neminem tecum morari, nec quiescere, nec appodiare inter brachia tua permisisti: nec sanctum deificum corpus Iesu de virgine natum, à quo in diuersis locis precioso sanguine eius meruisti tangi, aspergi, & consecrari. Tu scabellum sanctorum pedum filij Dei, in agone constituti. Tu altare summi sacerdotis, in quo Christus semetipsum obtulit pro peccatis nostris, hostiam Deo in odorem suauitatis. Tu arca federis Domini, continens conditorem vtriusque Testamenti. Tu vna aurea, habens manna absconditum, verum corpus Christi pro nobis immolatum. Tu altissimi regis gazophylacium, caelestibus thesauris plenum: in quo continentur sacratissimae reliquiae totius orbis terrae, corpus scilicet dominicum, clauis crucentis, spinea corona, & omnia vulnera preciosa.

16. O crux verè sancta, quàm magnificè meruisti à Deo decorari, ditari & honorari! Nam tantis bonis ac reliquijs sanctis adornaris, vt nulla arca, nulla apotheca, nulla aula regia, nulla domus eburnea, nulla colùna marmorea, tuae dignitati sit comparanda. Meritò ergo & iuste, tota deuotione omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo in seculum seculi, ad honorem crucifixi. Legat itaque, & ruminet frequenter omnis anima fidelis verba de sancta cruce scripta: & dicat cum B. Paulo Apostolo, & tota sancta Ecclesia: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi: in quo est salus, vita, & resurrectio nostra.* Amen.

Galat. 6.

VIGÈ-



## VIGESIMA-QUINTA.

De multiplici fructu, ex recordatione dominicæ passionis, & de  
gratitudine eius.

**R**ecogitate Dominum Iesum Christum, qualem sustinuit à peccatoribus, adversus semetipsum, contradictionem: ut non fatigemini animis vestris deficientes. *Heb. 12.* Multa bona confert homini passio Christi, ad memoriam reducta: & quanto sapius & intentius de ea cogitatur, tanto dulcius sapit, & vehementius compungit. Est enim incentiuum diuini amoris, est doctrina paciētiae, est solatiū in tribulatione. Est fuga dissolutionis, est materia sacræ compunctionis, est exercitium internæ deuotionis. Est exclusio desperationis, est certa spes remissionis peccatorum, est vtilis recuperatio temporum malorum præteritorum. Est optima fiducia in mortis articulo, ne homo desperet de semetipso. Est reconciliatio diuinæ distictionis in iudicio futuro. Est mitigatio anxietatis, est sustentatio duræ increpationis. Est expulsio peruersæ cogitatis, est repressio carnalis tentationis. Est informatio humilis subiectionis, est consolatio corporalis ægritudinis. Est refutatio secularis honoris, est vituperatio abundantiae temporalis. Est consultatio voluntariæ paupertatis, est abdicatio propriae voluntatis: est refrenatio superfluae necessitatis. Est excitatio tepidæ conuersationis, est inflammatio feruidæ emendationis. Est impetratio gratiæ amplioris, est inductio cælestis consolationis, est comprobatio fraternæ compassionis. Est præparatio diuinæ contemplationis, est augmentatio futuræ beatitudinis. Est alleuiatio pœnæ præsentis, est purgatio ignis sequentis, est magna satisfactio pro peccatis quotidianis. His & alijs quàm plurimis bonis redundat & floret passio Christi deuotè pensata, frequenter lecta, intimè masticata. Hoc melius nouit & sapit anima Deo dedita, mundo aliena, solitudinis amica, oris sui custos, corde humilis, & quieta à curis. Ista sancta recordatio summè Deo placet, Angelos lætificat, homines edificat, cōscientiam purificat, tædium repellit, dolores lenit, amaritudines dulcorat, iram reprimit, cōcupiscentiam frenat. Reuera passio Christi, est thesaurus Dei absconditus, plenitudo omnis virtutis, perfectio religiositatis, summa totius sanctitatis.

2. Sed heu quanta est ingratitude hominis, quanta desidia cordis humani, quanta negligentia in recordatione beneficiorum Dei: quæ tāta sunt, tā magna & preciosa, vt nec æstimari queant, nec ab aliquo plenè explicari. Redi ergo ad cor tuū, o serue Christi: & omisissis vanis, & caducis rebus, recolle beneficia Dei, & præcipuè

cipuè



cupè de passione Christi frequenter & seriosè meditare: quatenus ex hoc, ad amorem ipsius feruentius accendaris. Tunc enim Deo acceptus, & in corde tuo valde latus & quietus; si memor fueris beneficiorum Dei, & gratias ei deuotè referas, à quo omnibus bonum accepisti. Tunc tempus tuum fructuosè expendis, cum de malis tuis doles, & de donis Dei gratias agis. De hoc autem multum doleas, quia nunquam dignas Deo gratias, pro tam immensis beneficijs suis exhibuisti. Sed nec adhuc satis regratiari ei potes, etiamsi ad aliud nihil vacares. Debes tamen cor tuum ad Deum niterrigere, & quantum prauales, Dei beneficia cum magna attentione pensare.

3. O quantum te dilexit, qui tanta mirabilia in pulchritudine creaturarum ostendit: ut haberes promptam materiam ex sensibilibus mundi rebus, semper regratiandi Deo, qui te & ista bona creauit. Quapropter stude cum summa reuerentia ei seruire in lætitia cordis, sicut Angeli sancti in cælis; prout possibile est in fragili corpore, & statu vitæ præsentis; qui comparatione futuræ beatitudinis, carcer animæ potius est appellandus. Propter hoc enim Deus dignatus est homo fieri, pati, crucifigi & mori; ut per passionem, crucem, & mortem suam, tibi monstraret, quantum te diligeret; pro quo tantum laborauit & sustinuit. Non sis ergo ingratus, nec obliuiscaris omnium eorum, quæ fecit Dominus Iesus in terris: sed diligenter retracta magna opera Dei, toto generi humano largituè data. Qui adhuc multo maiora bona promisit, & certissimè reddet tibi in cælis, si tamen gratus fueris de præsentibus bonis, & vsque ad mortem permanseris in modico fidelis.

4. Magnum vitium est ingratitudo, & apud Deum & homines vituperabile nimis. Indignus est enim beneficio diuino, qui gratias non agit Deo corde deuoto. Nec ampliora meretur accipere, qui se extollit in aliquo, aut negligenter operatur, vno tantum sibi talento concesso. Magnum utique est, quòd Deus dignatur homini aliquid dare. Nec paruum debet reputari, quòd tam magnus Dominus & excelsus super omnes, dat homini pauperi & peccatori, qui nil dignum habet ad retribuendum. Multum ergo Deus ametur, semper laus eius in ore versetur, & paruum pro magno capiatur. Totum illi retribuatur, totum ei ascribatur; qui totum utique dedit, & indigno benefecit. Nec aliud Deus requirit, nisi ut purè ametur, & pro omnibus dignè laudetur: quatenus eum super omnia amando, laudando, honorando, & gratias agendo, homo in Christo perpetuè beatificetur. Amen.



*De utili exercitio, in Christi passione.*

1. **E**go dilecto meo & ad me conuersio eius. Inter dilectos mutua placet fermocinatio, & secretum diligitur consilium: quale & sapè agitur, inter animam deuotam & Iesum crucifixum. Hæc ergo dicit: Ego dilecto meo sum id quod sum; & præter ipsum non curo alium. Ipsi soli cupio intendere, ipsi me totaliter commendo; quia ipsi cura est de me, & ad me sine dubio conuersio eius. Nolo ergo, vt oculi mei alicubi diuertantur; sed vt totum cor meum in dilectum meum conuertatur, qui pro me passus est, & crucifixus: imò totus ex amore vulneratus, & vulneribus sauciatus. Olim quæsiu paruulum vagientem in præsepio, sed nunc cupio aspicere pendentem in patibulo. Sicut enim tunc me conuerti ad adorandum paruulum natum, ita & nunc me conuerto ad ipsum, vt plangam pro me neci datum.

Vox ani-  
maz.  
Cant. 7.

2. In omnibus his mihi dilectus est, qui totus mihi datus est: pro me verè natus, pro me verè passus & immolatus. Fudit quandoque compassionis lachrymas, nunc autem preciosum dat sanguinem. Ecce quomodo amabat me, qui se tradidit in mortem; vt me liberaret à morte. Nonne meritò ceteris neglectis ad hunc dilectum quærendum, habendum, & amplexandum, me conuertere debeo, cuius inenarrabilis me indefinenter respicit dilectio? Fit autem specialis ad me conuersio eius, quâdo internis amoris stimulis, ad recolendam passionis suæ memoriam me excitat, & sibi regratiari ac intimè conformari postulat, quia in nulla re tantum pro me laborauit. Ibi redemptionis mysterium mihi aperit; & ad sapiendum quæ Dei sunt, plenius instruit. Nam supra hominem est hæc sapientia, quæ de sursum venit, docens & suadens non aliunde gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi; in quo tota salus & redemptio mea consistit. Per quem etiam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo; vt fiducialiter dicere ad eum libeat. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Multa mihi dulcedo in hoc verbo clausa videtur: etsi non capio omnia, non tamen despero vel minima accipere. Tantum dilectus ad me conuertatur, & dicat quodcumque placuerit, scio, quòd non frustra loquetur.

Galat. 6.

Cant. 7.

3. Dic mihi dilecte Iesu, verbum mysterij tui, verbū passionis & crucis, quod in carne manifestè gessisti. Non enim omnes capiunt verbum crucis: quod alijs quidem scandalum videtur, alijs autem stultitia est; mihi verò Dei virtus & sapientia, salus quoque mundi & vita æterna. Si quis aliter sapit, infidelis est &

Vox ani-  
maz.

R

desi-



desipit, & iudicium Dei aduersum se portabit.

Vox Christi.

4. Passio mea, ait dilectus, est tanquam nobilis quædam herba aromatica, optimi odoris, dulcissimi saporis: quæ diligenter in corde præcogitata, tanquam in mortariolo bene trita, fortissimè spargit odorem, omnium vitiorum morbum sanans & languorem. In hac siquidem inuenies medicamentum animæ tuæ, & plenum solatium cuiuscunque pressuræ. Sed oportet, vt frequenter in ea te exerceas, & ex toto corde te illi studeas conformare. Tunc etenim religiosè viuere incipies, & veraciter in virtutibus proficies, atque securè morieris, si me in vita & in morte per passionem & crucem fueris imitatus. Sed proh dolor, ego sum abiectus in domo mea, & retrorsum proiectus. Nam valde alienus & exclusus videor à multorum cordibus, quibus vita mea non sapit; quos passio mea nō mouet, nec trahit, neque eis ad cor trāsit, vt deberet, sed vanis & superfluis rebus implicantur. Suam quotidianam miseriam & necessitatem studiosè pensant, & qualiter mala temporalia declinent sollicitantur: sed quāta pro ipsis passus sum, rarò vel modicum recogitant. Miseri sunt & miserabiles, pleni curis & querelis, qui modicum pro me pati possunt, multum autem agere pro sua voluntate concupiscunt: quin etiā pro suo explendo desiderio nullum penè laborem sentiunt. Heu tales ex passione mea fructum salutiferum non trahunt: sed propter suam nimiam molliem, quam ad seipso habent, grauem animæ perniciē incurrunt. Si enim perfectè sanari vellēt, & à passionibus liberari, tota humilitate ad vera animæ remedia in passione mea abscondita cōfugerent: & ex merito & virtute passionis meæ fortiores fierent, & omnia cōtraria paciēter ferre discerent. Non sapit passio mea nisi morosè & seriosè eam meditantibus, & feruenter cupientibus eandem imitari. Lignum vitæ est apprehendentibus eam; & qui bene sequitur eam, beatus in factu suo erit. Nam & in præsentī maiorem gratiam, & in futuro amplio-rem obtinebit gloriam.

Vox Christi.

5. Recolle ergo sensus tuos, & maneat apud te ipsum, omnem excludendo tumultum. Dehinc breuem assume ex passione particulam, & diligenter eam percogita, secundum tempus & horam. Hæc siquidem diebus singulis ad memoriam reducta, magis ac magis sapiet, confortabit, & accendet meditatem. Omnis namque spiritualis profectus & perfectio in ea reperitur, sed non nisi ab amantibus & desiderantibus eam æmulari hæc bona gustantur. Carnalibus & secularibus videtur amara & dura, sed pijs & deuotis dulcis est atque solatiofa. Qui enim tendunt ad honorem, vel ad terrenas captandas facultates, quærentes vbique propria commoda, isti passioni meæ non congruunt, nec eius in-

ternam



ternam suauitatem attingere possunt. Qui verò mūdum quærit contemnere, nec non carnem suam cum vitijs & concupiscentijs eius crucifigere; hic maximam repperit consolationē, & singularem in passione mea seriet deuotionem. Tali etenim animæ ego loquor: *Columba mea in foraminibus petra, in cauernis maceria.* Cant. 2. Huic & illud frequenter ingero, quod euidam dilecto dixi discipulo: *Mitte manum tuam huc, & cognosce loca clauorum meorum,* Ioan. 20. & noli esse pusillanimus & trepidus, sed fortis & magnanimus in passionibus meis imitādis. Habebit & vnicum refugium in dextri lateris mei aperto vulnere, quicūque se nititur abnegare, & ab omni creaturarum affectione expoliare. Fiet quoque eo liberior ad inuisendum me in profundo amoris vulnere, quo nulla ei iam cura est de creato solamine. Ego enim traho omnia interiora eius ad meipsum, vt sese non sentiat, qui vulneratū cor meum sentit. Fac ergo te alienum ab omni occupatione terrena, vacuas postpone sollicitudines, elonga te ab amicis & notis, serua te purum & liberum ab omnibus, vt possis intrare ad dilectum per ostium lateralis vulneris. Talem indue affectum, qualem habuerunt meliores sanctæ, quæ me pendentem in cruce conspexerunt, & sicut vnigenitum filium suum amarissimè deplanxerunt. Tunc enim poteris verè cognoscere & sapere, quantum passio mea in corde emantis valeat, si dilectæ matris viscera indueris: si nil ita diligendum sicut me, ex toto corde tuo censueris: quia ex magnitudine amoris trahitur magnitudo compassionis.

6. Bene & optimè placent mihi verba tua, Domine Iesu Christi. Vox animæ  
 ste. Vnde rogo te, vt quamuis in omnibus non valeo te perfectè imitari, concede tamen exiguè tibi compati. Leuabo igitur oculos cordis mei, ad Dominum meum in cruce nudè suspensum. Attentè singulas plagas & puncturas corporis tui cōsiderabo, atq; vnica deuotione vulneratas manus & perforatos pedes cum suis clauis amplexabor & osculabor. Dehinc, & in apertum vulnus lateris tui, tanquam in cameram dilecti mei dormientis introibo. Vbi absconditè viuam, & ab omni nocumento protegat, ac felici quiete in pace diuina repausem. Non timebo maia, quæcunque mihi illata fuerint: nec quæcunque de me dici vel sciri despectinè potuerint: dummodo tu mecum sis, mecumque permanferis. Ego ero fidēs in te, & in latere tuo die ac nocte morabor. Tu fidelior es amicus, quàm totus hic mundus. Tu fortior ad muniendum murus, quàm omnis angelorū exercitus. Et ideo nunquam tui immemor esse debeo: sed quantum possibilitas permittit & infirmitas, tuæ amarissimæ passionis dolens recordabor. De qua tamen satis cogitare, loqui, & scribere, nulla creatura plenè & dignè sufficit, etiam si ad aliud nihil omnes vacarent: quia



quia omnem creaturæ comprehensionem excedit, quod tu Deus, creator omnium homo fieri, & pro hominibus mori dignatus es.

7. Oro igitur suppliciter te Domine, vt me peccatorem misericorditer respicias: & per ineffabilem gratiam tuam interiùs illumines, frequenter visites, lachrymis irriges, compunctione cõteras & emundes. Vt quem preciofo sanguine tuo redemisti, sedula pafsionis tuæ meditatione renoues & accendas. Concede mihi in ea deuotè proficere, & cunctarum pafsionum mearum salutaria remedia exinde semper fufcipere. Vtinam magis & profundius mihi ad cor transeat, quàm hactenus fecit: & sic me afficiat atque informet, quemadmodum multos sanctos & sanctas sapius accendit & compunxit. Quatenus etiam in vita mea, similitudo mortis tuæ resultet, per operationem spiritus & mortificationem carnis: possim què illud memoriale verbum Apostoli dicere: *Quia Christo confixus sum cruci.* Et illud æquè amantissimum verbum contra omnes carnales & vaniloquos mundi sapientes prædicare: *De cetero, nemo mihi molestus sit: Ego enim stigmata Iesu in corpore meo porto.* Portabat B. Apostolus Paulus gloriosa & preciofa stigmata tua in corpore suo; cum præter quotidianam pafsionis tuæ memoriam, toto cordis affectu, exterius affligi & vilipèdi pro nomine tuo gaudebat: Et quicquid corporaliter graue vel spiritualiter molestum sentiebat, hoc totum leue & multum tolerabile ex amorosa consideratione vulnerum tuorum ducebat. Et ideo hortabatur omnes fideles amatores tuos, dicens: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferamus: vt & vita Iesu in corporibus nostris manifestetur.* Stude & tu anima mea hoc ipsum iam facere, his præcipuè diebus, quibus in Ecclesia venerabilis memoria dominicæ pafsionis agitur, ac lugubri mente & deuota attentione illuc oculum speculationis dirige, vbi Iesum noueris in grauioribus pœnis pro te fuisse. Dic affectuosè cum sponfa, memor semper Sponsi tui, ex amore crucifixi: *Ego dilecto meo, & ad me conuerso eius.*

### VIGESIMA SEPTIMA.

*De septem notabilibus punctis cogitandi, de passione Christi.*

Thren. 1.

I. **A**ttendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Super omnia Dei beneficia humano generi impesa, passio Christi altius eminet, & corda plus compungit. Ideo ad tam magnum beneficium memorandum mens euigilare debet: & cum magna cordis cõpafsione, de amaritudine pafsionis Christi sedulò pensare: quia hoc est Deo placitum, & salubre cogitãti. Nam singu-



la vulnera, medicamina sunt animarum: & dura flagellorum verbera, diuini amoris sunt indicia, & peccatorum nostrorum purgamenta. O quantas gratias teneor Christo reddere, pro quolibet verberare ac duro vulnere quæ in corpore suo pertulit, pro me vili peccatore.

2. Pensa igitur primò, quis est, qui hæc patitur: secundò, à quibus patitur: tertio, quanta patitur: quarto, pro quibus patitur: quinto, quàm longo tempore patitur: sexto, in quibus locis patitur: septimò, in quibus membris patitur. Multum enim iuuant ad intimam compassionem, si hæc septem notabilia per ordinem considerentur. Nam si personam patientis attendis, nulla dignior, nulla maior, nulla sanctior, nulla excellentior est. <sup>1. Quis patitur.</sup> Siquidem filius Dei est iste, qui patitur; vnigenitus Dei Patris, primogenitus virginis matris de Spiritu sancto conceptus; sanctitate & gratia plenus, signis & virtutibus clarus, in mundo sine peccato conuersatus. Ipse est verus agnus Dei absque macula, in lege præfiguratus, à Prophetis prænuntiatus, à multis regibus & iustis desideratus; à Patre in mundum, pro salute mundi passurus destinatus; ad crucem & mortem spòte paratus, pro peccatis nostris in ara crucis Deo Patri immolatus. Hic ergo talis ac tantus verus Sacerdos & summus Pontifex, sanctus, innocens, immaculatus, rex regum, Dominus, creator omnium rerum, Angelorum conditor, hominum redemptor; non refugit ab hominibus despici, capi, ligari, flagellari, crucifigi, mori, sepeliri, sicut docet textus sacræ passionis eius apertè.

3. O lamentabile spectaculum omni transenti per viam huius vitæ, ad inspiciendum foris expansum; & ad imitandum intus omnibus fidelibus in exemplum datum: Quæso diligenter perpende singula verba ac verbera in passione descripta, quia pro tua salute omnia sunt gesta. Nam maximam charitatem Christi tibi cõmendant, & patientiam in omni tribulatione seruandam ostendunt. Certissimè constat, quòd in comparatione dolorum & opprobriorum Christi nullius ponderis sunt angustie tuæ, quas patienter. Bonum est ergo tibi hinc oculum frequenter habere, & in dolorosa passione Christi solatium quærere, & tanquam columba in foraminibus petrae habitare, & pro pœnis Iesu gemere. Plus enim consolabitur te solus Iesus in meditatione suæ benedictæ passionis, quàm totus hic mundus in omnibus honoribus & diuitijs suis. In passione Christi inuenies, quod te ædificet, & conscientiam purificet: sed in dilectione mundanorum, breuis est lætitia, & sordida remanet conscientia. Omne enim, quòd de Deo non est, vanitas est, & pro nihilo reputandum. Passio autem Christi viuus sermo est, & efficax lectio ad instruendũ, & igniendũ.



dum, & purificandū. Atque omni gladio acutior, pertingit vsque ad intima cordis. Nam negligentiam increpat, duritiam emollit, ad compassionem cor amatis scindit, atque ad fletum sapissimè mouet. Toties enim anima deuota compungitur, & quodammodo intus vulneratur: quoties passio Christi legitur aut predicatur, vel quando crux aspicitur, aut Iesus Christus & hic crucifixus nominatur. Et hoc est animæ magnum solatiū, si de passione Christi cogitans, dolorem eius sentit in mente; quem Christus passus est, & sensit multipliciter in corpore.

Dignitas  
personę  
patientis.

4. Nunc ergo attende, & quasi præsentem intuere Christum, qui pro te ista patitur. Primò cogita dignitatem personę, & contristare vehementer, quia Deus in carne tam contumeliosè tractatur. Ecce altissimus super omnes, infra omnes deprimatur; nobilissimus dehonestatur, speciosissimus sputis inquinatur, sapientissimus deridetur, potentissimus ligatur, innocentissimus flagellatur, sanctissimus spinis coronatur, mitissimus colaphizatur, ditissimus depauperatur, largissimus spoliatur, castissimus denudatur, dignissimus blasphematur, optimus vituperatur, doctissimus fatuus reputatur, amantissimus oditur, veracissimus abnegatur, dulcissimus felle potatur: benedictus maledicatur, pacificus molestatur, iustus accusatur, innoxius condemnatur, medicus vulneratur, Dei filius crucifigitur, immortalis occiditur Dominus pro seruo suspenditur. O facinus inauditum! O horrendū & execrabile maleficium Iudæorum! Quòd tamen Deus, per suā pijsissimam misericordiam & sufferentiam, conuertit in tam magnum bonum, scilicet in salutem omnium credentium. Nam vnde ad horam lux mundi extinguitur, inde æterna lux in mentibus fidelium reparatur; & vnde ad breue tempus vita moritur, inde æterna mors in electos trucidatur. Denique ex passione Christi, diabolus vincitur & confunditur, infernus despoliatur, latro conuertitur, mundus redimitur, iustorum animæ de limbo liberantur, portæ celi aperiuntur, Angelorum ruinæ restaurantur, salus æterna per Christum facta, toti mundo declaratur.

2 A quibus  
Christus  
patitur.

5. Secundò pensa, à quibus hæc mala Christus patitur. Certè à propria gente, à populo peculiari sibi dilecto, à cognatis suis secundum carnem, ab Israelitis Abrahamæ filijs, quos olim tam multis beneficijs ditauit, tot priuilegijs sublimauit, præceptis ac legibus & caremonijs præ cæteris gentibus instruxit: ab hominibus, quos ipse condidit, quibus optimam terræ partem tradidit, propter quos in mundum venit, & saluare desiderauit. Ab his igitur tam magnificè beneficiatis & exaltatis, Christus iniquè spernitur, inuidiosè accusatur, sine causa affligitur, & tandem morte turpissimè condemnatur. Non fuerunt memores multitudinis miseri-



miseri-  
cordiarum suarum, quæ à seculo sunt, neque mirabilium  
operum suorum, quæ ostendit eis, etiam postquam offenderunt  
in multis. Non attenderunt, quàm humiliter inter eos vixit, quàm  
salubriter eos docuit, quomodo paupertatem amavit, & diuitias  
contempsit: quomodo honores fugit, & humiles ac simplices ele-  
git: quàm multos infirmos sanauit, cecos illuminauit, dæmo-  
nes eiecit, leprosos mundauit, ac alijs multis gloriofis signis cla-  
rens, factis Deum se probauit, & necessitatibus corporis nostri  
fruens, verum hominem se esse monstrauit. Pro istis utique bo-  
nis & eximijs virtutibus, diuina potentia patris, non contume-  
liam meruit, sed gloriam; non pœnam, sed gratitudinem; non o-  
dium, sed amorem; non derisum, sed magis honorem recipere ab  
omnibus debuit. Sed pro dolor, peruersi & increduli, ingrati om-  
nibus beneficijs extiterunt: & pro multis bonis, multa mala  
reddiderunt. Nec non alios quàm plurimos, pro augenda malitia  
sua, ad idem facinus instigarunt, minis & clamoribus mortē in-  
nocentis petierunt. Nam persuasione principum & sacerdotum  
agitatione, populi commoti sunt, omnes Christo aduersantur, se-  
nes cum iunioribus clamitant terribilibus vocibus; *Tolle tolle, 1047. 19.*  
*crucifigatur.* Versa est omnis anterior laus & honor in lamentum;  
omnis plausus & cantus Hebræorum puerorum, in ululatum sæ-  
uientium luporum. Nulla ætas desuit, nullus sexus conticuit, nul-  
lus status prætermisus est; omnes prauicordes Iudæi & Gentiles  
concordant & consentiunt, vt Iesum morti citò tradūt, & inno-  
centem animam in cruce suspendant. Quapropter omnes isti ef-  
ficiuntur æternæ damnationis rei, in morte Christi. Verè maligni  
homicidæ, & crudeles nimis deicide, qui filio Dei in nullo peper-  
cerunt: sed omnia mala quæ potuerunt, in eum perpetrarunt. Nā  
finxerunt falsa, & bene ac inclytè gesta peruerterūt. O mira Dei  
clementia! O inæstimabilis Christi patientia, quæ tãtis iniurijs  
commoueri non potuit, nec pœnis superari! Exemplum enim  
optimum, & fortissimum solatium, omnibus iniuriam patienti-  
bus in hoc articulo dedit: vt saltem pauca verba volantia susti-  
neant, qui dura verbera nequeunt adhuc sustinere.

6. Tertio pensare debes, quanta Christus patitur, & à quàm  
multis multa mala sibi irrogantur. Constat profecto Evangelio  
teste, quia primò pro parua pecunia, à proprio discipulo veditus  
fuit: postea osculo fictæ pacis, hostibus traditus est: à sacerdoti-  
bus grauer oburgatus, à pōtifice blasphemus vocatus, à scribis  
& Phariseis diffamatus, à maioribus ciuitatis accusatus, à mini-  
stris iudici præsetatus, ab Herode spretus & illusus, à Pilato morti  
adiudicatus, ab armigeris captus & ligatus, à militibus flagellatus  
& coronatus, à seruis conuitiatus, consputus, & colaphizatus, ab

3. Quanta  
Christus  
patitur.



*Matth. 26.* ancillis abominatus, ita ut Petro dicerent: *Verè ex illis es. Et tu cum Iesu Galileo eras.* Vix aliquis tam inops & vilis est inuentus, quod de pœnis Iesu non est gauisus. O dolor super dolorem! O pauperem & humilem Iesum, non habentem consolatorem, nec adiutorem à filijs hominum! Noti recesserunt, amici longè steterunt, flere poterant, adiuuare nequibant. Inter hostes nequissimos Iesus est derelictus, à maiore usque ad minorem fuit ad mortem postulatus. Cum confusione & clamore extra ciuitatem ductus, ligno crucis oneratus, vestibus suis spoliatus, inter latrones nude suspensus, clavis affixus, felle & aceto potatus. Grauius fuerunt impia verba, grauiora dura verbera, grauiissima horrida crucis supplicia. In tenerissimo, sanctissimo, purissimo, ac speciosissimo virginico corpore, exercuerunt tam ignominiosa tormenta, ut à planta pedis usque ad verticem, nulla esset sanitas corporis, sed tanquam leprosus apparet omnibus intuentibus. Vide ergo nunc, & considera, si est dolor similis dolori eius, quem patitur pro te Deus tuus. Numera, si potes, omnia verbera, omnia vulnera, omnes plagas, omnia impropria, omnia inquinamenta, à multis sibi inflata: & compatere corde compassiuo, omnia illa æquanimiter patienti. Describe ea in tabula cordis tui, pro memoriali perenni: & in omni tribulatione tua, dirige oculum mentis ad Iesum pendentem in cruce. Hæc enim crucifixus fuit Christus, post tam multas pœnas sibi incussas, ignominiosissima amarissima, & grauiissima. Fuit etiã tristissima sibi, ex parte amicorum à longè stantium & lugentium vberimè; quia coru luctum & gemitum, suum reputabat dolorem. Fuit quoque crudelissima, ex parte aduersariorum ipsum deridentium, conuitiantium, & gratulantium de interitu eius; qui nulla miseratione, de tantis pœnis & malis mouebantur. Ecce iam audisti, quanta & à quantis passus est Christus: cui meritò compati debeat omnis Christianus. Si quis videret patrem suum, aut aliquem charissimum amicum, ante se tot pœnis cruciari, & in publico patibulo ante potam suspendi, nonne statim quasi amens effectus, præ dolore tabesceret & deficeret? Multo magis ergo passio Christi debet intima viscera tua penetrare, & ad saluberrimum luctum pronocare. Stude igitur omnem carnalem amorem à te abijcere, omnem vanam lætitiã excludere: quatenus inter deuotos amatores Christi merearis computari, qui quotidie in passione dominica se exercent: & omnes dolores Christi ita in se trahunt, ut de proprijs læsionibus & iniurijs parum vel nihil ponderent. De quibus ait B. Paulus Apostolus, dominicæ passionis amator: *Hoc sentite in vobis, quod est in Christo Iesu: qui semetipsum exinanuit formam serui accipiens, factus obediens usque ad mortem crucis.*

*Phil. 2.*

7. Quar-



7. Quartò pensabis, pro quibus passus est Christus, & qua de causa tam amaram mortem pertulit Deus. Vtique pro peccatis nostris, quæ à parentibus nostris contraximus: & quæ etiam singulari propria iniquitate perpetravimus, in qualicumque ætate, vel statu, vel ordine, vel officio. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*, ait Apostolus: siue Iudæi, siue Gentiles; siue serui, siue liberi; siue pauperes, siue diuites; siue reges, siue principes; siue clerici, siue laici, siue sacerdotes, siue doctores; siue prelati, siue subditi: omnes inquam filij Adam, omnes filij iræ, per naturam geniti: sed per gratiam Christi liberamur, per baptismum Christi mundamur, per mortem Christi ab æterna morte saluamur. Siue ergo dicatur passio Christi, siue sanguis Christi, siue crux Christi, siue mors Christi, ad idem valet, & hoc totum simul nobis proficit ad salutem: quia in Christum credendo, & Christum amando, Christo incorporamur & viuimus. Caput enim pro membris passum est, caput pro membris doluit, caput pro membris in cruce orauit, & veniam impetrauit. Igitur pro omnibus mortuus est Christus, ut gustata morte temporali, vinceret mortem æternam, & de peccato damnaret peccatum: hoc est, per pœnam passionis suæ, solueret omnia debita peccatorum nostrorum. Hinc quoque B. Petrus, gratiam Christi & meritum passionis eius commendans, ait: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu*. Hinc etiam in Apocalypsi legitur, quòd sanctorum animæ, cum magna gratiarum actione, ante thronum Dei ceciderunt: & coram agno laudes pro sua redemptione cantauerunt, dicentes: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes*. Hinc quoque est, quòd sancta mater Ecclesia, in litanis sanctorum, quando pro diuersis necessitatibus & periculis orat, hanc petitionem specialiter ad Christum dirigit: *Per passionem & crucem, per mortem & sepulturam tuam, libera nos Domine*. Talis enim oratio maximè Deo placet, & ampliorem fiduciam præstat veniam impetrandi, propter meritum passionis Christi. Est autem passio Christi thesaurus Ecclesiæ, qui non potest exhauriri nec consumi, sed est infinitæ virtutis & dignitatis. Per hanc quippe omne debitum soluitur, omne peccatum dimittitur, & pœnitentibus regnum cælorum promittitur ac donatur, quod per multa millia annorum clausum tenebatur. O suauißima reconciliatio, ad placandam faciem diuinam! O dignißima oblatio, ad recuperandam gratiam amissam! O plenissima satisfactio, ad abstergendam omnem maculam peccatorum filiorum Adam, in quo omnes peccauerunt & ceciderunt! Quia ergo Christus nullum à

4. Pro quibus Christus patitur.

Rom. 3.

1. Pet. 3.

Apoc. 5.

pecca-



2. Cor. 5.

peccato liberum reperit, ideo liberandis omnibus venit, pro omnibus ex charitate satisfecit; ex pietate voluit, ex diuinitate potuit, ex humanitate opus redemptionis impleuit. Vnde B. Paulus aiebat: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ecce habes & audisti, pro quibus passus est Christus, & qua de causa hanc mortem pati dignatus est: quia pro omnibus hominibus, cuiuscumque aetatis & sexus, ex Adam origine natis.

Quā longo tempore Christus patitur.

8. Quinto pensabis, quā longo tempore Christus passus est, & quamdiu in pœnis fuit: quia hoc ad longanimitatem patientiæ eius pertinet, & notabilem confortationem pusillis ac tristibus præbet. Attende & diligenter perlege omnes sancti Euangelij libros, & apertè inuenies, quia tota vita Christi, ab initio natiuitatis suæ usque ad exitum vitæ, in magna paupertate, in persecutione & tentatione, in labore & fatigatione, in despectione & obloquutione prauorum, exercitata fuit, ac tandem in crucis mortificatione consummata. Sicque nullum tempus absque tribulatione pertransiit, quamdiu in seculo vixit. Sed considerando certū diem & horam passionis suæ, tunc à vespera sacratissimæ cœnæ, tristitia imminētis doloris ac futuræ mortis incepit: quando cœnantibus adhuc discipulis eis prædixit, quod eadem nocte ab vno eorum tradendus esset in manus peccatorū: & durauit vsque post horam sepulturæ eius, imò vsque ad tertium diem, in quo resurrexit à mortuis: tunc enim apparuit discipulis suis viuus, lætus, & gloriosus. Graue igitur fuit peccatum hominis, quod tanto tempore & tantis doloribus vix expiari potuit: pro quo & Dei filium crucifigi ac mori necessarium fuit. Vnde, quia fragilitas humana est valde magna, & ad malū prona ab adolescentia suā: insuper & ex multis occasionibus & tentationibus, contingit homines peccare diuersis temporibus & horis, tam diurnis quam nocturnis, sæpe etiam scienter, sæpe ignoranter: ita vt vix aliqua dies vel hora prætereat absque delicto & Dei offensa. Idcirco, ne homo propter nimietatem delictorum suorum desperet de venia consequenda, saluator noster Iesus Christus passus est pro omnibus nobis grauissimos dolores longo tempore & in diuersis horis: quia per totam noctem & diem pro peccatis filiorum hominum laborauit sustinendo, sepiusque preciosum sanguinem suum effundens. Tunc etiam veraciter in his temporibus, septem horas Canonicas, ad laudem Dei Patris sui compleuit: non canendo, sed patiēdo, & orando pro nobis. Quapropter omnes religiosi exemplo Christi informati, debent has septem horas quotidie Deo persolvere: quia Christus semetipsum holocaustum Deo in odorē suauitatis in ara crucis obtulit, & tanquā electus aries, in-

De septem horis Canonicis.

ter



ter vepres peccatorum pendēs, pro Isaac, id est, pro omnibus electis immolatus est, de quo B. Petrus Christi fidelibus scribēs, ad gratitudinē eos hortatur, dicens: *Non enim corruptibilibus argento vel auro redempti estis, de vana vestra cōversatione paterna traditionis; sed precioso sanguine, quasi agni immaculati Iesu Christi.* Voluit ergo redemptor noster Dominus Iesus Christus, tam longo tempore, tam multas pœnalitates in suo sanctissimo corpore sustinere, ad delendum chirographum damnationis nostræ; ad excitandum nos ad feruorem strictæ pœnitentiæ; ad dandum exemplum magnæ patientiæ cunctis diebus vitæ nostræ. Et verè patientia est nobis omnibus summè necessaria, quamdiu degimus in hac misera vita tentationibus plena. Quia nemo securus, nec vna quidē die aut hora à laqueis diaboli & ruina peccati, in quocumque loco fuerit, aut ordine, aut officio constitutus, nisi gratia & misericordia Dei fuerit omni hora desuper respectus & munitus. Sed inter hæc mala & pericula confugiendum est præcipuè ad passionem dominicam; & sub arbore crucis, tanquam sub vmbaculo diuinæ protectionis, latitandum & pausandum: atque de patientia Christi intimè & sapè meditandum, quia ipse habet virtutem sapidissimam, dulcorandi & mitigandi omnes amaritudines passionum nostrarum; & alleuiandi grauamina, à quocumque homine vel spiritu fuerit aliquis exacerbatus.

9. Stude igitur exēplo Christi & sanctorum eius, equanimiter vitæ huius aduersitates sufferre, & patientiam pro armis tenere. Noli conqueri de longitudine temporis, nec de acerbitate afflictionis: sed pensa, quia Christus grauiora diutius pro te pertulit, & ideo iustum est, vt eandem viam sequaris. Nam patiēdo pro Christo, multum promereris, & multa bona exinde consequeris. Primò quidem, Deum altius honorificas, si de manu eius quælibet cōtraria beneuolè capis. Angelos lærificas, quide tua toleratīa gaudēt in cælis. Proximū ædificas, si iniurias tacitè feras. Diabolū cōfundis, si læsus & contēptus gratias agis. Coronā tuā duplicas, quia hīc maiorē gratiā & in futuro altiorē gloriā recipies. Siquidē omnis præsens labor paruus est, & breuis hæc vita: sed merces sequens grandis est & requies infinita. Reuera toties martyr Dei efficeris, quoties pro Deo pœnā libenter pateris. Nō ergo æstimes Deum tibi aduersari, si in hoc mundo molestaris & deprimeris. Gaude potius: quia hīc humiliaris & flagellaris, vt postea cum Christo in æternum glorificeris. Sæpe enim plus nocent prospera, quā aduersa: & citius decipiunt blandimēta, quā amara vituperia. Noli ergo deficere in tribulatione tua, pro Christi nomine & amore, sed cōstanter patiēti animo omnia sustine, sicut Christus & omnes sãcti fecerunt, qui dolores sustinēdo ho-

stem



stem vicerunt. Nam aduersa patiendo fit homo melior, auro purior, vitro clarior: à vitijs purgator, virtutibus perfectior. Christo acceptior, sanctis similior, hostibus fortior, amicis amabilior. Fit etiam quisque ad custodiam sui cautior, ad cōpassionem promptior; ad humilitatem profundior, ad discretionem prudentior; ad orandum feruētior, ad cælestia paratior, ab inferno securior. Hæc sunt bona germina sanctæ patientiæ, quæ maximè relucent in Christi amarissima passione: & hæc omnibus nobis proponitur imitanda. Ipsa nāque sacratissima passio, cunctis sanctorum passionibus fuit dolore acerbissima; humilitate profundissima, charitate excellentissima, obedientia perfectissima, paciētia fortissima, puritate innocentissima, vtilitate saluberrima, meritis dignissima, remedijs efficacissima, satisfactione pro omnibus sufficientissima, placatione aptissima, reconciliatione gratissima, oblatione acceptissima, redemptione fructuosissima, mysterijs plenissima, omniū virtutum suauitate redolentissima, omnibus scientijs, artibus, & medicinis præferenda. Tam magna, tam alta, tam longa, tam profunda; tam dulcis, tam deuota: tam cōpunctiua, tam amorosa: tam feruida, tam solatiofa, tam sapida, tam virtuosa est passio redemptoris nostri, vt nullis vocibus humanis valeat plenè commendari: nullis Angelicis linguis dignè queat explicari: sed semper noua est & viuida, semper reficit & confortat, instruit & accendit; sed præcipuè eos, qui contemptis omnibus in vulneribus Iesu Christi solatium suum quærunt.

In quibus locis Christus patitur.

10. Sextò, notabis omnia illa loca, in quibus Christus passus est pro te aliquas contumelias vel pœnas. In monte siquidem Oliueti ter orauit: ibi præ tristitia & pauore sanguinem sudauit, & oratione facta, in voluntatem Patris sui perfectè se resignauit. In horto, à Iudæis quæsitus est inuentus; non fugit ab eis, sed obuians processit. A Iuda proditus est, & ore ficto osculatus. A barbatis ministris captus & ligatus. A praua cohorte, tanquam pessimus latro, in tenebrosa nocte cum facibus & laternis ad ciuitatem violenter est tractus & ductus: & ne euaderet, vel ab aliquo eriperetur, cautissimè custoditur. In domo Annæ primò examinatur, & quæritur ab eo de doctrina sua & discipulis eius. Et cum ad hæc bene respondisset, ab vno ministrorum in maxilla duriter est percussus. In domo Caiphæ pontificis, vbi multi congregati erant contra eum, multis iniurijs & ludibrijs vexatur, facies eius obuelatur, sputis inquinatur, colaphis cæditur, & vt reus mortis proclamatur. Manè autem facto, vinctis manibus, publicè per plateas ad prætorium Pilati dicitur, & tanquam transgressor legis & populi subuersor, grauius accusatur. Deinde ad confessorium



riam Herodis transmittitur, à quo derisus & alba veste indutus, velut fatuus reputatur, & ad Pilatum remittitur. Vbiq̄e illusus, vbiq̄e exprobratus; nullibi tutus, nullibi quietus, omnibus odiosus, omnibus abominabilis factus. Foris audit clamores, intus patitur dolores. Et post saeva verbera, & multa vulnera accepta, quasi vita ista indignus, extra ciuitatem cum contumeliosa cruce educitur; atque inter latrones, in loco Caluarie nudus in cruce suspenditur. Omnibus autem consummatis, quæ de ipso scripta erant, in corde terræ (scilicet in monumento nouo exciso) à iustis viris Ioseph & Nicodemo reuerenter sepelitur; & à sanctis mulieribus, multis lachrymis & suspirijs deploratur. Ecce, quàm multa loca in passione sua Christus visitauit: quàm sæpe in istis preciosum sanguinem suum fudit: quàm multa impropria cum verberibus sustinuit; vt populum suum sanctificaret, & loca contaminata purgaret, in quibus homines sæpe peccant, & Deum offendunt.

11. Quis enumeret (proh dolor) omnia mala, quæ adhuc in multis locis publicè & priuatim fiunt, tam in domibus quàm in plateis, in hortis, in villis, in montibus & vallibus, in campis & siluis, in atrijs & palatijs terrenis? Non est ibi Christus, nõ auditur ibi fletus de passione Saluatoris; sed vanitas vanitatũ, iocus & risus in conuiujs Herodis, cum suis principibus. Væ ijs, qui sic elongauerunt se ab eo, qui redemit eos; faciem ad mundum habentes, & dorsum ad Deum conuertentes. Attamen pius Dominus non cessat clamare post tales, & ad poenitentiam reuocare oues errantes. Nam spem magnam misericordie suæ reliquit hominibus, in tam benigna sufferentia omnium malorum & dolorum suæ amarissimæ passionis: & precipuè in illis locis, vbi erat productus & lacepsus. Vnde pro malitijs hominum extinguendis, & pro immundis locis purgandis, grauissimè punitus est in suo sanctissimo corpore à multis. Et qui olim propter peccata hominum, maledictionem mundo intulit; nunc per effusionem sacri sanguinis sui, benedictionem & remissionem peccatorum omnibus poenitentibus promisit.

12. Destruxit insuper, per verbũ prædicationis suæ, idola gentium & habitacula dæmonum, subuertitque aras, & nomina falsorum deorum, & pro sacrilego ritu paganorum & vitulis Iudeorum, verum ac nouum sacrificium preciosi corporis sui instituit, in multis locis celebrandum. Propter hoc enim fecit consecrari templa & altaria multa in multis locis, ad honorem nominis sui & sanctorum: vt stet firma fides Christianorum, & cultus floreat diuinus cum laudibus hymnorum. Sed & ad ornandum locum habitationis gloriæ suæ, & domum orationis optimis reliquijs



liquijs illustrandam, reposuit ibidem deuota & præclara significationem passionis suæ in memoriale sempiternum: atque in titulum triumphalem deuictæ mortis, erexit crucem sanctam, tanquam arcam foederis & pacis inter Deum & hominem; & tanquam arcum arcum, contra diaboli terrorem.

13. Dignū igitur est, ut iā in diuersis locis ab vniuersis Christi fidelibus, à paruulis & magnis; à pauperibus & diuitibus, à sapientibus & imperitis, à fortibus & infirmis; à prelatiis & subditis per totum orbem terrarum, apertis ianuis, & omnium linguarum vocibus, Christus passus prædicetur, laudetur, & magnificetur, atque super omne nomen in cælo & in terra altius eleuetur, pro omnibus confusionibus & pœnis, in multis locis à multis personis sibi factis. Debes ergo & tu, deuotionis causa stimulatus, in hoc sancto die parasceues, omnia illa loca dominicæ passionis in mente tua depingere, & in spiritu Hierusalem perlostrare, ad imaginem crucifixi oculos frequenter erigere, & cum interna compassione, sacra Iesu Christi stigmata inspicere, quàm magna & multa fuerunt. Deinde veniam pete, ut ipse tibi misericorditer indulgeat, quotiescunque in aliquo loco vel tempore ipsū offendisti, potes etiam altaria Ecclesiæ tuæ visitare, & ad terram te prosternere; pavementum siue scabellum altaris tribus aut quinque vicibus osculari, in recordatione sanguinis Christi super terram effusi.

14. Debes insuper propter amorem & honorem Christi, cuncta sanctæ Ecclesiæ loca Deo cōsecrata, omnia monasteria & hospitalia, vbicumque religiosè viuunt & Deo seruitur, in reuerentia semper habere, eorūque bonis actibus congaudere, & aduersitatibus condolere; quatenus omnium bonorum, quæ ibi die ac nocte ad laudem Dei peraguntur, particeps effici merearis. Citò namque veniam à Deo obtinebit, quisquis de peccatis suis veraciter dolens, de cætero firmiter se emendare proponit. Magnam quoque fiduciam diuinæ propitiationis acquirat, qui in omni re & petitione, passionem Christi in auxilium sibi assumit; & plus de meritis Christi & sanctorū suffragijs, quàm de proprijs laboribus & virtutibus confidit. Nam opera nostra strictè discussa, rarò extoto sunt pura. Et ideo necesse ad humilitatem & cōfessionis remedium confugere, semper à Deo misericordiam petere, ac totam spem salutis in Christo ponere, qui solus in omnibus perfectus est. Ipse enim potest imperfectiones nostras celeriter & perfecte curare, & ampliorem gratiam humilibus & contritis corde præstare.

In quibus  
membris  
Christus  
patitur.

15. Septimo & vltimo loco attendere debes, & cū ingenti dolore pensare, in quibus membris passus est Christus; & quales



pœnas in singulis articulis & quinque sensibus corporis pertulit pro nobis. O quàm dura verbera in flagellatione sustinuit: quàm multa millia vulnera illi inflicta fuerunt: quàm sæpè in eodem puncto repercusus est; quàm pœnaliter ista sensit & tacuit! Non manum opposuit, nec pedem vel aliud membrum ab ictibus retraxit; sed sponte ac liberè totum corpus suum percutientibus tradidit; vt pro peccatis omnium hominum plenè satisfaceret. Nam sicut cuidã religioso in visione ostensum est, quoties Christus vnum ictum verberantis accepit, mox illum Patri pro nobis ex amore obtulit, petens vt & delictis nostris ignosceret. Non enim tam dilectus filius contra patrem aliquando murmurauit, quia tantis pœnis eum exposuit. Non comminabatur torquentibus se duriter, non irascebatur conspuentibus se turpiter, non maledicebat accusantibus se fallaciter: sed magis condoluit, excusauit, tolerauit; & orauit pro eis, vt acciperent veniam, dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.*

LUCA 23.

16. Sed quæ causa tanti mali & doloris immensi? Certè multa peccata hominum, qui in multis membris suis per quinque sensus sæpissimè delinquunt, & Dominum grauiter offendunt. Nam corporis membra, quibus Deo seruire deberent, & multa bona operari possent: hæc (proh dolor) timore diuino excluso, diuersis vanitatibus & delectationibus prauis, ausu temerario tradunt: & ita peccando, serui vitiorum & membra ac vasa dæmonum fiunt. Quapropter Christus filius Dei compatiens hominibus, & cupiens sanare peccatores, & à laqueis diaboli eripere, graues & longos cruciatus in sanctissimo corpore suo excepit & pertulit: vt per corporales dolores in quinque sensibus suis medicinam conferret animabus nostris: & omnes delectationes carnis, quæ militant aduersus spiritum, doceret esse fugiendas & mortificandas. Ne ergo Deus hominem propter peccata sua æternaliter puniret, qui summum bonum deserens creaturis adhæsit; pius Dominus Christus, hanc in se pœnam temporalem & mortem carnis, pro culpis nostris, sine omni culpa suscepit, vt iram Patris placaret, & ab æternis pœnis nos liberaret.

17. Sed iam ad singula membra vulneribus fauciata oculum Pedes Christi. cordis conuerte, & pio compassionis affectu lachrymas funde. A planta pedis incipe, & vsque ad verticem capitis ascende, quia totum corpus Iesu repletum est amarissimo dolore. Enimvero, si tu iam in tali esses dolore, aut iaceres in grabato grauatus languore, nonne placeret, qui tibi condoleret; & displiceret, qui te negligenter præteriret? Vide ergo Dominum Iesum, propter te passum, propter te vulneratum & mortuum; & habeto super omnibus



Act. 7.

nibus doloribus eius ad minus gemitum, si non potes elicere plerumque. Cum enim beatus Stephanus esset lapidatus, viri timorati & fideles fecerunt planctum magnum super eum. Et ecce maior Stephano; immo præ omnibus sanctis sanctorum maximus pendet in ligno crucis vulneribus plenus: & ideo merito condolere sibi debet omnis fidelis, sed præcipuè religiosus devotus seculo abdicatus. Intuere igitur primum, quàm graviter Christus passus est & vulneratus, in speciosis ac mundis pedibus; quibus per terram sæpè fatigatus ambulavit, verbum Dei prædicando: cum quibus vndas maris calcavit, sine nauigio sine humano adiutorio transfretando. Nam ea virtute & potestate diuina, qua omnia creauit, & ventis ac mari imperare, & ad vsum sui habere potuit. Sed heu, quàm mirabilis rerum mutatio, & quàm incomprehensibilis Dei dispensatio; quòd author omnium creaturarum, & summus medicus animarum & corporum, qui multos claudos & ægrotos fecit subito ambulare; nunc tam ferociter in pedibus suis vulneratur, tam fortiter ferreis clavis perforatur, vt nec incedere quidem valeat, neque se mouere: sed instar pessimi latronis, duris vinculis tenetur cruci alligatus. Tali itaque poena perfixus est in vtroque pede innocens Christus, qui secundum Prophetam soluit compeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, diligit iustos. Et quare hoc? Profectò, vt vincula peccatorum nostrorum solueret, & maculas pedum ablueret: quæ multoties contrahuntur in discurrendo, ambulando, spatiando, ludendo, saltando.

Isai. 14.  
Psal. 145.

18. O quàm graviter peccant, qui pauperes conculcant, qui pompaticè procedunt, qui tumultus in Ecclesia excitant, & orantes impediunt, qui multos leui euagatione & moribus incompositis scandalizant. Væ eis, qui propter tedium boni operis & defectum deuotionis quarunt consolationes in rumoribus & negotijs externis. Isti etenim, si vno clauo timoris Domini essent cõfixi, manerent vtique libenter apud semetipsos solitarij, cogitando de passione Christi, aut de scripturis sanctis aliquid legeret: vnde compuncti accenderentur in amorem Christi, per quem vincerent omnia aspera & dulcia mundi. Beati pedes eorum, qui ad audiendum verbum Dei parati sunt: qui omisis vanis ad Ecclesiam properant, orationi sæpè incumbunt, sensus ab euagatione restringunt, vt cum bona cõscientia dicant: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.* Beati pedes, qui sequuntur vestigia Iesu vsque ad crucem; & amant ibi potius stare & cum Maria plorare, quàm ad epulas ire, & spectaculis interesse.

Psal. 118.

Manus  
Christi.

19. Passus est etiam Christus, & graviter vulneratus in sacris manibus suis; quibus sæpè benedictionem dedit, infirmos tetigit



git & sanauit. Cum quibus panem accepit & comedit, corpus suū cōsecrauit, & discipulis suis in solatiū porrexit. Sed, ó pie Deus, cur pateris manus tuas cum tanto dolore transfodi, & tam multo cruore perfundi, qui cælos extendisti sine labore; & terram ornasti miro decore? Heu sancte Deus, fortis, & immortalis; ecce manus tuæ, quæ formauerunt primum hominem in paradiso, sine defectu, sine omni vitio; iam pro dolor à perfidis hominibus & iniquis manibus perforantur ferratis spiculis Iudæorum; & in oculis amicorum tuorum extenduntur in ligno crucis ab omnibus tunc maledicto, & pro maximo scandalo reputato. Sed ó bone dulcissime Iesu, hanc iniuriam & violentiam voluisti pro primis parentibus nostris & filiis eorum patientissimè tolerare: vt chirographum decreti disrumperes; & peccatum originale, ex tactu ligni vetiti & esu pomi noxialis contractum, tuo sancto cruore detergeres: vt vnde mors oriebatur per culpam, inde salus rediret per poenam. Ideoque iustitia exigente, vtrasque manus pro culpa delenda in ligno crucis extendisti; & pro peccatoribus vniuersis, charitate trahente, cruentis manibus exorasti.

20. O quàm grata & acceptabilis fuit ista oblatio pro nobis; quando tu amantissime Iesu, vnice fili Dei, temetipsum obtulisti in sacrificium sempiternum, ad placandam faciem Dei Patris omnipotentis, quem omnes offendimus in multis: à quibus non sufficimus per nos iustificari, nisi interueniente tua sacratissima passione & tēporali morte in arbore crucis, de qua prodiit sanctificatio & redemptio nostra, in acquisitione æternæ salutis. At tendēte grauitate peccatorum nostrorū, & acerbitate vulnerū Christi, affectū charitatis eius supplicationemq; pro inimicis nostris, benignitatem quoque in omnibus contrariantibus sibi. Sapissimè Christus orauit, & discipulos orare docuit, aliquando flexis genibus, aliquando elevatis in cælum oculis: sed nusquam ita flebiliter & amabiliter orasse reperitur, sicut modò auditur; cum pro inimicis suis, expansis manibus, & pedibus confixis, ac membris omnibus distentis & vulneratis, in ara crucis orauit. Tunc enim fudit precem dulcissimam in auribus paternis, vt ignosceret in se peccantibus. Igitur ad compescendam hominum malitiam, qui ad irascendum faciles sunt, & pigri ad benefaciendum aduersariis suis; Christus vulnera latissima in manibus suis accepit, informans omnes ad bona agenda & mala patiēda. Quia pro maximis lucris reputatur, si quis æmulis suis non talionem vindictæ, sed orationis munus rependit. Caueas ergo homo paupercule, fragilis & vitiose, ne aliquem lædas vel contristes verbo sinistro vel opere prāuo, pro quo Christus passus est & mortuus. Quia preciosa est in conspectu eius omnis anima, quæ in eum fideliter



credit, & mandata eius veraciter custodit. Iustum autem est, vt de proximo tuo bene sentias, & meliora speres: quia vel talis iam bonus est, vel per gratiam cito meliorari potest. Tu ergo ostende charitatem, & roga etiam Deum Patrem, vt quem nunc habes aduersarium; recipias iterum fratrem emendatum. Si autem tibi nocuit, indulge ex corde propter amorē Iesu Christi, qui in multis tibi pepercit. Ipse enim pius & misericors omnibus fuit; pauperes non despexit, leprosos non abhorruit, debilem non derisit, tristem delinuit, iratum placavit, perversum toleravit, poenitentem suscepit, errantem instruxit, innocentem defendit, vacillantem confortavit, charitatem ad omnes ostendit; & quod amplius est mirandum, plagis & vulneribus percussus, ab oratione non cessavit. Ecce qualiter Christus malos tolerando, bonos consolando, sanis & infirmis exemplum optimæ doctrinæ in passione exhibuit: & quasi duobus charitatis suæ brachijs, hostem & amicum pariter sibi attraxit; non reputans delicta ipsorum, dummodo velint Deo reconciliari, & omnes offensas debitoribus dimittere, ac mutuam charitatem in super conseruare.

Caput  
Christi.

21. Passus est etiam Christus multum poenaliter in suo sanctissimo capite, tanquā in principali membro corporis sui, pro omnibus membris inferioribus, quæ nos sumus, qui in eum credimus, & per fidem ac dilectionem ei adhaeremus. Debet enim quilibet fidelis, tanquam viuudum & sanum membrum, Christi capiti suo in cunctis doloribus mentaliter compati & conuulnerari, quia membrum, quod capiti suo læso & ægroto non compatitur & congemiscit, aut putridum est aut insanum. Ergo si membrum Christi es, & de spiritu Christi viuis & sapis, attende nunc ad caput Christi Filij Dei viui, & vide, quantis spinarum aculeis, vndique pro peccatis tuis perforatur. Non est facile dictu, quā grauis, quā longus, quā acutus hic dolor fuit in benedicto & nobili capite Iesu, super omnia sanctorum & Nazaræorum capita consecrato: cuius sanctissimum verticem nouacula acuta non tetigit; nec capillas de capite eius, in terrā cecidit: nisi forte impij Iudæi cum ministris Præsidis, aliquos pilos de sancto capite furiosè extraxerint: vel etiam de barba sancta, crines indignis manibus euulserint. Quia plures contumelias & verbera Christo irrogasse æstimantur, quæ per singula non sunt ab Euangelistis expressa. Dicit tamen S. Lucas, quia & alia multa blasphemantes dicebant in eum. Nam aliqui velut insipientem, Christum apertè deridebant. Alij peruersiores, contumeliosa verba addiderunt. Alij bestijs crudeliores, dentibus stridebant, & plagas non paucas sibi intulerunt: & fortassis calcibus suis sacros pedes Iesu calcaverunt, quos dudum Maria Magdalena multis lachrymis lauit &

Luca 22.

vixit



vixit. Ah Domine Deus, quàm profunda acumina spinarum, sanctissimum caput tuum intrarunt: quàm duriter tenuem carnis tuæ pellem cum ossibus & nervis laeserunt: ita vt ex vulneribus impressis, rivi sanguinis per collum, per oculos, per aures, & vultum effluerent: ac decoram faciem tuam & omnem pristinam pulchritudinem penitus obscurarent. O generatio prava & exasperans, vt quid innocentem tam seuerè punis? Cur pium & humilem opprimis? & quasi in circulo, caput eius contorques? Certè mendaciter capitale crimen ei imponis, quod regem se fecerit: quia nunquam hic regalia ornamenta secundum seculi dignitatem habuit: neque calceos gessit, neque coronam concupiuit. Nullum etiam hominem verbo vel facto laesit, quin potius laesos & oppressos à diabolo gratis sanauit.

22. Filia Hierusalem, & omnes matronæ deuotæ, venite & videte regem Christum, Iesum Nazarenum, verum & pacificum Salomonem, ex regali progenie Dauid ortum. Videte, quomodo in die coronationis suæ, coronatur corona spinea à nouerca sua synagoga impia, suadente diabolo, & perurgente sacerdotum inuidia. Flebant tunc vberimè, mater eius beatissima Maria, cum S. Maria Magdalena, & omni comitiua sua nimium desolata. Flebant & discipuli dispersi in turba Iudaica, præ confusione & dolore ex visione spineæ coronæ, quæ sacro capiti Christi Domini ac magistri sui durissimè fuit impressa, clamante iudice coram populo furente. *Ecco Rex vester.*

Ioan. 19.

23. Pensate nunc Christi fideles, si vnquam talem contumeliã & tam acerbissimam pœnã, in aliquo de prioribus sanctis regibus vel prophetis audistis vel legistis, sicut nunc agitur in Domino prophetarum, in rege Angelorum, in præfule omnium sacerdotum, in agno Dei, qui venit tollere peccata mundi, per varia tormèta corporalis supplicij. Ecce qui antea gloriosus effulsit in signis & virtutibus magnis, nunc valde irreuerenter tractatur illusionibus multis, & percutitur virgis ac flagellis. Quem maxime honorare principes debuerant, & pro vero rege ac summo sacerdote suscipere, iam inauditis opprobrijs dehonestant, & corona crudelissimæ punitionis tormentant. Omnia enim in contrarium agunt, præstitis sibi beneficijs multis: & acrius sæuiunt, in auctorem propriæ suæ salutis. Nam pro rosis & lilijs offerunt ei spinas acutas. Pro gēmis & margaritis, dant sibi alapas duras. Pro corona regia, fertū de iūcis marinis. Pro torque aurea, colaphū sine misericordia. Pro stola byssina, albulā fatui cū ignominia. Pro purpura regis, rubicūdi sanguinis guttas. Pro balteo argēteo, lintēū de tenui filo. Pro sceptro regali arundinē vëto agitātā. Pro equo habuit asinū: pro freno, funiculū: pro gladio, virgā: pro scuto

S 2

flagel-



flagellum: pro ocreis, tibus nudas: pro chirothecis, vincula  
 in manibus: pro calcaribus auratis clauos ferreos in pedibus: pro  
 vexillo bellico, crucem cum titulo scripto: pro lorica, tunicam  
 inconfutilem: pro galea, oculorum velamen: pro hasta regis, lan-  
 ceam militis: pro mitra pontificis, sudarium nudati capitis: pro  
 cathedra doctoris, columnam marmoris: pro scypho, spongiam:  
 pro lagena, acetabulum: pro vino, acetum: pro nectare, myr-  
 rham: pro medone, fel amarissimum: pro osculo, sputum: pro  
 compassione, derisionis iaculum: pro valedictione, receptit ma-  
 ledictionis verbum.

24. Præter ista iam dicta audi adhuc alia extremæ desolatio-  
 nis grauamina. Nam derelictus est à Patre in maxima angustia,  
 quasi non esset filius eius dilectus. Derelictus est ab amicis & di-  
 scipulis omnibus, tanquam hospes & peregrinus, Perdidit sodales  
 optimos, inuenit hostes pessimos. Amisit sanctum Petrum pro-  
 pugnatorem, recepit Malchum Petri accusatorem. Quid plura?  
 Pro reddituario, habuit furem: pro secretario, traditorem: pro  
 vexillifero, Simonem Cirenæum, qui portauit crucem: pro cu-  
 biculario, latronem nequam, qui exprobrauit eum: pro infirma-  
 rio, derisorem: pro vestiario, spoliatorem: pro refectorio, fel-  
 lis braxatorem: pro dormitorio, sepulchrum: pro lectulo, saxum  
 durum in petra excisum. Inter hæc tamen mala in Christum Do-  
 minum facta, non defuerunt amicorum pia lamenta: sed late-  
 bant, & longè stabant: tacebant, & lugebant. Quia nunquam vi-  
 sum est tantum malum in Israël, à die quo natus est Iesus in  
 Bethleëm. Facta autem sunt hæc omnia ordinatione diuina pro  
 salute nostra, & ad implendum Prophetarum oracula facta. Ecce  
 his armis indutus est rex noster Christus Iesus Nazareus, con-  
 tra mundi principem pugnaturus, & suo precioso sanguine genus  
 humanum redempturus. Certauit vsque ad mortem, vicit dia-  
 boli superbiam per humilitatem, mundi sæuitiam per patien-  
 tiam, carnis petulantiam per crucis acerbissimam pœnam. Reli-  
 quit nobis exempla sancta viuendi, sacra verba bona meditandi  
 & contra singula vitia optima dedit remedia ad cauenda peccata,  
 & ad aternæ vitæ præmia per crucem consequenda. Cui laus &  
 gloria, de omni bono, in caelo & in terra; per infinita seculorum  
 secula. Amen.



Aliquot Orationes piæ ac deuotæ, de passione Domini nostri Iesu Christi, quæ huic secundæ editioni accesserunt.

## P R I M A.

*Oratio ad Patrem leuada infra missam, de oblatione corporis Christi, de merito passionis eius, & de nostra resignatione.*

1. **R**ESPICE clementissime Pater de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, super sacrificium acceptabile tibi. Intuere sacrosanctam hostiam vnigeniti Filij tui, quam offert vultui tuo pro nobis. Ipse est enim summus sacerdos & verus pontifex, qui non alienam hostiam, sed propriam carnem dedit ad immolandum in ara crucis pro vita sæculi. Propitiare ergo mihi peccatori hodie, per hanc salutarem victimam. Esto exorabilis mihi infirmo homini, multum labili & vitioso, qui non sum dignus respicere cælum, neque calcare terram, quoniam te creatorem meum offendi sæpissimè, sæpius agendo, loquendo, cogitando contra præcepta tua irreuerenter & insensatè: propter quæ omnia meritò incurri grauissimam indignationem tuam, nec non omnium creaturarum accumulavi mihi inimicitiam. Te enim offenso & despecto, iam vtique iusto iudicio omnis aduersatur creatura peccatori. Sed omnipotens & Deus totius consolationis miserere mihi seruo tuo, ex intimo corde pœnitenti & dolenti. Quoniam ex nihilo factus sum, & in peccatis conceptus, vt fragilis homo cecidi. Parce mihi Domine, parce. Da veniam filio prodigo ad te reuertenti de siliquis porcorum, & stanti ante thronum gloriæ tuæ, & postulanti manum misericordiæ tuæ à mane vsque ad vespem: donec descendat ros gratiæ, & pluuia consolationis super terram cordis mei, quod iam aruit & contabit præ multitudine peccatorum. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te. Scio, quia non propter opera mea facies, si qua fortè videntur: sed propter bonitatem tuam Domine, quæ immensurabilis prædicatur. Amplius autè exaudi me per singulare meritum amantissimi & dulcissimi Filij tui Iesu Christi, qui pro peccatoribus crucifixus est & mortuus, vt omnium peccata sua deleter passione.

2. Recordare alme Pater inæstimabilis charitatis eius, quomodo in mortem tradidit animam suam, vt viuificaret populum suum, qui in nullo sibi pepercit, vt reis & damnatis in æternum



parceres. Meméto amarissimæ passionis eius, quàm grauiæ & indigna suscepit: qualiter ab hora matutina vsque ad exitum suum in cruce pro humano genere laborauit, clamans sanguinis sui effusione pro reconcilandis tibi peccatoribus: vt amicos de inimicis faceret, & de suis profugis adoptionis filios. O summè & venerande & colende Pater, hodie tibi repræsento omnia signa passionis vnici filij tui, cum nostra supplicatione atque suffragio omnium beatorum martyrum, qui eandem passionem specialius imitati sunt. Aspice & cognosce, cuius sunt signa amabilia adoranda per secula. Ecce crux, clauis, lancea, fel, arundo, sponsia, sputa, flagella, corona spinea, sudor, sanguis, alapa, virga, rellis, columna, alba vestis, purpura, & incôsutilis tunica. Ista sunt pretiosa ornamenta & regalia vexilla, quibus ad debellandas aëreas potestates processit vnigenitus tuus in nostræ carnis substantia. Ista sunt arma bellica, quibus mors deuicta est, & humana natura redempta. Per hæc igitur benedicta & gloriosa passionis insignia, dimitte mihi omnia peccata mea. Sit mihi hæc veneranda armatura, & decora, contra omnia vitia & tentamenta singularis potentia. Sit mihi quotidianum speculum & dulcissimum animæ solatium tam dolorosum & flebile spectaculum.

3. Suscipe sanctissime Pater gratissimam hostiã oblati corporis filij tui, quam tu ipse tibi preparasti, ac in sempiternum satisfactoriam, dignam atque sufficientem esse voluisti, ad exhauriendâ omnia peccata, tam contracta quàm voluntate admissa. Suscipe me pariter hodie in sancta oblatione, qua nulla sanctior est & præstantior, quæ tibi venerabiliter offertur per manus sacerdotum tuorum diebus singulis pro viuis & mortuis, ac pro cunctis necessitatibus nostris. Proficiat hæc mihi & omnibus orationibus meis commendatis, quorum necessitas & fides tibi nota est, siue iam præsentis, siue absentes huic solemnæ celebrationi existant. Perueniant ad te preces eorum & deuotio, cooperetur illis ad salutem ineffabilis virtus & efficacia sacramenti, quod diuinitus est institutum, non humanitus inuestigandum, sed piè colendū, fideliter adorandum, firmiter credendum, & vsque ad consummationem seculi continuandum. O pretiosissimum & suauissimum sacrificium, quod tibi æterno Patri pro nobis obtulit cœternus filius tuus, factus & ipse hostia vera, viuua, salutaris, vnica, & perfecta: qui erat solus pontifex immaculatus, sanctus & immunis ab omni delicto, non habens necesse prius pro semetipso rogare, & hostiam secundum legem offerre; sed pro debitoribus mortis semel moriens intercessit, non habentibus nec inuenientibus in vniuersa creatura, quid pro delicto suo redderent. Iam igitur non despero, neque vltra desperabo de venia & curatione



xatione peccatorum, quotiescumque etiam me peccatum apprehenderit. Inueni enim, quo lauanus accedam medicum, ad quem sanandus recurram. Scio ubi sit spes mea, & vniuersa consolatio mea. Qui in passionibus & vulneribus Domini mei Iesu Christi, summa salutis totaque ratio spei meae consistit & abundat. Per omnia benedictus sis Deus meus, qui tam magna & immensa diuinæ largitatis beneficia contulisti mihi. Istis namque vehementer me accendis, ad regratiandum tibi & dilecto filio tuo.

4. Sed ô mi Pater fidelissime, quid agam, quia nil dignum in me reperio, aptum dono gratiæ tuæ. Veruntamen bone Pater, cuius sunt omnia dona bonorum, scio, quia nullius indiges, & tamen te parua nostra delectant, si ea deuotè & spontaneè tibi videris offerri. Dabo igitur aliquid, & modicum, quod mihi relictum deperire potest, amoris tuo sacrificabo. Nam tibi oblatum melius mihi manet, & tamen merces futura non deerit tam liberè offerenti. Si auderet quis inhaesitantè se donare tibi, tu te utique redderes illi, fieretque quod ore capitis nostri dictum est: Date, & dabitur vobis. Nunc ergo si digneris accipere, ecce voluntariè meipsum offero, & tuæ dispositioni animam meam & corpus meum fidenter derelinquo. Voluntatem quoque propriam (qua pinguius nil tibi offertur) ex hac hora & deinceps promptissimo corde resigno, quemadmodum dilectus filius tuus Christus Dominus noster suam tibi commisit voluntatem, ut nostram in sua abnegatione obtineret salutem, formam præbens sequentibus se fidelibus breui & pleno sermone, quem dixit: Pater mi, non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua.

5. Hoc itaque exemplo vehementer admonitus te inspirante & iuuante, denuo me resigno, omnibus, quæ mundi sunt renuntio. Carnis desideria despicio, omnes actus & nefaria consilia maligni spiritus abiicio, tuo seruitio me despondeo: tibi adherere cunctis diebus vitæ meæ concupisco, iam iamque deuotè id agere instituo. Adhuc verò ut plenius perficiam voluntatem tuam, en meam frangere paratus sum per veram obedientiam, quam tibi in prælato meo teacore exhibere. Eius enim voci cum obedio, tibi veraciter obedio. Ergo illius manibus tanquam paruulus in Christo renatus, qui se Baptista sui manibus humiliter inclinavit, gubernandum me submitto. Fratrum quoque meorum consiliis & sermonibus, tota humilitate & pia charitate libens parebo, quos nimirum sanctiores & longè me sapientiores intelligens, iure meæ imperfectioni præfero. Tibi autem eandem imperfectionem meam cognitam esse sciens in defectibus me accuso, atque sanioris emendationis



280 ORATIONES DE PASSIONE DOMINI.  
dationis remedium multa contritione à te exposco: quatenus be-  
nevolentissima manus tua, quæ omnem infirmitatem curat, & o-  
mnem impotentem roborat, meam indigentiam non relinquat.  
Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

S E C V N D A.

*Oratio de recordatione & imitatione Passionis dominice.*

1. **D**OMINE Iesu Christe, qui pro nostra salute pati, crucifigi,  
ac mori venisti, da mihi passionem tuam doloroso corde  
sepius percogitare, & eam constanter posse imitari. Da, vt quid-  
quid aduersitatis, grauitatis, vel iniuriæ mihi obuenerit, de manu  
tua beneuolenter accipiam, & pro nomine sancto tuo aliquid per-  
peti gaudeam, qui tam multas iniurias & pœnalitates innocenter  
pro me tolerare dignatus es. Nempe ad dignè rependendam tibi  
vicem non possent adæquari omnis hominis maledictiones mihi  
illatæ, quanto magis breue vel asperum verbum, seu molestum  
aliquod factum sine mordaci cogitatione perferre debeo. Procul  
igitur omne murmur sit, fileat indignatio, conquiescat suspicio,  
sed magis benigna patientia, humilisque confessio loquantur,  
quòd ampliora mereatur iniquitas mea recipere, quam aliquis  
mihi possit irrogare.

2. Dehinc quaeso, vt largam mihi infundas charitatem, quate-  
nus plenam indulgentiam & compassionem deuotam, precer &  
excusationem debitoribus meis reddam, nec non gratiarum a-  
ctiones pro magnis lucris patientiæ persoluam: quoniam tuus  
debitor sum in valde multis lugendis excessibus. Exceptis enim  
beneficiis, vnde tibi debitor sum in quibuscumque sufficio, imò  
vltà quàm sufficio, adhuc reuera pondus peccatorum meorum  
præteritorum & quotidianorum grauibus me debitis admonet,  
cuius tamen confido vt pars maxima solutionis erit sustinentia  
& dimissio iniuriarum, & supplex oratio pro aduersantibus. Exem-  
plum namque mihi reliquisti memoriale, qui pro crucifixoribus  
exorasti, ne perirent. Vtinam & pro me peccatore Patrem nunc  
exorare digneris, vt dimittat mihi quidquid conscientia meruit,  
& adiciat, quod tenuitas mea petere non præsumit. Tu es enim  
aduocatus meus iustus & fidelis apud Patrem, qui tuo sanguine  
me redemisti, tuoque exemplo ad viam perfectæ humilitatis,  
mâsuetudinis & paciētiae dulciter inuitasti. A diuina me ergo Do-  
mine Iesu spes mea & refugium in die tribulationis, vt non decli-  
nem à via patientiæ quacunque aduersitate exurgente: sed ad  
te incunctanter recurram pro iuamine & ereptione necessita-  
rum mearum. Multa namque sunt huius vitæ aduersa, quæ  
susti-



sustinere non est possibile. Ego non sufficio, notum est tibi quando in minimis me probas, nec alium quam infirmum hominem me inuenio.

3. Quapropter oro te Domine, aperi mihi thesaurum miserationum tuarum, & illud mirificum maximumque passionum tuarum reuela mysterium, in quo omnium infirmorum & tribulatorum continentur remedia, ex quo etiam sæpe nouellus deuotionem, & deuotus consolationem multam haurire consuevit. O Iesu fons gratiarum: fac intrare cor meum amaritudinem calicis tui, quæ omnem grauitatem mihi conuertat in dulcedinem. Perfora quoque manus & pedes meos clauis charitatis tuæ, vt nec in opere, nec in affectu meo quicquam vanitatis vel carnalitatis ultra uiuat. Sed uiue tu in me, & ego in te: nihilque mali interueniat, quod nos separet. Nullæ ergo delitiæ, nec vllæ me poenæ soluant à tua dilectione: sed siue ad mortem, siue ad vitam uocaueris, quocumque uolueris Domine, illuc pergam in nomine tuo. Sapiat mihi beata crux tua, & taliter sapiat, vt meam libenter feram. Suscepi illam spontaneè æternæ salutis intuitu, tamen portare non ualeo, nisi continuò manum tuam apposueris. Te uero adiuuante & ducente, leue est onus tuum, fitque planum ac calcabile omne asperum carni. Nunc ó dulcissime Iesu, salus & uirtus animæ meæ, confirma me pusillum in hac hora uerbis oris tui, & præcipuè in recordatione passionis tuæ me totaliter accende, & ad te intimè trahe; vt cum frequentatione excitationis fapor crescat deuotionis: vt cum debita laudatione, fructus effulgeat piæ conuersationis. Qui cum Patre & Spiritu sancto uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

## T E R T I A.

*Oratio ad compatiendum Christo, & dilectæ matri eius.*

1. FLECTO genua mea ad te Domine Iesu Christe, quem pro me in cruce cerno suspensum. Saluto te ó ueneranda imago crucifixi Domini mei Iesu Christi, cuius sanguine redemptus sum de manu inimici. Salue saluator mundi, qui hanc amarissimam mortem pro me sustinuisti. Peto te dulcissime Iesu, præsta mihi secundum multitudinem misericordiæ tuæ, tibi in omnibus poenis compati, nec non sanctissimæ matris tuæ doloribus intimo cordis affectu condolere, & cum beatissimo Ioanne Apostolo largiter sub cruce flere. Etenim solatiofum mihi nunc fore scias, si possem etiam exteriores lachrimas, præ magnitudine compassionis, coram imagine crucis tuæ fundere, qui pro me precio-



sum sanguinem abundè sapiùs effudisti.

2. Sed quia à te omne donum bonum, imple hoc desiderium meum ad honorem tuum, vt & memoria sacratissimæ passionis tuæ, cum singulari recordatione gloriosæ matris tuæ, adiuncto semper charissimo discipulo tuo Ioanne eiusdem fidelissimo custode, ex hac hora & deinceps in me feruentius accendatur, copiosius dilatetur, intimius sentiatur, perfectius moribus & vita teneatur. Sit insuper crucifixio tua speculatio mea, dolor matris tuæ consolatio mea, fletus sancti Ioannis intercessio mea. Non sit sine interna compassione mentis, aspectus mortis tuæ tam deformis. Quotiescunque igitur tuam passionem recolo, aut figuratum in Cruce video, da hoc interiùs cordi meo sentire, quod multis deuotis dedisti experiri. Qui uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

#### Q V A R T A.

*Oratio ad Christum.*

1. **L**Aus & gloria tibi semper sit Domine Iesu Christe, qui pro me peccatore descendere dignatus es de cælis, & arborem ascendere Crucis, ad satisfaciendum pro peccatis meis, in qua nudus & toto corpore vulneratus tanquam vilissimus latronum inter latrones pependisti: qui es speciosus forma præ filiis hominum, verus Dei filius, rex regum, & Dominus angelorum. Benedictio & claritas, gratiarum actio, & vox laudis tibi sit agne Dei mitissime: quoniam dignus es accipere omnem honorem, propter passionem mortis & multimodam quam passus es in cruce confusionem. Accipe igitur humiles has laudes, deuotas gratias, mentales genuflexiones, & pia oris mei obsequia, pro summa & immensa charitate mihi in passione tua ostensa. Reuera tibi gratias agere teneor pro omni quod uiuo, quod sapio: sed multo intentius & copiosius, quòd tuo pretioso sanguine redemptus sum. Magna bonitas, quia me non existentem condidisti; sed maior charitas superlucet, quòd perditum reformasti. Et si in te bonitas & charitas æqualis ac vna semper fuit, mihi tamen charior & utilior visa est charitas, quæ ita superabundauit.

2. O quanti me existimasti, quem tam charo commercio redemisti. Dedisti certè preciosissimū quod habuisti; nam te preciosus nihil est, & ecce te totum pro me tradidisti. Quapropter obsecro te benignissime Iesu, fons bonitatis & charitatis, vt hæc à memoria mea non defluant: sed semper imago crucifixi corporis tui mihi resplendeat, & singula plagarum loca amorem tuum cordi meo profundè imprimant, signa enim sunt validissimæ dilectionis tuæ ad me. Nam omnia hæc pro me suscepisti, pro te au-

tem



tem nihil horum merueras, qui peccatum non fecisti, nec maculam quidem peccati contraxisti; in quo dolus non est inuentus, nec causa mortis, sicut pro te loquebatur Pilatus. Sed ideo oblatus es, quia tu ipse voluisti, qui ad redemptionem totius mundi te missum cognouisti. Innocenter ergo passus es, & atroci crucis supplicio interemptus: sed tamen infructuose non es mortuus, quia per crucem & per mortem tuam omnes liberati sumus. O beata & nimium amabilis Crux, arbor decora atque salutifera, in qua pependisti vita mea pro me mortua: ut mortem occideres, & vitam mihi donares. O quam felix & preciosa mors ista fuit, quæ mortis auctorem vicit, infernum exorsu spoliavit, paradisi ianuam referauit. Benedicta sit passio tua Domine Iesu Christe, crux tua & mors tua, quæ antiquam parentum nostrorum maledictionem in caelestem conuertit benedictionem. Benedicta sint omnia membra tua, in quibus passus es: & omnia vulnera tua tibi inflicta, æternaliter sint benedicta. Nam ipsa sunt mea maxima medicamenta, contra quolibet vitia, & optima solatia inter aduersa.

3. Iesu bone, dulce est tecum esse in Cruce, quod magis opto habere, quam omnes solationes naturæ. Melius est mihi tecum esse in magnis doloribus, quam sine te in summis mundi honoribus. Oh mihi est, quod patior, cum te in cruce contemplor. Sub hac sedebo & lugebo, considerabo & pensabo, quanta passus sit pro me Deus meus. Multi Sancti multa passi sunt, sed tu sancte sanctorum amplius. Nam tenerrimum & dignissimum corpus tuum, à summo vsque deorsum; multiplicibus plagis & vulneribus erat dispunctum. Quæ etsi Euangelistæ non recitant, quibusdam tamen deuotis fuisse reuelatum multi affirmant, sicut his duobus versibus continetur.

*Septuaginta quinque, quater centum, millia quinque:*

*Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus.*

Benedictum ergo sit semper sanctissimum & preciosissimū corpus tuum, sanguineis guttis ornatum. Nam variis incisionibus venarum perforatum, suæ effusionis non potuit tenere modum. Verè tu es dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Candidus in virgine, rubicundus in cruce, electus in paternæ gloriæ <sup>† concessione.</sup> corpora sanctorum sanctificans, omnes electorum animas à peccatis emundans. Aue nunc sanctissimum corpus dominicum, natum ex Maria virgine: verè passum immolatum in cruce pro homine: sepultum ab hominibus in corde terræ, resuscitatum à Deo tertia die.

4. Preciosum est mihi hoc venerabile corpus tuum, Spiritus sancti



sancti operatione de purissimo sanguine Virginis Mariae formatum: sed pretiosius mihi efficitur, quia pro me tam deformiter est in passione martyrizatum. Non mihi sordet facies tua, olim tam amabilis, nunc autem tam contemptibilis & penè incognoscibilis effecta, propter immunda sputa & validos percutientium ictus, ac irreuerendos capillorum tractus, cum velatione illudentium, & multa ignominiosa tibi improperantium. O gloriosa facies Dei mei, quam Angeli videre desiderant; & quæ prius quandoque refulsisti in monte Tabor, vt sol, quomodo nunc sic denigrata es, vt nulla, in te appareat species neque decor? Propter me denigrata es inclyta Dei facies in terris, vt dignus efficerer contemplari diuinam faciem tuam in caelis. Ergo illa foeda consputio formosi vultus tui, lotura & purgatio facta est scditatis anime mee. Insuper & omnia, quæ passus es, pro mea satisfactione & redemptione gesta sunt. Erit itaque summa sapientia mea ista meditari, & configurari in carne passo. Expoliatus es conditor orbis terra, vt ego vestimentis induerer perennis gloriae. Denudatus es, vt me ab omnibus quæ mundi huius sunt nudarem, & te sine retardatione sequerer. Illusus es, vt me ab illusione daemonum eriperes. Contemptus es, vt me doceres amare contemptum & abiectionem hominum. Accusatus es, ne me leuiter excusarem: sed quam multa falsa pertulisses cogitarem. Condemnatus es, vt æternam damnationem euaderem. Ligatus es, vt à peccatorum vinculis absoluerer. Flagellatus es, vt æterna flagella cum reprobis non sentirem, & temporalia flagella cum electis patienter ferrem. Coronatus es spinea corona, vt ego immarcessibili coronam dignus essem coronari: si tamen tibi compatiar, tanquam membrum suo conforme capiti. O rex æternæ gloriae, quam acutam & despectam coronam pro me vilissimo peccatore portasti. Et quomodo possum sine ingenti cordis dolore cogitare benedictum caput tuum spinis obsitum, arundine percussum, ac omni populo in derisum ostensum?

5. Eductus es extra ciuitatem Hierusalem ad crucifigendum, vt me reduceres in caelestem Hierusalem ad perpetuè iustificandum. Crucem proprijs humeris baiulasti, vt me ipsum abnegare, crucem tollerem, & post te venirem. Affixus es cruci, vt mihi mundus crucifixus esset, & ego mundo. Eleuatus es toto corpore à terra, vt ego toto corde eleuarer ad superna. Aceto & felle potatus es, vt peccatum quod gustu vetiti cibi in mundum venit, amaro poculo expiaret; & vt tuæ felleæ potationis inter epulas recordarer. Derelictus es à Patre in crucifixione, ne ego desperarem in tentatione vel gratiæ subtractione. Derelictus es etiam à discipulis tuis, vt spes mea non figeretur in hominibus.

Com-



Compassus es tamen cordialiter matri & discipulorum infirmitati, vt proximorum semper condolerem necessitati. Pro crucifigentibus rogasti, vt ego in me peccantibus benignè indulgerem, & tibi omne iudicium committerem. Post hæc testamentum fidele statuisti: nam animã Patri, matrem discipulo, discipulumq; matri commendaſti: vt & ego instante mortis articulo, animam meam tibi commendarem; & sanctissimæ matris tuæ præsentiam specialiter inuocarem. Cuius clementiam humiliter inuoco, vt cum beato Ioanne Apostolo tuo & cæteris sanctis N. N. mihi assistere dignetur morienti, sicut tibi assistit in cruce pendenti. Enimvero tuus fuit eius dolor, & tuus dolor nihilominus eius erat, cuius cor compassionis gladius penetrauit. Cumque vidisses matrem & discipulum stantem quem diligebas, nequaquam descendisti de Cruce propter eos, scilicet in obedientia Patris tui vsque in finem permanisti: præbens mihi exemplum perseverandi in via & in lege tua, quam nunc relictis parentibus & amicis cœpi ambulare. Ambulabo in ea duce gratia tua, & si persevera- uero tecum, erit sine dubio merces mea æterna.

6. Sicut ergo tu Domine Iesu, nec propter matris tuę fletus, nec propter Iudæorum opprobria cõsensisti de Cruce descendere: sic nec ego moueri debeo cuiusquam blando sermone vel consilio, aut etiam vano terrore contrariorum à statu sanctissimæ seruitutis tuæ: sed tecum viuam, tecum moriar in cruce: nec mihi contingat parcere animæ meæ propter te, qui animam tuam pro me posuisti, vt non perirem in æternum. Inclina itaque nunc ad me caput tuum, in signum præcipui amoris: & ego cor meum ad te, in signum intimæ compassionis: & simul moriatur anima mea cum anima tua, vt vbi tu es, illic sit & ipsa; nunc per desiderium, post per præsentiam & beatificam fruitionē. Aperi quoque mihi latus tuum ad pausandum in eo. Ideo enim apertum est, vt ego intrarem, & ab æstibus vitiorum curarer. Profluit ex eo sanguis & aqua; aqua, vt lauarer à contractis maculis & priuatis; sanguis, vt redimerer à iugo diaboli & pœnis inferni. Eia suscipiã te iam de cruce cum singulari reuerentia. Ponam te dulciter inter brachia mea, qui non habuisti, vbi caput tuum reclinares, dispunctũ corona spinea. Plangam te quasi vnigenitum Patris, & primogenitum virginis matris, antequam ponaris in monumento ab oculis meis: & considerabo omnia quæ fecisti, docuisti, & passus es in mundo, ab hora natiuitatis tuæ vsque ad horam mortis & sepultura tuę. Exinde mihi sit tua reuerenda sepultura, omnium mundanorum perfecta clausura. Hic requiescam, hic habitem, hic cunctis tumultibus exclusis tecum sepeliendus ingrediar; vti tibi soli vnitus, toti mundo mortuus sim ac sepultus. Amen.

QVIN-



## QVINTA.

*Oratio ad Christum.*

1. **S**CRIBE Domine Iesu Christe vulnera tua in corde meo, preciosissimo sanguine tuo: vt in eis legam tuum dolorem & tuum amorem, ad omnia terrena & ad omnia aduersa pro te libenter sustinenda. Fac me (quæso) participem sacræ passionis tuæ & acerbissimi doloris, quem sustinuisti in graui & longa appensione crucis. Tunc enim benedictæ manus, ab impijs concluduata, & speciosissimi pedes tui ligno durissimo sunt affixi. Tunc enim totum corpus tuum ita extensum est, vt omnia ossa tua dinumerari possent. Tunc denique, postquæ emisisti spiritum sanctissimum, latus tuum lancea militis tam validè perforatum est, vt continuè exiret sanguis & aqua, in redemptionē totius mundi.

2. O inestimabilem charitatem, vt damnatum seruum redimeres, temetipsum tantis supplicijs exposuisti; & innoxiam mortem, ne eternalitèr morerer, libentissimè suscepisti. Ego Domine peccaui; ego hoc grande peccatum feci; ego sum reus omnium vulnerum tuorum. Quid igitur retribuam tibi, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Si dederò me, & omnia mea, quæ vnquam habui & habiturus sum, pro charitate hac maxima, quam fecisti mecum, quasi nihil esset. Etsi tradiderò meipsum tibi in perpetuū seruum, non poterit dignum esse precium. Insuper si totum mundum haberem, ipsumque dare possem, adhuc non esset digna retributio, pro minima gutta pretiosissimi sanguinis tui, quem pro me in cruce effudisti. Vna enim gutta pretiosissimi sanguinis tui, vniuersum mundum expurgare potuisset. Veruntamen non sufficit amor tuo dare congruentiam satisfactionis, sed ex abundantia expendisti pretium, quo totum mundum saluare decreuisti, in quo etiam mihi spem vnicam reliquisti. Nam ex quinque corporis tui vulneribus, voluisti largissimè emanare dulcedinem charitatis tuæ, quam ab æterno habuisti cum Patre absconditam, sed etiam specialitèr passionis tempore in Cruce moriens reuelasti.

## SEXTA.

*Gratiarum actio.*

1. **G**RATIAS itaque nunc refero tibi benignissime Iesu, pro omnibus doloribus & opprobrijs, pro vniuersis quoque rubicundis vulneribus tuis, quibus repletus es à planta pedis vsque ad verticem, pro mea reconciliatione & reductione in æternam gloriam tuam. Sed heu Domine, quia dignas tibi referre gratias non



non sufficio. Siquidem tam excellens & pretiosa est sanctissima passio tua, vt si omnium creaturarum etiam virtutes haberem, adhuc plenè tibi regratiari nequaquam sufficerem. Excedit enim omnium hominum merita & vota: superascendit omnium creaturarum dignitatem. Attamen, ne omninò ingratus sim, saltem in modico regratiari tantæ charitati & tam amaræ passioni tuæ desidero per verba deuotæ orationis & meditationis, quæ tu inspiraueris, & cordi meo sapida feceris: quatenus & ex hinc fructus multiplex proueniat animæ meæ, atque tibi gratiarum actio cum perfecto amore resultet sine fine. Memento mei Domine Iesu in regno tuo, qui latroni confitenti in Cruce respondisti: *Hodie mecum eris in paradiso.* Amen.

## FINIS ORATIONVM.

*Plures huius argumenti orationes inuenies Tomo secundo, in opusculo septimo breui.*

## VIGESIMA-OCTAVA.

*In festo palmarum de processione Christi, & sex generibus hominum obsequentium Christo.*

**P** *Veri Hebræorum tollentes ramos oliuayum, obuiauerunt Domino. Matth. 21.*

Contemplari delectat in præsentī festo palmarum, solemnem sanctæ Ecclesiæ processionem, nec non deuotionem populi Iudæorum obsequentium Christo, cum gaudio magno & honore. Nam quod Iudæi olim corporaliter Christo exhibuerunt in carne viuenti, nos spiritaliter eidem debemus exhibere iam in cælo regnanti. Et tantò affectuosius hoc agere decet cum hymnis & canticis deuotis, quanto interiora cordis nostri obsequia Deus plus diligit, & in supernam Hierusalem nos perducere cupit. Propter hoc enim maximè venit in terras, vt terrarum incolas reuocaret ad cælos. Propter hoc properauit ad locum passionis, vt nobis pararet sedem felicissimæ mansionis in cælis. In cuius signum etiam afinam & pullum sibi adduci præcepit, & modestè equitando in Hierusalem ciuitatem terrestrem eos perduxit, quæ cælestis beatitudinis imaginem continet: vt nos speremus per Christum reducendos in vitam æternam cum Angelis sanctis: qui animale corpus nostrum suscitabit de puluere terræ, & immortalitatis gloria induet in futura iustorum resurrectione. Et ad hoc promerendum quis dignus esse poterit? Perfectò qui se humiliauerit sicut paruulus in numero puerorum Hebræorum; & factus fuerit tanquam pium iumentum sub pedibus Christi; paratum se exhibens omni loco & tempore.

ad



ad beneplacitum Dei. Quicumque enim se mitem & humilem inter fratres suos exhibuerit, & quasi rudem asinum & inutilem seruum se reputauerit propter aliquod vitium, aut ineptitudinem quam in se conspicit: hic per humile sentire suum Christo magis placet & propinquior erit, quam superbus ille Phariseus, qui tanquam equus turgidus de bono opere se extollebat. Excusabilior est simplicitas asini, si errat; quam peruersitas equi superbi, qui recalcitrat. Elegit ergo Christus asinum ad sedendum, propter mansuetudinem: recusauit equum, qui hinniret & alios morderet. Sic etiam nunc Christus simplicem & humilem ad seruendum sibi assumit, & iugum sanctæ religionis dorso eius imponit: vt per legem vitæ & disciplinæ, recto & plano itinere pergat in Hierusalem caelestem post mortem.

2. Considera itaque, quales quantasque virtutes in hac processione Christus nobis per suam humanitatem ostendit; qui cum summus esset, & diues ac potens super omnes, (vtpote verus Dei filius secundum diuinitatem) non tamen excellentiam maiestatis coram populo ostentauit foris per apparatus secularem, sed cum multa humilitate & mansuetudine ad rebellem sibi perrexit ciuitatem. Hic est rex noster, quem Ioannes Baptista prædicauit agnum esse venturum in mundum; qui pro salute generis humani venit ad locum passionis, vt perficeret opus nostræ redemptionis, sicut reuelatum fuerat sanctis Patriarchis & Prophetis. Non declinauit à facie inimicorum suorum, nec abhorruit locum sanctum propter malitiã populi; sed cum maxima charitate & pietate accessit ad inuidos & passionatos, vt mitigaret commotos; insuper pro eorũ excessibus & malis futuris doluit & fleuit. Non attendit ad plausum & laudem hominum, sed ad futura pericula perfidorum habuit oculum apertum, ita dicens ad securè lætantes: Quia si cognouisses & tu, quæ tibi imminet, vtique magis doleres & mecum fleres. Nam cor sapientis, vbi tristitia: cor autem stulti, vbi lætitia. Per tristitiam enim corrigitur animus delinquentis, & per lætitiã dissoluitur sæpè status religiosæ mentis. Et tanto longinquior fit homo à Deo & frigidior in seipso, quanto occupatior & diuturnior in negotio externo. Dedit ergo Dominus consilium bonum his qui in honore sunt & reputatione hominum, ac societate delectantur amicorum, quatenus oculos à præsentibus auertant; & quàm repenti hæc friuola gaudia transeunt, intenta cogitatione perpendant. Quapropter ad opera Christi hodie gesta animus distractus recurat, omnes seculares occupationes abiiciat, flores bonarum cogitationum de scripturis sanctis assumat; & cum internis exercitiis quasi cum palmis virentibus caelesti regi occurrere festinet. Quòd si aliqua exterior

*Deut. 18.  
Eccles. 7.*



ra ad festum pertinentia videat vel per cantum audiat; non ibi tantum remaneat, sed quid salutaris mysterij in his latet, diligenter inquirat.

3. Notandum ergo, quod in hodierna processione Christi, sex genera bonorum inueniuntur, qui Christo venienti per aliquem actum pietatis obsequuntur. Aliqui præcedunt, aliqui sequuntur; aliqui ramos cædunt, aliqui vestimenta prosternunt; aliqui portant, & aliqui iuxta regem ambulant. Nemo hinc ociosus stat, nemo fabulis intendit; vnusquisque locum suum tener, officium suum quilibet lætanter impendit. Mysticè autem & moraliter hæc pulchrè possunt intelligi, & ad fidei instructionem & morum disciplinam ita interpretari. Igitur qui Christum præcedunt, Patriarchæ sunt & Prophetæ; qui plura de Christo mysteria populo prædixerunt, & magno desiderio Christum videre desiderauerunt. Qui verò Christum sequuntur, discipuli eius sunt, & alij fideles per Christum conuersi; qui relictis facultatibus suis & mundi curis, Christum perfectè imitati sunt, & alios multos verbo & exemplo ad bene viuendum traxerunt. Qui autem ramos de arboribus cædunt, rectores sunt ecclesiarum & prædicatores verbi Dei per orbem terrarum; qui de libris sanctis & tractatibus doctorum, pulchras & viles sententias, tanquam flores & frondes arborum studendo colligunt; quas postmodum in Ecclesia prædicando coram populo fideliter exponunt. Et ne infirmi seu rudes auditores, in via pedes suos ad lapidem scandali, propter duritiam præceptorum offendant: idcirco ad complanandum iter vitæ cælestis, boni doctores multa exempla sanctorum, quasi flores rosarum & lilia conuallium, proferunt: nunc martyrum patientiam, nunc labores confessorum, nunc virginum pudicitiam allegantes. Qui verò vestimenta sua in via prosternunt, sunt boni dispensatores rerum temporalium; qui pauperes & mendicantes cibo ac potu reficiunt, ne in via propter labores quotidianos deficiant. Isti ergo de his, quæ sibi superfluent, & tam de vestibus quàm de burfis necessaria aliqua extrahunt, quæ nudis & indigentibus misericorditer tribuant: quatenus per eleemosynas terrenas pro Christo oblatas, æternas mercedes in regno Dei recipiant post corporum sepulturas. Fuerunt olim multi in sancta Ecclesia ita feruenter ex diuino amore accensi, qui non solum exteriora & temporalia bona pauperibus dederunt, aut ex voto omnia reliquerunt; sed etiam in tempore persecutionis, corpora sua pro fide Christi ad diuersa supplicia tradiderunt. Isti certè in via Dei & processione Christi, præ cæteris contemptoribus mundi, corpora sua veluti animarum suarum iadumenta, & onera grauata, prostrauerunt & abiecerunt in terra ab hominibus malis calcanda;

T

da;



da; vt perpetuas coronas in caelestibus gaudijs recipere-  
 Angelis sanctis, pro omnibus tormentis sibi temporaliter illa-  
 tis. Qui autem Christum portant, asina sunt & pullus, habentes  
 quidem super se vestes Apostolicas, sed ad Christi imperium  
 procedentes. Per hos designantur boni & deuoti religiosi se-  
 culo renuntiantes, qui per doctrinam Apostolorum ad Chri-  
 stum vocati, monasterium intrant, iugum eius suauē & onus  
 leuē super se regulariter tollunt, castitatem amantes, obedi-  
 entiam seruantes, & sub disciplina praelatorum viuentes: frenum  
 silentij in ore tenentes, & dorsum suum ac collum ad correctionem,  
 sub virga humiliter incuruantes: & hæc omnia propter  
 Christum, qui eos de seculi vanitate vocauit, ac suo seruitio  
 mancipauit, piē & libenter per totius vitæ suæ tempora sup-  
 portantes.

4. Qui verò in via iuxta regem ambulant, Apostoli sunt; & in  
 vultum eius raptim ex latere vident. Isti sunt viri contemplatiui,  
 à mundanis actibus penitus segregati; solitudini & silentio ma-  
 ximè dediti, orationi, lectioni sacræ, meditationi frequenter in-  
 tendentes; & per crebra suspiria ad caelestia æstuantes, summo  
 desiderio Christum in gloria sua videre cupiunt: atque ex spe-  
 ciali gratia intimè recollecti, & supra se, quandoque in spiritu  
 subito leuati, faciem Christi quasi ex latere modicè contempla-  
 tur. Nam præ magnitudine dulcedinis eius, omnia visibilia &  
 condita bona, tanquam nihil & nullius momenti arbitrantur,  
 despiciunt; & abijciunt omne, quod à summo bono retrahit, &  
 vocationem Dei impedit.

5. Ex prædictis collige, quòd duo sunt ordines laudantium  
 Dominum; vnus qui præcedit, alius qui sequitur Christum. Et  
 hi omnes vna voce concorditer cantant, omnes Christum in  
 carne venisse prædicant; & Christum regem ex semine David  
 natum confitentur. Per istos cantores cõgruè designantur ministri  
 sanctæ Ecclesiæ, ad psallendum & celebrandum diuinũ officium  
 ordinati, qui de historijs veteris ac noui Testamenti, post hym-  
 nos & alia cantica ad laudem Dei edita, certis temporibus reso-  
 nant; & alacri corde & ore canentes, ad caelestia promissa se & a-  
 lios erigere student, ne ex tædio & labore præsentis vitæ fatigati,  
 à peruentione caelestis Hierusalem tardentur; quòd nos hodie  
 Christus rex Israël conditor noster, sponte præcessit per crucem.  
 Vnusquisque pro suo statu & ordine & officio, propriam merce-  
 dem accipiet secundum suum laborem. Debet ergo quilibet fide-  
 lis seruus Dei, siue clericus sit, siue monachus tonsuratus, aut Sa-  
 cerdos beneficiatus, multum diligens esse & alacer, ad cantan-  
 dum in Ecclesia in conspectu Christi & Sanctorum; & capiat ex-  
 emplum



emplum de pueris Hebræorum, qui Christum laudabant excelsa voce, vsque in altissima cælorum. Quoties namque clericus seu monachus minus viuaciter in choro psallit, aut vocem subtrahit, vel etiam vanis phantasijs occupatus aliena reuoluit, & ad singula verba diuina negligenter attendit: toties preciosam margaritã de corona capitis sui perdit, & pulchram ac bene redolentem rosam, de sanctuario Dei ab inimico furari & exportari permittit. Caueat ergo religiosus choralis, Christi titulo insignitus, ad psallendum & orandum à Deo deputatus; vt quàm citò ad horas canonicas pulsatur, ne tardè ad chorum veniat, ne cùm tædio ac vaga mente ibi consistat. Ne fortè hostis versipellis latenter intreret, & psalmum de ore vel sensum de corde tollat. Ne meritum sancti laboris per incuriam perdat, & Christum ac Angelos sanctos offendat, eo quòd debitum suum malè persoluit. Hæc pro laude & cantu bonorum puerorum, ad excitandam deuotionem omnium religiosorum.

6. Sed iam vterius libet inspicere habitum & apparatus humilis regis nostri, super pullum asinæ sedentis; qui cùm esset in medio populi gaudentis, non risum ostendit, sed fleuit. Nusquam in tota veteris Testamenti pagina, inuenio aliquem de regibus Israël vel Hierusalem tam humiliter equitantem, aut sine armis bellicis & tubis sonantibus, contra hostes properantem. Nusquã etiam in tota vita Christi tale aliquid gestum reperio; quale nũc hodierna die Saluator noster coram tanta multitudine concinẽtium populorum gessit. Ideoque stupendum nimis tam insolitæ rei factum. Legitur denique, quia Iesus frequenter ibat per ciuitates & castella, prædicando verbum Dei, etiam ex itinere fatigatus fuit: sed tamen non percipio, quòd alicuius iumentum obsequium sibi adhibuit, vt commodius sederet, aut citius ad locum optatum perueniret. Sed quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius in hoc factò fuit? Credo, & aduerto istud diuinum esse consilium, vt impleretur sacrum Prophetæ verbum diu ante prædictum: quia in humili habitu & spiritu mansuetudinis, rex Israël Christus erat venturus. Multi fortè ignorabant, de quo Propheta dicebat. Sed quando Christus per semetipsum opere compleuit, quod Propheta prius verbis ad litteram expressit; tunc indubitanter creditum est & bene intellectum, quia de eo scriptum erat: *Et hæc fecerunt ei, vt beatus Ioan. 12.* Ioannes testatur. Venit ergo Christus rex, regum Dominus, non in manu potenti ad terrendum homines, sicut faciunt seculares principes: sed ad dandum exemplum humilitatis, per quam facilliter tenderent ad cæleste regnum. Est enim magna distantia inter regem cæli & mundi, inter pauperem Christum



3. Reg. 1.

& diuitem Salomonem. Nam Salomon regnaturus in Hierusalem positus est super mala regis David: Christus autem pugnaturus contra diabolum, sedebat super pullum asinae. Ascendit ille tubis sonantibus, iste pueris canentibus. Ille latatus est regalibus phaleris indutus, iste fleuit propter periculum ciuitatis, in qua regnauit David triginta tribus annis. In quo quidem facto se a genus David pertinere monstrauit: qui patrum suorum hereditatem vendicans, templum Salomonis intrauit: quod etiam gloriosis signis & doctrinis illustrando honorauit, aegros sanando & populum docendo. Vnde & populus in aduentu Christi regis sui, multum congratulans clamabat: Benedictum, quod venit regnum patris nostri David: Osanna in excelsis.

7. Sed mirum videtur, quomodo populus simplex & indoctus de tam paupere rege non erubuit, nec de vili habitu suo offensus fuit. Nihil enim in eo de regia nobilitate foris claruit, sed sicut antea nudis pedibus & intecto capite incedere consueuit, ita nunc sine ornatu regio in urbem regiam pergit. Nec in eo scandalizati sunt, quia pauper aduenit: sed mentis oculos ad signa deitatis fixerunt, & plus de simplicitate habitus aedificati sunt. O Hierusalem, intuere humilitatem regis tui, & mansuetudinem, & iustitiam, atque paupertatem, super cunctos reges terrae. Quia ecce venit sine armatura virorum fortium, sine sonitu tubarum, sine equis & mulis, sine gladio & lorica, sine clypeo & lancea, sine arcu & sagitta, sine corona aurea, sine mitra, sine insula, sine cingulo, sine pallio, sine pileo, sine caputio, sine ocreis, sine freno, sine calcaribus, sine vexillo, sine sceptro, sine omni tumultu seculari & pompa militari. Omnia enim ista ad eius curam & usum non pertinent, qui contemptum mundi verbo & exemplo praedicare veniebat. Assumpsit autem in equitatu suo animal vile & subitigale, in signum paupertatis & innocentiae: ut ex humili gestu simplicius & amabilis magis appareret, quam rex terribilis & Dominus austerus. Associauit sibi pauperes & inermes homines, dimisit diuites & potentes: quia regnum suum non erat de hoc mundo, sed de caelo ab aeterno. Habuit multa contraria terrenis regibus & principibus: quia venit vocare humiles & pauperes, quales erant eius discipuli, quibus promisit dare regnum Dei, quod nemo poterit eis violenter auferre. Ad quod nos perducere dignetur per gratiam suam Iesus Christus, saluator mundi, rex gloriae: qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

VIGE-



## VIGESIMANONA.

*De equitatu Christi, non in curru Pharaonis, sed in asello  
humilitatis.*

1. **I** Te in castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam *Matth. 21.*  
alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi. Quid est  
hoc dulcissime Iesu, rex meus, & Deus meus: quod discipulos  
tuos pro asino mittis, & non pro aliquo equo; ad obsequendum  
tibi in via ista, quam sæpe nudis pedibus ambulasti? Cur te pau-  
perem & inopem in omnibus ostendis, cuius sunt omnia in celo  
& in terra, tam homines quàm iumenta? Cùm natus esses in  
Bethleem Iudæ, non grande palatium quæstisti, sed vile stabulum  
ad commorandum, & angustum præsepe ad quiescendum: &  
nunc pergens in Hierusalem, mittis pro asino tibi breuiter con-  
cedendo. Miror nimis & condoleo paupertati tuæ, quod rex om-  
nis terræ ita innocenter agis, & sine regali habitu procedere ge-  
stis. O Deus, nõ erat aliquis ex omnibus amicis tuis in Bethania  
& in Bethphage, quæ currum tibi præpararet, aut equum vnũ con-  
cederet: vt vel sic hon estius in Hierusalem equitares, & asinum  
istum relinqueres: Quis ex regibus sic fecit? Legitur in libris Re-  
gum, quod Salomoni adducebantur multi equi de *Agypto* ma- *3. Reg. 10.*  
gno precio empti: & quomodo accidit, quod nec vnus equus re-  
mansit, ad vsum aduentus tui? Rarum & nouum spectaculum, à  
seculo inauditum, regem seculorum in toto exercitu suo non ha-  
bere vnum equum, ad equitandum per breue spatium: sed tan-  
tum pullum asinæ, super quem nullus hominum sedit; qui nec  
fellam ad sedendum habuit, nec frenum ad tenendum. O mira  
Dei clementia! fessor aselli fieri dignatus est author seculi, cùm  
ad inclytam pergeret Hierosolymam.

2. Sed multæ sunt causæ, & valde rationabiles & virtuose, qua-  
re asinum conscendit, & non equum. Egit hoc Christus sapientia  
Patris, vt prophetia de aduentu suo impleretur non tantum verbis  
mysticis, sed etiam aliquo exteriori facto monstraretur homini-  
bus pro testimonio dando. Exemplum etiam maximum in hoc  
dedit veræ humilitatis & sanctæ paupertatis, ad comprimendam  
hominum superbiam & auaritiam: qui in honoribus & diuitijs  
ac magna familia delectantur, quærendo gloriam temporalem  
& comoda deliciarum. Si enim rex noster Dominus Iesus Chri-  
stus in comitatu suo pulchrum equum habuisset, quis tam pau-  
per esset, qui equitare non ambiret, & diceret, quia Christus sic  
fecit? Quare ergo mihi non licet? Proni sunt enim sensus homi-  
num in malum, & ferè omnes anhelant ad altum statum. Nunc



autem Christus rex humilis & mansuetus, contentus fuit venire in asino, sicut prædixit Spiritus sanctus de eo, qui super humilem & quietum requiescit, & colla superbiorum & sublimium propria virtute calcatur; qui dorsa regum subuertit, ac mentes peruersas & fictas declinat. Rex igitur noster, Deus ante secula, & homo natus in fine seculorum, talē se voluit hominibus exhibere in omni verbo, actu & gestu suo, à natiuitate vsque ad horā mortis: vt esset omnibus exemplum virtutis & sanctitatis, tam subditis quā prælatis. Ostendit viam veræ humilitatis in apparatu magne paupertatis, per quam ad cælestem Hierusalem recto itinere posset ascendere etiam quilibet pauper, sine equo, sine curru, sine asino, sine mulo, sine pera, sine pecunia, sine prælatura, sine bysso, sine purpura. Siquidem huius sancti itineris, ipse ductor, comes & præcessor; ipse tutor & gubernator, qui à Patre missus venit in hunc mundum, vt planam & leuem faceret viam humilitatis, qua securè venitur ad cælum.

3. Attendant hæc pauperes, & lætentur: audiant mites, & confortentur: quia ad consolationem pauperum rex noster Dominus Iesus Christus, cum esset diues & omnium princeps, pauper pro nobis factus est & patiens: vt sua paupertate nos diuites faceret in gratia, & de exiguis magnos in gloria. Ipse igitur in similitudine pauperis venit ad homines, pauper vixit inter homines, pauper obiit pro hominibus. Non habuit ciuitatem, neque castrum, neque domum propriam in hæreditatem præclaram: & tamen à pauperibus & simplicibus hodie honoratus est, & rex Israel aliiuocibus appellatus. Denique, vt cunctis mundi principibus paupertatis suæ nobilitatem innotesceret, atque amabilem faceret, pro equo superbix habuit pullum asinæ; pro ducibus & militibus, pauperculos discipulos, piscatores indoctos; pro armigeris & scutiferis, populos simplices, sutores & textores: pro cantoribus & tubicinis, pueros innocentes, osanna clamantes: pro gladijs & fustibus, ramos de palmis & oliuis: quæ erant signa lætitiæ & pacis, non pugnx neque litis. Venit itaque Christus rex nobilis & pacificus æterni Patris vnicus & dilectus filius; pacem cupiens reformare inter Deū & homines, inter Angelos & peccatores, inter Iudæos & Gentiles. Noli ergo timere filia Sion, sed gaude & letare Hierusalē, ciuitas sancta: quia nō venit te castigare, sed pro peccatis tuis orare: non legē soluere, sed adimplere: non locum destruere, sed à diabolica potestate eripere: non contendere verbis, sed instruere moribus: non aliquem opprimere per potentiam, sed saluare per clementiam: non querere vindictā pro iniuria sibi facta, sed venit pati crucem & mortem pro iniquitate commissa. Intellige ex miraculis eius, quantum eminent



sanctis omnibus Patriarchis & Prophetis. Et crede, quia verè est Dei filius. Patri coequalis, pro salute mundi ex virgine natus, pro redemptione omnium moriturus.

4. Considera ex operibus humanitatis eius, quia mitis est & humilis, gloriam mundi spernens, opprobria sustinens, pro malis bona retribuens. Ecce, qualis ipse, tales & serui eius. Elegit milites & barones ornatos virtutibus, non vestibus preciosis: qui sciunt contra diabolum orando certare, carnè ieiunando subiugare, & seculi diuitias & honores contemnendo vincere; sicut ab ipso didicerunt, & alios multos spiritualiter bellare docuerunt. His adiuncti sunt boni pueri, à malitia & cõtentione alieni, cãtantes & laudantes nomen Domini, quoniam magna est gloria Domini. A maiore enim vsque ad minorem, omnes in laude & gratiarum actione versantur; atque in conspectu & aduëtu regis sui, exultant corde, plaudunt manibus, tripudiant vocibus alius, benedicentes Deum super omnibus virtutibus & signis, quæ viderant & audierant de Christo rege in sinibus suis. O quã stupenda & laudabilis fuit ista deuotio, quã iucunda mentis iubilatio, cum humilis Iesus æterni regis filius, deducitur à pueris innocentibus in templum Salomonis, & in locum tabernaculi admirabilis. Vbi in figura suæ benedictæ passionis, offerebatur hostiæ pecuales à sacerdotibus Moysaica legis; qui tamen non potuerant perfecte quempiam mundare à delictis, secundum iustitiam carnis, sed secundum fidem offerentium, de spe in Christum donandæ salutis, firma expectabatur remissio & cõsolatio humanæ redemptionis. Nam post istam processionem, & magni honoris exhibitionem, paucis diebus transactis, ampliori confusione & pœnis est repletus, quã vnquam prius à turbis fuerat honoratus. Denique, multis iniurijs & verberibus affectus, in cruce est suspensus: vt veritas patesceret assumptæ carnis, & figura impleretur hostiæ legalis, de immolatione agni paschalis.

5. Hæc igitur duo opera Christi, processio videlicet & passio, recoluntur vbique hodie in sancta ecclesia: & habent in se magna mysteria, à sanctis doctoribus sufficiëter expressa. Nam status sanctæ ecclesiæ in his duobus designatur, quæ per prospera & aduersa solet à Deo frequenter exerceri. Processio, quæ lætitiæ præfert, ideo fit & celebratur cum ramis palmarum, ad excitandum corda fidelium in amorem cœlestium gaudiorum. Sed ista processio tunc perfectissime implebitur, quãdo omnes sancti excitati à mortuis occurrēt Christo in aëra cū corporibus gloriosis. Tunc Angelis canentibus, intrabunt electi in sancta sanctorum, tenentes palmas in manibus, & lâpades ardentes oleo plenas.



Tunc recipient singuli præmia æterna, pro laboribus & meritis suis, contenti optimè in mansionibus à Deo sibi paratis. Passio autem, quæ processionem sequitur, hoc indicat. Quia per crucem & passionem Christi, & per multas tribulationes pro Christo, via nobis ostenditur, qua ad regnum Dei post mortem pervenitur. In quo cum Christo in æternum gaudebunt, qui nunc passionem eius deuotè recolunt, ex compassione gemunt, ex amore lachrymas fundunt, ex imitatione carnem macerant, pro gratiarum actione preces offerunt: Missas libenter audiunt, cum metu & reuerentia celebrant; à vanis & ociosis abstinent, diuinæ gratiæ per cordis custodiam se præparant; & in commemoratione passionis Christi, sedulè ac tristè meditando, legendo, laborando, sustinendo, piè in eo animum exercitant: vt Christi passionibus in præsentem medullitus conformati, in futurò celsius glorificentur. Cum enim venerit Christus remunerare labores omnium electorum suorum, tunc omnes absterget lachrymas ab oculis eorum. Processio præsens breuem habet letitiam, sed processio futura sanctorum, perennem obtinet laudem. Nulla quippe felicitas solemnior, nulla societas iucundior, nulla delectatio maior, nulla contemplatio excellentior, nulla felicitas dignior, quam Christum videre in gloria sua cælesti, cum Angelis sanctis, congregatis in superna & beatissima ciuitate Hierusalem; omnibus electis in secula seculorum cum Christo regnaturis; impijs & infidelibus, æternis ignibus cum diabolo traditis ac iustè damnatis. A quibus malis nos custodiat & præferuet, sed cum electis suis potius congreget, & ad dexteram in regno suo constituat, qui per passionem & crucem nos redimere dignatus est Iesus Christus Dominus noster. Amen.

## TRIGESIMA.

*De resurrectione Christi, & spirituali consolatione animæ.*

**I.** *Resurrexi, & adhuc tecum sum; Alleluia.* Vox Christi est ad Ecclesiã, & ad quamlibet fidelem animam, de eius passione nimis tristem, & quasi omni consolatione priuatam. Hæc igitur Christus à morte resurgens, in spiritu alloquitur: hanc iucundo oris sui affatu benignissimè consolatur, dicens: Resurrexi, & adhuc tecum sum. Non sum tui oblitus, sed memor sponsonis meæ, tanquam victoriosissimus mortis triumphator tibi appareo, & æternæ felicitatis gaudia denuntio; quatenus mihi congratularis de ineffabili resurrectionis gloria, quæ recepi: quia hæc nunquam amissurus sum, nec ultra moriturus. Multum quidem hæc æterna die de passione mea doluisti & fleuisti, sed iam noli diutius flere,



fere, quia resurrexi verè; & adhuc tecum sum presentia maiestatis, qui passus fui ex infirmitate carnis. Iam altiori gloria coronatus, & immortalitatis lumine sum amictus, qui pridie pepedi in cruce, morte turpissima condènat. Iacui triduo in sepulchro, sed nunc viuo ego, dicit Dominus redemptor tuus, vt tu viuas propter me.

2. Ego hodie resurrexi à mortuis, per gloriam Patris & tu resurges in nouissimo die cum electis meis, virtute diuina de tumulo excitandus, & pro meritis tuis coronandus. Iubila ergo in voce exultationis, & cum magna gratiarum actione persolue deuota cantica laudis alleluia canendo, atque teipsum ad superna festa erigendo. Corde & voce simul lætare filia Sion, quia trāsijt hora temporalis tristitię, & redijt dies perennis latitię, spes glorię tuę futurę. Tristentur Iudæi, qui me crucifixerunt: confundantur Gentiles, qui me deriserunt: timeant omnes, qui in me credere noluerunt. Lætentur verò fideles, qui me diligunt: confortentur vniuersi populi, qui meam passionem audientes doluerunt & fleuerunt. Accedant ad me discipuli, qui dispersi fugerunt, & inter tormenta me reliquerunt. Veniant ad me humiles & deuoti, procedant sacerdotes & ministri albis induti. Accedant ad mensam meam, cum summa reuerētia singuli Christiani: & celebrent omnes populi hanc diem paschæ, in qua resurrexi.

3. Ego enim sum resurrectio & vita. Ego sum panis viuus de celo descendens, qui præsto vitam mundo. Ego sum pastor bonus, qui pascio oues meas simplices & obedientes, voluntatem propriam relinquentes, & meam in omnibus sequentes. Ego sum manna absconditum, gaudium Angelorum, pascha Christianorum, felicitas Sanctorum: Angelos aperta visione lætificans, & homines in terra sacramento meo communicans. Noli ergo turbari, quasi in mūdo despectus. Noli contristari, quasi à Deo derelictus. Noli timere, quasi ab inimicis vallatus. Nō te deserui, nec deferam. Non te abieci, nec abijciam. Sed in multis te probabo, & per varias tentationes te ducam, & quasi aurum igne examinabo te & purgabo. Et in tempore tribulationis apparebo tibi, & cōsolabor te presentia mea: deuotionis gratiam infundēdo vino compunctionis primò te potando, deinde oleo lætitię vngendo: vt lachrymas fundas, & mirabilem dulcedinem sentias, ac totus ignescas & liqueas. Sic sic consolabor lugentes super me, in hac lachrymarum valle, qui à leuitatibus se auertunt, & ad interiora sua conuertuntur. Cura mihi est de te, & oculi mei ad fideles meos; vt sedeant mecum in regno Patris mei, & videant claritatem meam, quam æternaliter habui, & amicis meis præparaui. Dabo eis mercedem plenam, quando ex mortuis resurgent etiam  
ipfi



ipsi gloriosi & incorrupti. Propterea mortē pertuli, infernū confregi, diabolū vici, sanctos patres de limbo eripui, paradisi portas aperui, vt omnes electos in æternā beatitudinē introducerem.

4. Sed non estimes te ab hac alacritate discretum, nec à felicitate Sanctorum societate alienum. Quia licet adhuc mortalitate circumdatus es, & inter tentationes viuas, tamen postea visione meā perfrueris, si fidelis & constans permaneris, vsque ad finem vestigia mea sequendo: sicut & ego permansi in dilectione Patris mei, vsque ad mortem obediendo. Esto ergo fortis in tentatione & patiens in omni tribulatione, vt confors fias æternæ gloriæ meæ: Nec desperes quacunque aduersitate imminente, & omni humana consolatione recedente. Non soleo tristem præterire, nec orantem spernere, sed ad me clamantē cū gemitu clementer exaudire. Probo certantem, coronabo perseverantem. Permitto ad modicum tribulari mihi dilectum, & dum minus æstimat, aut indignum se reputat aliquo solatio, subito appareo, & illum igno- rantem. Feci sic cum discipulis meis, & cum dilectis visitatricibus sancti sepulchri mei. Nam illi in tristitia magna fuerūt, omnem spem perdidērunt, nullum solatium sciebant, quid agerent, quōve abirent, ignorabant. Nil dulcius eis interim erat, quā amarē flere, & sæpius quærere, si aliquid de me percipere potuissent. Sed dum omne humanum auxilium defecit, affuit mox diuinum. Et multo felicius eis contigit, quā æstimare potuerunt. Nam feci Angelos meos præire, qui bona noua dicerent, ne diutius inconsolati remanerent, sed erecti in spem vitæ, regem gloriæ expectarent.

5. Distuli igitur citò apparere, vt desiderium quærendi cresceret, & purgatiores ad videndum fierent: quatenus me viso, amplius gauderent, deuotius constringerent, & reuerentius adorarent. Sciebam tempus & modum consolandi tristes, & quantum capere possent mortalium mentes. Non ergo despexi vota piorum, nec recufauī laborem afflictorum: sed probaui fidem, instruxi ignorantiam, confortauī pusillanimitatem, accendi amorem, repuli timorem. Igitur flendo, orando, quærendo, pulsando, perseverando, meruerunt videre quem desiderabant. Et ego impleui verbum meum, quod prædixi; *Quia iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Tu ergo hac audiendo, prepara te ad deuotionis gratiam: expecta patienter donec veniam, & iterum visitem cor tuum, ab omni molestia te liberando, & in nouæ exultationis statum perducendo. Tunc poteris lætanter psallere & experimentaliter cognoscere, quā verus & iucundus sit introitus iste. Resurrexi, & adhuc tecum sum. Allcluia.

IOAN. 16.

TRI-



De gaudio Dominica resurrectionis.

**H**Æc dies quã fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. *Ma-* *Psal. 117.*  
 gnium quidem gaudium spirituale administrat nobis tam  
 solemne festum Paschale. Gaudendũ est igitur in eo, non secun-  
 dũm carnem, neque secundũm seculi vanitatem, sed secundũm  
 Deum, in azymis sinceritatis & veritatis. Iam amplior gratia  
 est petenda, & puritas sincerior obseruanda. Iam per nouæ con-  
 uersationis studiũ, in cœleste desiderium animus est transferen-  
 dus. Fecit enim nobis Dominus ( iuxta de causa ) hunc diẽ cele-  
 berrimum atque sanctissimum, ad lætandum in eo præ omnibus  
 festiuitatibus anni. Dicant nunc omnes, dicant singuli: Ave cla-  
 rissima dies, quæ illuxit nobis, post terras inferi noctes. Ipse nã-  
 que Dominus noster Iesus Christus, Rex gloriæ, & princeps re-  
 gum terræ, hodie resurrexit à morte; & omnibus in se credenti-  
 bus per orbem fidelibus contulit spem vitæ æternæ. Eo siquidem  
 resurgente cum carne, quam sumpsit de Maria virgine, & pro no-  
 bis obtulit in cruce, deletum est chiropaphum damnationis no-  
 stræ, & æternitatis nobis aditus deuicta morte referatur. Aperi  
 ergo os tuum anima deuota, & canta voce sonora cum vniuersa  
 Ecclesia catholica, in vera cordis lætitia: *Hæc dies, quam fecit Do-* *ibidem.*  
*minus, exultemus, & lætemur in ea.* Alleluia.

2. O verè dulcis & notabilis versus, qui tam iucundè psallitur,  
 tã sæpè in horis canonicis repetitur, & suis notulis deuotionem  
 excitat, & dispersos recolligit, & ad amorem Christi avidissimè  
 trahit. Ausculta igitur non tantũ melodium foris bene sonan-  
 tem, sed sensum sanctorum verborum animaduerte intus laten-  
 tem; & per dulcedinem cantus ascende ad interiora mentis, ne  
 perdas fructum laboris per claritatem vocis: qui in Spiritu sancto  
 iuberis Deo psallere, & soli Domino in corde iubilare. Beatus qui  
 in his bonis versatur, & totam intentionem suam ad interni festi  
 gaudia conuertit, quatenus per temporalia festa ad æternam glo-  
 riam tendat, sicut Apostolus dicit: *Sì consurrexistis cum Christo,* *Coloss. 3.*  
*quæ sursum sunt, querite: quæ sursum sunt, sapite, non quæ super ter-*  
*ram.* Nescio, quid lætius & festiuius in toto anno cantatur, quàm  
 quod in his diebus paschalibus agitur. Nam vox & cantus om-  
 nium, alleluia crebrius resonant, & omnia cum alleluia termi-  
 nantur. In qua re figuratè nobis indicatur, quid in æterna vi-  
 ta acturi sumus: quando de præsentibus ærumnis erepti, & in  
 cœlestem requiem translati, Deum laudabimus cum Angelis  
 sanctis in æternitate summo bono repleti. Dignè ergo ac  
 ync-



venerabiliter cælum & terra, cum omni plenitudine sua, in resurrectione Christi latantur, & Deum laudare iubentur: per quem nobis tam preciosa bona spiritualium charismatum collata sunt & adhuc maiora & altiora in fine reddentur.

3. Ecce iam elementa hyemali frigore constricta paulatim aperiunt, & ad sequentem festiuitatem quadam vernali amoenitate se disponunt. Terra namque diu sterilis & inculta fecunditatem virtutis suæ patenter ostendit, ac læta gramina parit. Arbores & virgulta suauissimos flores emittunt, & virentibus folijs tæquam nouis vestibis adornantur. Volucres cæli gelu tristi terro dulciter iubilant, & per agros ac nemora volantes, serenitatem aëris ac vbertatem messis redire congaudent. Sol & luna astraque superna clariùs sua lumina spargunt. Nulla quippe creatura iam cernitur, quæ Christo resurgenti sua renouatione non applaudit. Cum ergo tanta iucunditas est in elementis, quanta exultatio debet esse Angelis & hominibus, cæteris creaturis mundi pralatis? Verè hæc est dies, quam fecit Dominus; sicut apertissimè nobis ostendit per scripturas, per figuras, per prophetas, per Angelos, per Apostolos & Doctores, eius resurrectionem contestantes & prædicantes. Et vbi omnia concinunt, & tam summa quam infima idem affirmant, nullum iam dubietatis motiuum debet in corde residere: quia omnipotens Deus potens est, supra id quàm intelligere valemus, plenissimè facere, & de non ente nouum effectum producere.

*Psal. 117.*

4. Igitur Christum in carue nunc glorificato, & vniuerso mundo denuo renouato: & tu homo mortalis glorifica Deum, & renouare in spiritu mētis. Gratias age semper redemptori tuo, pro donis suis immensis, tibi & vniuersis fidelibus distributis. Erige fursū oculos cordis, intuere iter, quò præcessit Iesu salutare vultus tui: sequere eū passibus amoris, vsque ad introitū cæli. Habes enim ante te speculum omnis sanctitatis, & lumen vitæ cælestis: securè gradere post Iesum, æternæ beatitudinis largitorē, cæli & terræ dominatorem. Nemo sanctior illo, nemo purior, nemo præclarior, nemo ditior, nemo potentior. *Data est mihi, inquit, omnis potestas in cælo & in terra.* Igitur fides tua in Christo Iesu firmiter stet, spes floreat, charitas tripudiet. Viriliter age & confortare; pugna contra carnem, contra mundum, contra diabolum & Angelos eius, nullius aduersæ potestatis impetum formidando. Vicit enim leo de tribu Iuda, cuius iræ nemo resistere potest, nemo manus eius euadere quibit, quia omnia subiecta sunt pedibus eius. Nunc cælum gaudet, terra plaudit, Satan dolet, mors fugit, nec vltra dominabitur Christo. Sub tali igitur rege tutū est militare: sub tali pastore iucundū est stare, pasci & informari, subijci &

*Matth. 29.*



& gubernari, qui nullius indiget, & omnibus bonis abundat.

5. Imitare ergo & tu regem regum, Dominum Deum tuum resurgentem à morte; ut de cætero ambules in nouitate vitæ melioris, calcando vitia, obliuiscendo mala præterita, non ad solitas ineptias reuertendo, sed ad cælestia desideria feruentius te erigendo. Nam Christus deuicta morte non redijt ad inferos, sed uisitatis necessarijs amicis suis in terris, ascendit lætanter ad cælos, supra Angelicas potestates formam serui librans & exaltans; per gradus humilitatis, & debitæ subiectionis ministerium, docens ascendere in gloriam æternæ felicitatis. Si igitur desideras cælitus consolari, & cum Angelicis spiritibus perpetuò lætari, fuge carnalem delectationem, quæ generat mortem; quære spiritalem animæ refectionem, quam Christus præparauit accedentibus ad preciosi corporis sui mensam, omnibus corporalibus epulis dulciorem. Nisi enim verus homo cū actibus suis totaliter exuatur, cælestis dulcedo intrare non potest. Et nisi caro fuerit spiritui subiecta, & omnis terrena cura postposita. Paraclitus promissus non ueniet, nec agni paschalis esus intus reficiet. Ut ergo interiora nostra plena sint gaudio spirituali, omnis malitia & nequitia tolli deberet à corde: ut quasi modò geniti infantes, ambulemus in nouitate vitæ, lachrymis abluti, & stolis albis induti. Sint proinde mores nostri humiles & maturi, oculi stabiles, & affectus puri, voces alacres, aures ad diuina uerba erectæ, & omnes sensus undique bene muniti. Adfunt enim Angeli sancti ministri Domini, considerantes actus nostros: quis citius surgit, quis deuotius orat, quis alacrius psallit, quis Iesum feruentius querit. Absint ergo rumores sæculi, uitetur fabulæ leues, sint sermones ædificatiui, ut dent gratiam audientibus cunctis, & pro his benedictionem bonæ collationis recitator mereatur. Replicentur gesta Saluatoris de Iesu Nazareno; bonus rumor in medium ueniat, qui omnes lætificet & delectet.

6. Crucifixus à mente non recedat, Christus resurgens ubique occurrat. Et si nondum oculis cernitur, crebris tamen gemitibus secretè tangitur: & donec se reuelauerit oranti, à monumento eius non recedatur. De Angelis sanctis inquisitio fiat, qui clara eius uisione semper fruuntur: ut ipsi nobis indicent, ubi Dominus sit, aut orent pro nobis, quatenus tristibus apparere dignetur; ut sua dulcissima gratia, mœrentium corda consoletur. Utinam Domine Iesu, accendere digneris cor meum, ad quærendū te cum Maria diluculò, & in fide confortare, qui insufflando Spiritum sanctum Apostolis dedisti. Aperi mihi sensum scripturarum, & in omnem, sicut promissisti, induc ueritatem: qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

TRI-



*De mystico Pascha nomine, & noua vita conuersatione.*

1. Cor. 5.

**P**ascha nostrum immolatus est Christus. Sacrum Pasche nomen celeberrimum est & notum apud fideles, cuius mysterium honorari maximè debet inter Christianos. Pensem igitur omnes, quid pro nostra salute gestum est & institutum. Designat enim Pascha vocabulum Domini transitum: quia Christus hodie de morte rediit ad vitam, de mundo migravit ad cælum; & doceret nos terrena despicere, & amare cælestia. Altas igitur laudes debemus celesti Patri, qui conuiuificauit nos in dilecto filio suo, in carne passio & crucifixo, cuius liuore sanati sumus, & ab æterna morte eius innocenti passione liberati, atque iterum de gloriosissima resurrectione eius magnificè lætemur.

2. Præcessit dolor diræ mortis in Christo, soluens inimicitias præuaricationis antiquæ, & omnes abluens maculas culpæ nostræ. Sequuta est inenarrabilis lætitiæ dulcedo, & gloriæ perennis celsitudo: quæ omnibus in Christo per baptismum renatis dabitur post huius mundi exilium, tanquam reuertentibus ex Ægypto ad paradisi gaudium. Nam per veri agni immolationem, liberatus est spiritualis Israël de captiuitate diabolice dånationis: & nouus Dei populus, in libertatem cælestis habitationis transijt. Quia Christus resurgens ex mortuis, verus pascha in nouum conuertit, & temporalem vitam transtulit in sempiternam. Bene ergo Apostolus dicit, & sancta mater Ecclesia gaudentes ubique decantat; *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Semper igitur memores esse debemus dolorosæ Christi passionis, nec nõ tam iucundæ eius resurrectionis, pro consolatione nostræ mortalitatis. Vt per patientiam multarum tribulationum pro Christo, spem habeamus & fiduciam perpetuè regnãdi cum ipso. Studeamus nunc in hoc sancto & læto tempore, in nouæ conuersationis desiderium resurgere: & cum spirituali gaudio, laudes Deo iubilare. Potens est enim Christus nos amplius iuuare, & in cælestis vitæ desiderium feruentius inflammare.

3. Obscurat autem claritatem festi paschalis, quicumque ad esum carniũ magis anhelat, quàm ad communicationem preciosi corporis Christi, in quo fons totius suauitatis & refectio animæ continetur. Quoniam quidem sine hoc sacratissimo cibo, inops est & arida omnis mensa diuitis lautè parata. Sicut enim melior est anima omni corpore, ita Christus, qui est cibus animæ, excellit omnè saporem in suauitate. Et quamuis iam propter dominicæ resurrectionis solemnitatem amplius sit exultandum,

*Ibidem.*



& meliores cibi licentiùs concedantur: debet tamen vsus epularum esse moderatus, & cum timore Dei appetitus carnis refrenari. Hoc enim prodest corporis & animæ salutis, & aptior fit homo ad laudes Dei. Non ergo te vincat concupiscentia carnis, sed per deuotionem mentis vince in virtute Spiritus sancti, quicquid corporalis delectationis tibi per se sùs occurrit. Beata illa anima, quæ odore vnguentorum Christi trahitur ad cæleste conuiuium degustandum; & cum Psalmista clamat, & dicit: *Delectationes in dextera tua vsque in finem. Satiabor autem, cum apparuerit gloria tua.* Falluntur certè omnes insipientes corde, qui omisissis veris & cælestibus bonis, consolationes quærunt in terrenis: & sine freno iusti moderaminis inhiat multis possidendis. *Non est (inquit Apostolus) regnum Dei esca & potus; sed pax & gaudium in Spiritu sancto.*

4. Quis est ergo, qui pascha in spiritu celebrat? qui de vitijs ad virtutes transmigrat: qui de veteri vita & mala consuetudine in nouæ deuotionis statum surgit. Quis est, qui pascha dignè honorat? qui seculares honores spernit, & gloriam Christi in cunctis bonis actibus suis quærit. Quis est, qui hædum ad vesperum paschæ immolat? qui de peccatis suis verè pœnitet, & de cætero peccare desistit. Quis est, qui agnum assum cum lactucis manducat? qui Christum in cruce passum dolenter cogitat, & innocenter viuendo se castigat. Quis est verus Hebræus, qui mare rubrum transit? qui de sensu carnis ad suauitatem spiritus pergit: & ea quæ retro sunt obliuiscens, ad anteriora se extendit. Quis est verus Abrahæ filius? qui de timore seruili in libertatem filiorum Dei proficit. Quis est verus Iesu discipulus? qui omnibus terrenis perfectè renunciat, & propriam voluntatem suam relinquit. Quis est dignus sedere ad mensam Christi? qui sponte se humiliat pro amore Christi. Quis est aptus intrare regnum cælorum? qui regnum mundi & omnem ornatum seculi contemnit, hic est amicus Dei, ciuis cæli, & dominus mundi. Quis est idoneus contemplari faciem Christi, & penetrare secreta cæli? qui mundus est corde, seruidus in oratione, ac totus internis deditus. Quis Deo dilectus & acceptus? qui abiectus est in oculis suis, & vilipendit omne quod transit.

## TRIGESIMATERTIA

*De ascensione Iesu in calum.*

1. **A**scendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum: *Abelsia.* Benignissimus Iesus inquerentiū consolator,



*Ibidem.*

solator, postquam resurrexit à mortuis, per fidelissimam amantem suam Mariam Magdalenam, nouæ salutis gaudia mandantur nuntiari discipulis suis, de morte sua vehementer contristatis, inquit: *Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* O verè dulce & cæleste verbum, lætitia & amore plenum! Quid ita iucundum fidelibus ad audiendum, sicut ascendit Domini in cælum? Sicut transitus Iesu ad Patrem, ad interpellandum pro nobis, vt securi veniamus ad eum, quæ offendimus in multis? Cum enim peccata nostra separant inter nos & Deum, quomodo poterimus reconciliari, nisi per mediatorem Iesum Christum? Per quæ accessum habemus ad Patrem, qui pro nobis debitum soluit peccatorum, & præparauit locum ad manendum secum in regno cælorum. *Ascendo (inquit) ad Patrem meum & Patrem vestrum.*

*Ibidem.*

2. O miranda dignatio Dei ad homines pauperulos, & discipulos fugitiuos, ad oues dispersas, & in desperatione positas! Non præfert nomen potentia suæ: non terret eos comminationis verbo: non improperat crimen læsæ maiestatis, nec obiurgat eos de scelere infidelitatis. Sed memor innata pietatis suæ, præterdit misericordiam, & suspendit vindictam: atque post granem excessum & meticulosam fugam exprimit fraternæ dilectionis dulcedinem, & charitatem indeficientem ad omnes expandit, ita

*Ibidem.*

inquit: *Dic fratribus meis.* O melliflua dulcedo indulgentissimi Iesu, in omni conuersatione tua! Qui cum potens sit, & grauius ab amicis & subditis offensus, non misit tortores suos ad trahendum reos in carcerem, nec ab officio collato aliquem deposuit, sed tanquam bonus pastor, qui proprias oues diligit, condole eorum infirmitati, & cõsulit salutem: nunc quidem per Angelos se reuelat, nunc per Mariam ex suo nomine specialiter mādāt nuntiarī tribus fratribus gloriam resurrectionis suæ, dicens: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum.* Dulcis magister dulcia loquitur verba: & fratres eos nominat, qui ipsū prius offenderant: vt ampliùs charitatem suam commendet, qua eos vsque in finem dilexit. Nam primò quidem de seculi vanitate eos ad fidem suam conuertit: magna miracula inter eos operatus est; immensa beneficia eis ostendit: viam veritatis eos docuit, & ad Apostolici gradus honorem præ omnibus Sanctis elegit. Et hos post tentationis turbinē & lapsus infirmitatē reuocat ad penitentiam, & in feruentiorem sanctitatis erigit statum, atque visionis suæ dignatione lætificat; apertis documentis, & passionis suæ stigmatibus ostensis, cõfirmat in fide vacillantes, vt fortius resurgant; præbens eis iter, quò ascendere debeant ad immarcescibilem gloriam. *Ascendo (inquit) ad Patrem meum.* Si diligeretis me, gaudetis

*Ibidem.**Ibidem.*



gauderetis utique in hoc verbo: quia vobis proderit, quod ascendo ad Patrem, qui me misit, ut praeparem vobis locum, in regno Patris mei; ubi gaudebitis cum vniuersis electis meis in aeternum. Nolite ergo turbari, nec de recessu meo nimis contristemini. Ego pro vobis Patrem rogabo, ut dimittantur vobis peccata vestra. Ego confortabo vos inter aduersa. Ego consolabor in huius mundi exilio. Ego coronabo vos in caelesti regno; ubi gaudium vestrum erit plenum, & ab omni hoste securum. Placuit enim Patri meo vobis pauperibus & humilibus dare regnum Dei; qui spre-  
 tis mundi illecebris, vestigia mea sequuti estis.

Luca 13.

3. Ex hoc iam tempore, Christo assumpto in Patris gloria, erecta sunt corda Apostolorum ad caelestia, & sursum magis ire gaudebant: sperantes quod deposito carnis onere, ipsum sequerentur ad gloriam. Magna siquidem fiducia inerat eis perueniendi ad regnum supernum, qui calcatis infimis pauperem vitam ducebant pro Christo. Habebant insuper promissum sibi Spiritum sanctum, cuius munere firmati, nec vincula, nec carceres, nec horrida mortis supplicia, pati timuerunt. O felix & gloriosa ascensio, qua humana natura super omnes Angelos est exaltata; & ruina perditorum Angelorum, per numerum electorum hominum Christi sanguine signatorum, instauratur.

4. Attende igitur nunc & tu anima fidelis, quae ista legis, ut Christum sequaris passibus amoris. Quia corporalis Christi ascensio in caelum, spiritalis est eleuatio mentis in Deum. Non ergo ultra te delectet inhabitatio vitae praesentis, sed potius inuitet mansio caelestis cum Angelis sanctis. Vbi a laboribus & angustiis cunctis requiescunt animae Sanctorum, contemplan-  
 do faciem Christi in secula seculorum. Rumina saepe dulce verbum Christi, quod dixit discipulis suis ante passionem: *Quia vado parate vobis locum*. Et recordare, quia non habes hic manentem ciuitatem. Suspira ex intimo cordis propter multa obstacula retrahentia a caelestibus: & pete a malis praesentibus liberari, & ad Christum celerius peruenire. Hoc enim multo melius, quam hic quotidie contra vitia certare, & de varijs periculis semper timere. Clama cum sponsa in Canticis, & dic, *Trahere me post te*. Vbi omnia bona  
 & laetitia sine fine. Sed heu nondum venit hora ista iucunda, nondum est tempus regnandi, sed patiendi. Ideo expectare oportet tempus remunerationis a Deo praefinitum, & orare indefinenter, donec adueniat regnum Dei, de quo frequenter loquutus est Iesus cum discipulis, antequam ascenderet in caelum: quatenus auditis promissionibus gloriae perennis, tolerabilia fiat certamina vitae praesentis. Et tanto magis animus inardescat ad caelestia, quanto durius affligitur in hac vita. Quia hoc est euidens signum in electis,

Ioan. 14.

Hebr. 3.

Cant. 5.



Luca 24.

pro adeptione perpetuę salutis, si sustineant patienter tribulationes & labores pro nomine Christi. Nam oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.

5. Ideoque per patientiam & laborem itur ad requiem: quia Pater nullum recipit in cælum, nisi per passionem & crucem in qua quies fuerit filium suum dilectissimum, quem tradidit pro peccatis nostris crucifigendum. Leua igitur cor sursum, aspice verum cælum, considera quò abiit dilectus tuus. Expãde post eum manus tuas, ora flexis genibus & crebris gemitibus, vt mittat tibi Spiritum sanctum paraclitum in cor tuum aridum & frigidum; qui accedat & dirigat ad omne bonum alacriter perficiendum. Amen.

## TRIGESIMA-QUARTA.

In festo Pentecostes, de donis Spiritus sancti.

MAT. 2.

**R**epleti sunt omnes Spiritu sancto, & ceperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Hodie in sancta Ecclesia, gloriosa, Spiritus sancti solemnitas celebratur. Hodie vortius gaudijs vbique conuentus fidelium lætatur, chori Clericorum in hymnis & psalmis iubilant, sacerdotes Missas celebrant & omnes pariter in aduētū Spiritus sancti, Deum altissimè laudant. Hodie namque Apostoli Spiritum sanctū in linguis igneis manifestè acceperunt, & statim intus per amorem suauiter asserunt, & foris verbum Dei fiducialiter prædicauerunt. Hodie cepit fides Christiana publicari, & numerus credentium in Hierosalem augmentari. Hodie facta est lætitia magna in populo, & per Apostolos fiebant multa signa super infirmos. Nam ab exordio mundi, non est audita tam larga donatio Spiritus sancti. Hodie sancta Religio & Apostolica vita sūpsit inītiū, quę deinceps facta est omnium rēligiosorum sanctitatis speculum, & absque proprietate norma in commune viuendi. Hodie sancti Apostoli in charitate Christi ita cōfirmati sunt, & in gratia Spiritus sancti clarificati: vt nullis aduersitatibus frangi, nullis prosperis emolliri, nullis erroribus seduci, nullis rationibus ab integritate fidei valerēt separari. Hodie homines humiles & simplices facti sunt sapientes, & pauperes piscatores efficiuntur magni doctores: & quod in scholis non didicerunt disputando, hoc de cælo acceperunt deuotè orando. Hodie viri illiterati & timorati facti sunt eloquentes & robusti: & qui vnā linguam tantum nouerant, docente Spiritu sancto, omnium linguarum vocibus theologizant. Hodie homines terreni facti sunt cælestes, & qui erant prius despecti, sunt omni nationi sub cælo mirandi: & qui pa-

rum



rum vel nihil scire putabantur, ex lege & Prophetis testimonia de Christo proferunt & exponunt. Hodie Angelica vita orta est in terra, & novum cælum apparuit in mundo: quia de carne ad spiritum, de tepore ad feruorem, de terra ad cælum, didicerunt fideles erigere mentem.

2. O quam feruentes fuerunt, qui tam paucis contenti erant. Quam deuoti & obediētes extiterunt, qui Apostolicis consilijs sponte se subdiderunt! Hæc sunt opera Spiritus sancti, qui corda fidelium de diuersis nationibus in vnam fidem congregauit, spe æternorum bonorum ad caelestia erexit, atque amoris sui facibus repente inflamauit. Ab his sanctis Apostolis primitiua Ecclesie fundata est, & per orbem dilata, sacris doctrinis imbuta, & multis miraculis valde confirmata. Ab his sanctis Apostolis & Apostolorum sectatoribus, olim sancti eremita perfectæ abrenuntiationis formam primitus acceperunt, & plures post se discipulos in exemplum nobis reliquerunt. Ab his etiam Apostolicis viris & Deo dilectis eremitis gloriosus pater noster Augustinus doctor eximius ad contemptum mundi peruenit: qui postmodum presbyter & Episcopus factus, monasterium clericorum instituit: cepitque cum multis Dei seruis secundum Apostolicam vitam in communi viuere; quibus & regulam suam, quam scripsit, tradidit obseruandam. Simili modo sanctus pater Benedictus, Apostolicæ vitæ imitator strenuus aliam edidit monasticæ disciplinæ regulam, virtutibus plenam, per quam monachi religiosè viuētes, feliciter tenderent ad æternæ beatitudinis gloriam. Sed & alij quam plures religiosi viri, gratia Spiritus sancti inspirati, Evangelicæ perfectionis consilia imitari cupientes, in diuersis mundi partibus sacre religionis ordines instituerunt. Et tantam gratiam a Deo consequuti sunt, vt Apostolicis fulgerent signis, & sanctam Ecclesiam doctrinis illuminarent & exēplis. Merito ergo cuncti fideles diem hunc sanctissimum deuotione præcipua honorare debent, & Spiritus sancti gratiam inuocare; vt eius visitatione mereantur imbui & consolari, eius amore accendi, eius rore ab omni vitiorum sorde purgari.

3. Omnes namque sancti & electi ab origine mundi, huius sancti Spiritus inspiratione ad diuinum cultum tracti sunt, & ab erroribus Gentilium reuocati: & quicumque, charismata diuina acceperunt, in humilitate Deo maximè placuerunt. Adhuc etiam Spiritus sanctus operatur in fidelibus suis multa bona charitatis opera sibi grata alijsque proficua: etsi non aperta miracula, tamē frequenter internæ deuotionis præstat solatia. Aperit quoque orantibus & attentè psallentibus, sanctarum scripturarum arcana, quæ sunt cognitionis & dilectionis sue signa verissima. Cōfert &



contra multiformis humana fragilitatis tentamenta, spiritualium fortitudinis remedia sancta. Ipse quippe est, qui fideles suos per sacra eloquia erudit, per praelatos regit, per Sacerdotes sacramenta ministrat; ne in huius vite peregrinatione a recto itinere declinent, & in laboribus deficiant. Ipse compungit cor hominum peccatis preteritis, arguit de negligentibus quotidianis & minoribus defectibus: nec patitur morari culpam maculae leuis, in conscientia animae fidelis. Ipse excitat ad innouandum feruorem, ad deuote orandum, ad studiosè legendum, ad promptè obediendum ad humilia sectanda, ad exercitia deuota seruanda. Ipse retrahit a terrenis, inuitat ad quietem cordis, increpat de verbis leuibus. Mitigat iram, expellit libidinem, tollit inuidiam, reprimat gulam. Suadet vitare acediam, tenere disciplinam. Docet quid agendum, quidve cauendum sit intus & foris. Ipse adest tribulatis corde, consolatur humiles, erigit pusillanimes; exaudit gementes, miseretur flentibus, veniam tribuit poenitentibus.

4. Quotiescunque igitur tribularis vel tentaris, ad caelestis auxilium protinus recurre, Spiritus sancti gratiam humiliter inuoca; omnem anxietatem tuam ei expone, atque totaliter pietati eius te committe. Vt pro suo beneplacito & honore, cuncta gramina tua, ad vberiore animae tuae profectum, misericorditer ordinet, & ad salutarem finem omnia perducat. Ipse enim omnia nouit, omnia scrutatur & penetrat, & nihil sine causa tibi contingere permittit: flagellat & medetur, humiliat & exaltat. Haec namque specialis est operatio Spiritus sancti, in hoc fragili corpore multis miseris infecto; vt per veram contritionem purgentur macula peccatorum; vt mala praeterita conuertantur in humilitatem ampliorem, atque bona incepta crescant ad perfectionem. Quatenus nullum tempus sine spirituali fructu transeat, sed omnis actio, sermo, & cogitatus, ad honorem Dei & beatissimae Trinitatis gloriam tendant & perseuerent. Quae nobis orantibus largiri dignetur Spiritus sanctus sua benignissima gratia, qui Apostolorum corda largissimè impleuit die hodierna. Amen.

### TRIGESIMA-QUINTA.

*De consolatione Spiritus sancti.*

1227. 14.

**E**go rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis. Cum esset recessurus Dominus noster Iesus Christus corporaliter a discipulis suis, promisit de sua absentia contristatis spiritualem consolationem sancti Spiritus: qui nunquam ab eorum cordibus recederet, sed in aeternum cum ipsis permaneret. O quam beata promissio Christi, non de laetitia mundi, sed de consolatione Spiritus sancti! Quae tam preciosa est & suavis, vt nihil ei comparari possit.



possit in rebus humanis. Habebant sancti Apostoli magnam consolationem in humanitate Christi, audiendo palam ex ore eius eloquia diuina, & videndo oculis suis stupenda miracula. Ideoque non immerito de suo recessu tristabantur tanquam orphani à dulcissimo eius consortio separandi, timentes inter prauitates & scādala Iudæorum, sine necessario sibi praesidio derelinqui. Quapropter ipse benignissimus magister, secretorum cognitor, ac praescius futurorum, dilectos discipulos suos ab imminente tristitia recreat: & pro corporali sua praesentia, spiritualem & permanentem eis consolationem firmiter spōdet. Erant enim tales, qui caelesti consolatione & diuina inhabitatione essent digni, utpote veri iam contemptores mundi, & perfecti imitatores humilis vitae Christi. Nam Pater tales amat, Filius pro talibus orat, Spiritus sanctus tales exaudit & illuminat.

2. Vide nunc inestimabilem gratiam diuinæ pietatis, qualiter filius Dei elegit pauperes & simplices in societatem praedicationis suæ, ad conuertendum mundum: quibus etiam pro paruis uilibusque mundi rebus, quas reliquerant, preciosa Spiritus sancti munera gratis donare decreuit. Quare hoc? Ut mundi gloriam spernendam doceret, & humilitatem sibi maxime placere monstraret. His itaque auditis tam diuinis oraculis, o religiose, fuge honores atque delicias. Postpone curas seculares: & praepara cor tuum ad susceptionem doni Spiritus sancti, orationibus deuotis. Et si iam in bono statu consistis, & uias seculi reliquisti: noli iterum retro respicere, noli presentibus contentus esse, sed ad perfectiora & sacratiora ardentius anhela. Et ut capere merearis nunc nouam gratiam, compunctioni insiste; & in cella, quasi in cenaculo, cum Apostolis te conclude. Nam hoc est probabile signum gratiæ Dei praesentis, si quis ad potiora habenda aestuat, si de sua quotidiana defectioe intumescit, si à multis sibi licitis abstinet: si qualiter in melius proficiat, diligenter recogitat: si nunquam se perfectum in aliquo existimat, nec aliquid dignè peregrisse se credit. Oportet namque te omnibus infimis funditus renuntiare, si Spiritus sancti consolatione desideras recreari, si eius uis uirtute firmari, si eius cupis amore accendi.

3. Sed adhuc inquirendum, quibus exercitijs Apostoli sancti ad tantam gratiam peruenerunt? Non enim subita conuersione, nec una tantummodo die, ad tam magnam perfectionem ascenderunt: sed paulatim per incrementa uirtutum in schola Christi, tanquam boni discipuli à bono magistro diligenter instructi, profecerunt. Et primò quidem, omnia sua sponte propter Christum reliquerunt; parentibus & cognatis aliisque mundanis affectionibus renunciarunt: parati cum eo labores & penurias atque



Luca 22.  
1. 11. 22.

hominum maledictiones sustinere. Vnde ante passionem suam eis dixit: *Vos estis, qui permansistis mecum in temptationibus meis.* Ecce bona initia Apostolorum; quia terrenis nudati, & aduersitatibus probati, Christo perseveranter adhaeserunt. Et licet tempore passionis, metu mortis ab eo aliquatenus recesserunt, de hoc tamen multum doluerunt; & suam infirmitatem plenius cognoscendo cum maiore humilitate & feruentiori affectu ad Christum redierunt. Nam post resurrectionem eius, ab eo iterum visitati sunt & verbis ac scripturis roborati: ut sic in fide & spirituali vita citius proficerent. Demum Christo ascendente in caelum, ipsi conspem suam ad caelestia transtulerunt: nec tunc tristitiam de recessu eius habuerunt; sed potius de magnificentia gloriae suae gratulabantur; ita ut cum gaudio magno in Hierusalem reuertentur. Ibi pariter in coenaculo congregati, orationibus ac meditationibus sanctis unanimiter intenti erant: & ad gratiam Spiritus sancti caelitus sibi mittendam, humiliter ac multum desiderant se preparabant. Ibi cum Maria matre Iesu commorantes, de actibus & doctrinis atque miraculis saluatoris nostri deuote conferebant: & (ut pie credendum est) non pauca mysteria Christi a beata Virgine audierunt & didicerunt.

4. Ibi postpositis seculi curis, & loquutionibus vanis exclusis, totale desiderium suum, ad interiora & caelestia promissa conuerterunt: quatenus super dona, quae iam habebant, adhuc plenius Spiritum sanctum accipere mererentur. Et factum est ita. Nam in aduentatione eius, omnes repleti sunt, & tantis charismatibus donati & clarificati, ut signis & virtutibus ac doctrinis super Patriarchas & Prophetas coruscarent. Quicquid enim in lege & propheticis dictis mysticum velabatur, hoc Spiritus sancti illustratione intellexerunt, & eloqui varijs linguis potuerunt. Quod valde necessarium ad totius ecclesiae adificationem fuit: ut ipsi primitus de omnibus salutis nostrae sacramentis perfecte instruerentur; qui postea per totum mundum omni creaturae Evangelium Christi debuerant predicare. Dedit itaque Pater caelestis Spiritum bonum petentibus se: & tam copiosa benedictione Apostolorum pectora locupletauit, ut iam nihil de terrenis ambirent, nec vlla seculi aduersa timerent, sed pro nomine Iesu contumelias pati gauderent. Adiecit autem eis, cum plenitudine scientiae, armaturam spiritualis militiae; ut contra errores gentilium, haberent sapientiam diuinam, & ad superandam philosophorum eloquentiam & contra persecutorum sauitiam, tenerent fortiter patientiae palmam. Verè magna gratia in Apostolis emicuit; eo quod tam imperiti secundum seculum homines, in tam breui tempore, ad tantam celsitudinem sanctitatis excreuerunt:



sunt: vt vsque ad extrema terræ, Spiritu sancto cooperante, eorum prædicatio perueniret.

5. Consequenter etiam ex iam dictis perpende, quia sancti Apostoli, qui erant Christo charissimi, non sine labore & debita præparatione hanc spiritalem consolationem acceperunt: nec sine certamine & corporis afflictione in hoc seculo vixerunt: sed tanto feruentiores erga Christum & proximorum salutem extiterunt, quanto præ cæteris ampliora dona se accepisse cognouerunt. De quibus non propriam gloriam, non transitoriã mercedem, nec laudem quæsierunt humanam: sed purè Dei honorem & caelestem gloriam, post huius vitæ laborem. Qui utique in omni conuersatione sua inter gentes multas, cum humilitate & mansuetudine cordis, acceptam cælitus gratiam, sollicitè custodire studuerunt; non ocio torpentes, nec commoda carnis quærentes, sed animarum lucra pensantes, verbis & exemplis subditos suos ædificauerunt, & maximum fructum Deo obtulerunt. Horum igitur actus & dicta valde vtile est omnibus religiosis & deuotis sedulo pensare; qui crucem suam pro Christo tollere & Apostolicam vitam sectari proposuerunt. Quatenus ad melioris vitæ profectum semper ferueant, & in disciplina ordinis perfeuerando, Spiritus sancti gratia adiuuante, vitam æternam cum omnibus Sanctis apprehendant. Amen.

## TRIGESIMA SEXTA.

*De sancta & vnanimi conuersatione primitiua Ecclesia,  
in Hierosolymis.*

1. **M**ultitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Deo. Act. 4.  
 MO quàm sancta & iucunda fuit illa congregatio in primitiua ecclesia, Spiritu sancto congregata: quæ nequaquam potuit conturbari, quamdiu vnitas fidei in vinculo charitatis illesã seruabatur. Ad hanc perfectè tenendam maximè iuuant abdicatio proprietatis in rebus temporalibus, cõformitas in bonis moribus, obedientia prõpta in subditis, vita exemplaris in prælatis, pia condescensio cum infirmis, stricta correctio pro excessibus, debita ordinatio in singulis officijs. Et nequid fortè communitati desit vel depereat, debent omnes pro posse commune bonum promouere: vt charitas in omnibus per opera sancta luceat, & Deus inde summè glorificetur. Omnia ista bona inueniuntur à sanctis Apostolis primitus obseruata, & per eos postmodum ad alios fideles deriuata: sed præcipuè religiosis ac prælatis ecclesiæ ad imitandum sunt commendata. Nam quãdiu Apostolica vita claruit in capite & in membris, erant bona cum ipsis, & magna gratia in vniuersis. Et quia Deum quærebant & terrena spernebant, addita sunt eis cum spiritualibus donis temporalia bona.



Et tanto maiore honore digni habebantur, quanto humiliter se  
femetipsis sentiebant, & omnem mundanam gloriam vilipende-  
bant. Bene ac modeste vsi sunt bonis acceptis, nec superbieban-  
t in dignitatibus & beneficijs sibi collatis: sed sollicitudine paten-  
tegebant subditos suos in magna disciplina. Insuper multis pau-  
peribus ac debilibus cōpatientes, libentissimè subueniebant, ad  
fictis quoque & tentatis, sacrae consolationis verba exhibebant,  
ab ociosis sermonibus se & alios compescebant, scientes quod de  
omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines, singuli res-  
dituri sunt rationem in iudicio.

2. Cum autem coepissent quidam à calore fidei tepescere, & ad  
commoda carnis immoderatus declinare, propria querere, ho-  
nores ambire; heu statim orta sunt murmura & scandala, & ap-  
paruerunt dissensionum zizania, ab inimico nequiter iniecta, ad  
corrumpendum in agro dominico boni seminis grana. Sed huius  
pestifero morbo & queruloso principio occurrerunt Apostoli  
sancti consilio saluberrimo: & elegerunt fideles ministros, qui  
sanctae multitudini necessaria victualium prouiderent. Ipsi vero  
orationi & praedicationi instabant, prout à Spiritu sancto edoc-  
erant, spiritualia temporalibus praeferebant: & contra questiones  
motas, & casus emergentes, legis & prophetarum testimonia  
protulerunt. Adiecit autem Spiritus sanctus adhuc latius sua mu-  
nera nouiter conuersis impartiri. Nam impleuit quosdam ex cre-  
dentibus spiritu prophetiae, ad cōsolationem ecclesiae primitivae.  
Instituit quosdam doctores, ad instructionem imperitorum. Cō-  
uertit etiam plures sacerdotes & legis magistros, ad Euāgelicam  
veritatē. Fecit quoque signa & prodigia multa inter gentes lon-  
ginquas, ad fidem catholicam propagandam. Vidit ista, & inuidit  
fauissimus hostis diabolus. Doluit, & commouit reges & princi-  
pes terrae, ut insanirent armis, & persequerentur ubique fideles.  
Et quia Hierosolymis maior gratia vixit, & Apostolicus seruo-  
altius crescere coepit: ideo Satanus ibi durius fremuit, & perse-  
quutionis flagello primordia nascētis ecclesiae extinguere cona-  
tus est, atque de locis suis ad exterarum nationum ventilare. Verum  
hanc diaboli malitiam & temporalem fidelium persequutionem  
Deus cōuertit ad multorum salutem, & sancti nominis sui noti-  
tiam clariorem. Factaque est tēporalis tribulatio iustorum, utilis  
purgatio vitiorum: & quod tentator versipellis parauerat ad rui-  
nam, pius saluator ordinavit patientibus ad coronam. Nisi enim  
fuisset tam grauis persecutio in mundo, non essent tot martyres  
coronati in caelo. Multi namque fidelium decreuerunt magis  
sanguinem fundere, quàm fidem negare: & mortem libentius  
subire, quàm ab amore Christi resilire.

3. Absit

Math. 12.

21.



3. Absit, absit, ut valeatior esset Satanas cum aduersarijs suis ad nocendum, quam Christus cum Angelis sanctis ad defendendum. Nihil quippe potuit agere contra pios spiritus malignus, nisi Deus hoc iuste permisisset: qui singulorum actus & vires cognoscens, per tales occasiones afflictivas, electos ad perpetuam gloriam transtulit: & aduersarios illorum crudeli damnatione in ignem aeternum demersit. Sic boni & mali pro suis meritis, quod iustum est, recipere merentur: quia iustitia Dei nullum bonum irremuneratum, nec vllum malum dimittit impunitum.

4. Nec debet infirmos scandalizare, quod in sancta ecclesia tam cito apparuerunt zizania & murmura multa: quia cum bonis semper admixti sunt mali, & cum perfectis ambulat iniqui & imperfecti. Quanto enim sanctiores, tanto pauciores, sicut experimur in diuersis locis religiosi. Nam maior videtur numerus incipientium, quam perfectorum: & minor est copia contemplatiuorum, quam actiuorum. Inter multos etiam subditos, pauci reperiuntur ad officia utiles, & ad bene regendum se & alios adhuc multo rariore. In his apparet humana fragilitas, & humiliatur superbia nostra: quia tam proni sumus ad vitia, & tardi ad perfectiora sectanda. Nemo tamen alteri impropere recte potest, quod defectuosus sit & ineptus: quia sicut alius fragilis est, ita & tu. Rara avis in terra, perfectio vera: & in omni loco reperiuntur vascula fracta. Debet ergo quilibet ad seipsum oculum habere, & proximo erranti misereri, nec indignari, si quandoque offendit.

Vnde B. Iacobus ait: *In multis offendimus omnes.* Ad humilitatis igitur confessionem recurrendum est: ut quod minus habet defectio sanctitatis nostra, suppleat confessio propriae fragilitatis. Et tanto humiliores in omnibus simus, quanto longius a vera perfectione distamus. In peccando & cadendo fratres sumus, nemo securus est de sua perseverantia. Quamdiu ergo hic viuimus, oportet infirmos tolerare, & etiam aliquos aduersarios habere. Nam Christus imperfectiones discipulorum suorum diu tolerauit: & detractiones Pharisaeorum frequenter audiuit, qui in omnibus perfectus fuit. Nouit autem Deus huius mundi aduersa ad multa bona disponere, quae raro desunt bonis & rectis corde. Nam istis spinis & turbinibus retrahitur animus a delectationibus terrenis. Excitatur cor ad amorem caelestium, exercetur homo per patientiam. Discit compati afflictis, humiliatur in doloribus, conformatur Christi passionibus. Fit magis compunctus, minus dissolutus. Orat feruentius, gemit frequentius. Tædet viuere, cupit dissolui & esse cum Christo, quia non est pax in hoc mundo. Sed pius Dominus, qui nouit quid nobis sit salubrius, saepe differt implere desideria seruorum suorum propter melius: quatenus ad-

huc



huc clarius purgentur, ad obtinenda promissa gaudia in caelis. Audit clamorem eorum, videt afflictionē tribulatum: sed non statim aufert ab eis dolorem, vt amplius mereantur per tolerantiam malorum. Misericorditer vtique, & exaudit ad salutem, sed non semper ad propriam voluntatem. Et quia disponit eis dare regnū aeternae beatitudinis admiscet vitae ipsorum varia pocula amaritudinis; vt spem suam non ponant in terrenis, nec exilium diligant pro patria caelestis iucunditatis.

5. Valent autem maximè temporales miseriae paciēter tolerare, pro ablutione peccatorum, pro reconciliatione diuinae misericordiae, pro diminutione poenae purgatorij, pro obtentu maioris gratiae, pro augmento celsioris gloriae futurae. Quis hominum tam purus, tam custoditus & perfectus est in omni conuersatione sua, à mane vsque ad vesperam, qui non delinquat aliquando ore vel opere aut cogitatione, scienter vel ignoranter? Quis tam bonae conscientiae, vt nihil habeat ad confitendum? Quis tantae puritatis & abstinentiae, vt non metuat argui pro aliquo delicto in iudicio futuro? Nam omnia districtissimè examinabuntur coram Deo iudice rectissimo; etiam illa, quae nunc parum vel pro nihilo reputantur. Dum ergo tempus adest, & misericordiae locus patet, omnes simul poeniteamus & feruenter nos emendemus. Benignus est Deus, libenter ignoscet delictis nostris, si nos veraciter cognoscimus & dolemus. Et quia in Christo fratres sumus, oremus pro inuicem, sicut fraterna charitas exigit. Seruiamus inuicem, supportemus inuicem, admoneamus inuicem, consolemur inuicem, gaudeamus inuicem, tristemur inuicem. Diligamus nos inuicem, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis; qui diu sustinuit nos in malis praeteritis, & adhuc quotidie sustinet imperfectiones nostras ob spem emendationis; vt proximis nostris compati discamus, & pro eis oremus. Haec attendentes & facientes, implebimus legem Christi; & erimus veri discipuli eius & amici charissimi, à Patre dilecti, à Filio adoptati, à Spiritu sancto inflammati, à tota sancta Trinitate praedestinati & benedicti. Tunc etiā de nobis poterit dici & verificari, quod de primitiua Ecclesia in Actibus Apostolorum legitur. Quia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Deo, & erant eis omnia communia. Amen.

FINIS TOMI PRIMI.

OPE.